SPICILEGII EVANGELICI EX SANCTORVM PATRVM GRAVISSIMORVMQ. SCRIPTORVM

MESSE COLLECTI, PER OMNES QVADRAGESIMÆ DIES DISTRIBVTI, Concionatoribus, Sacræq; Scripturæ Profeſſoribus profuturi

PARS SECVNDA.

AVCTORE

A. R. P. FR. IVNIPERO PARASCANDOLO

A NEAPOLI ORDINIS MINOR. STRICTIOR. OBSER.

Prouincię Neapolis Sac. Th. Generali Lectore, ac Concionatore: Olim Generali Diffinitore, ad præſens autem ordinis Patre, ac Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Minitri Generalis Supremæ Vniuerſalis Sanctiſsimæ Inquiſitionis de Vrbe contra hæreticam prauitatem in hoc Regno, Conſultore.

Pertinet ad Conuentū S. Mariæ Carmeli S. Antonii.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI, Ex Typographia Honophrij Sauij. M.DC.LII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Reuerendiſsimo Patri Fratri

SEBASTIANO A CAIETA

ORDINIS MINORVM

REGVLARIS OBSERVANTIÆ

In Ciſmontana Familia Obſeruantium, ac Reformatorum Commiſſario Generali vigilantiſsimo.

Præcellẽtiſſimis viris proprij ingenii dicare fætus, iam olim inoleuit conſuetudo, Reuerendiſſime Pater, dicente Vegetio: *Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium ſtudia mandare literis; atque in libros redacta offerre principibus.* Nec ob aliud (vt reor) niſi vt aliorum fama propriorum creſceret operum exiſtimatio; eodem ſubdente Vegetio: *Quia neque aliquid rectè inchoatur, niſi quod poſt Deum fauerit Imperator.* Quod me maximè (quem longè cæteris ſcriptoribus inferiorem ſentio) ad opuſculum hoc tibi dicandum allicere ſanè valeret: vt tua, ſcilicet, ſapientia, tua prudentia, tua virtus: Tua in prouidendo ſedulitas, in agendo dexteritas, & in regendo ſolertia: Tua, inquam, vita, quæ regula iugitèr extitit, & reliquorum cenſura, tuum exẽplum, quod ſegnem quemquam ad præclara ſemper impulit facinora, tuus omnium virtutum ornatus, qui eum inſpicientibus admirationi nunquam non fuit: Tuus demiq; conſpectus, qui morum inſinuat grauitatem, loquutio, quæ cælitus datam effundere videtur ſapientiam, inceſſus, qui religioſam prætendit modeſtiam, & motus, qui vigilantiam præ ſe

In Prolog. de re mil.

Digitized by Google

fert,informe hoc formaret opuſculũ,atq; perficeret Verùm humanę opinioni animũ ego,qui minimè intẽdo,à tua vetere tãtùm erga me beneuolentia,meaq; erga te obſeruãtia ad hoc tibi offerendũ allici fateor,atq; impelli.Et licèt hæc noſtra Ciſmontana Familia laudum tuarum ſtructuram erexerit,quando iuxta illud Iunioris Plinii:*Si adhuc dubium fuiſſet,fortè,caſuq; rectores terris, an aliquo numine darentur;* *principem tamen noſtrum liqueret diuinitùs conſtitutum. Non enim occulta poteſtate fatorum, ſed ab Ioue ipſa coram,ac palam repertus, electus eſt : quippè inter Aras, & altaria*, inter Aras Aracęlitani Cœnobii tuum in ſinum,licèt abſentem,confugiendo concuſſa;te è cælo potiùs (ſi fas eſt dicere)demiſſum,quàm ex hominibus declarauit aſſumptum. Et quamuis diuerſæ Prouinciæ congeſtis meritorum tuorum præconiis,quaſi arcum tibi erigant tryumphalem; ego nihilominùs vir alioqui rudis, atq; indiſertus ſtridente fiſtula inculti eloquii librum hunc ad honorem tuum,velut lapillum in aceruum encomiorum tuorum coniicio : Non vt ad illius parui lapidis inſtar, qui ſtatuam in pedibus percutiens magnum creuit in montem , ad tuæ beneuolentiæ pedes excreſcat;ſed vt dum opuſculum quidem, ſed mentis prolem,melioris partis hæredem, carioremq; portionem (dicente Platone: *Libri liberis cariores ſunt parentibus, quantò mentis filij ſunt præſtantiores,quàm corporis*) tibi offero, dico,& conſecro,deuoti obſequii mei pignus accipias.Vale.

In Panegyr. Neruæ.

Epiſt. lib.7.

Paternitatis tuæ Reuerendiſſimæ

Seruus ex minoribus minimus

Fr.Iuniperus Paraſcandolus à Neap.

Digitized by Google

AD LECTOREM BENEVOLVM.

PRiſcorum illud proditum monumentis, illaudabile, ſcilicet, adeò eſse, quod completum non eſt, vt Iunior dicat Plinius: *Quidquid peractum non eſt, pro non inchoato habetur*, probè teneas, minimè dubito, beneuole Lector; quare vix mei Spicilegii prima exarata parte, promiſi ſecundam; vt ſanè intelligeres, voti fuiſse mei, nedum peractum, completumq; ſed quàm citiùs etiam tibi meum præſtare opus; ſiquidem: *lib. 5. Epiſt. 8.*

Gratia, quę tarda eſt, ingrata eſt; gratia namque;
Cùm fieri properat, gratia grata magis. *Auſonius.*

At popularium aliquando tumultuum iactatus ærumnis, aduerſæ valetudinis ſępè vexatus moleſtiis, necnon & quibuſdam meæ religionis præpeditus muneribus, ad rem, quod fueram tibi pollicitus, meo pro voto conferre nequiui. Nec mirum, quandoquidem præfatus Plinius ſuadenti ſibi Capitoni, vt hiſtoriam ſcriberet, ſic reſcripſiſse dicitur: *Dices, potes ſimul & reſcribere actiones, & componere hiſtoriam. Vtinam, ſed vtrumque tàm magnum eſt, vt abundè ſit alterum efficere.* Quæ ſi Plinius, quo pacto ingenii mei non ſatis robuſtus conatus, tot, tantiſque poterat par eſse curisè *Pluribus*, certè, *intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Verùm diuinum fortè fuit conſilium, vt ſic in longum parua hæc protraheretur ſpicarum collectio, vt quò tardior, eò tibi ex ſterilitatis annis offerretur maturior. Etenim vt ſine tempore non matureſcunt ſpicæ, ſic abſque eodem haud perfectè congeſta digeruntur, inque neceſsarium ordinem Typis mandanda diſponuntur. *Librum igitur* (vt eiuſdem Plinii vtar verbis) *quem prioribus literis promiſeram, iam tibi exhibeo. Hunc rogo ex conſuetudine tua, & legas, & emendes.* Vale. *Loco citato.* *lib. 1. Epiſt. 2. ad Arrianum.*

Digitized by Google

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vic.Gen.Neap.

Fr. Ioseph de Rubeis Ord. Min. Conu. Eminentiss. Card. Filamarini Theologus, & Consultor S. Officij.

FR. SEBASTIANVS A CAIETA

ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERVANTIÆ

In hac Cismontana Familia obseruantium, & Reformatorum Commissarius Generalis, & seruus.

Dilecto nobis in Christo P. Fratri Iunipero à Neapoli Prouinciæ nostræ Reformatæ Terræ Laboris Concionatori, ac Lectori generali, necnon Ordinis nostri Patri, Sanctiq; Officii Consultori Sal.

Cùm iuxtà Apostolicas sanctiones, & Ordinis nostri constitutiones reuisum, & approbatum fuerit à Patribus Theologis nostræ religionis opus à te collectum, cuius titulus est; Spicilegii Euangelici per omnes Quadragesimæ dies distributi pars secunda; tenore præsentium cum salutaris obedientiæ meritò facultatem tibi facimus, quatenus seruatis seruandis, illud Typis mandare possis. Vale. Datum Romæ die 12. Ianuarii 1652.

Fr. SEBASTIANVS A CAIETA Commissarius Generalis.

DE mandato Reuerendissimi Patris Fratris Sebastiani à Caieta huius Cimontanæ familiæ Commissarii Generalis; Ego Frater Dionysius à Neapoli Ordinis Minorum strictioris obseruantiæ Sacræ Theologiæ Generalis Lector, & meæ Prouinciæ reformatæ Neapolitanæ Custos librum Admodum R.P.F. Iuniperi Parascandoli Neapolitani, eiusdem instituti Concionatoris, Lectoris generalis, Ordinis Patris, ac Sancti Officii Consultoris, qui inscribitur (secunda pars Spicilegii Euangelici) scrutatus sum; eumque non modò ab omni errorum genere, tum, scilicet, contra fidem, cùm contra bonos mores, liberum; verùm maximè sana, ac splendidissima Sanctorum Patrum doctrina, hærentem sacræ paginæ sententiam explicante, refertum animaduerti. Quapropter dignissimum existimo, quòd ad maximam reipublicæ christianæ, & in primis Euangelicorum concionatorum vtilitatem, Typis mandatus, in lucem prodeat. Datum in Conuentu Sanctæ Crucis Neapolis 8. Maii 1652.

Fr. DIONYSIVS A NEAPOLI Sacræ Theologiæ Lector, & suæ Prouinciæ Custos, qui supra.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME DOMINE.

DE mandato Excellentiæ Veſtræ vidi, ac diligentèr Opus expendi, cui titulus, Spicilegium Euangelicum, ab Adm. R. P. Fr. Iunipero de Neapoli compoſitum; nec in eo aliquid, quod Ciuilibus, aut Canonicis ſanctionibus aduerſetur, deprehendi: quinimmò vndiq; mira ſcatens eruditione, ac pietate reperi; vt dignißimum cenſuerim, quòd nedum licentia, ſed & præcepto ad omnium vtilitatem in lucem prodeat. Datum Abellini die 20. Februarii 1651.

Excellentiæ Veſtræ

Addictißimus ſeruus

Fr. Michael Angelus à Neap.

Viſa ſupradicta Relatione IMPRIMATVR.

Zuſia Reg. Garzia Reg.

Vidit Regius Conſiliarius Io. Baptiſta Amendola Commiſſarius ſpecialitèr Delegatus per Suam Excellentiam ſuper reuiſione librorum.

Digitized by Google

PARAGRAPHORVM IN OPERE EXPENSORVM LIBATIO.

Feria 6. Dom. tertiæ.

§. 1. *IVgitèr virtutibus incumbendum, maximè autem in senectute.*

§. 2. *Claras sãguinis elationes adeò affectare solent mundani, vt vix sit ignobilis vllus, qui nobiles sibi nõ effingat parentes.*

§. 3. *Procul à Verbi Dei præconibus sit auri cupiditas.*

§. 4. *Cibus animæ virtus: Cibus Dei anima virtute pradita.*

Dom. quarta.

§. 1. *Beneficiã multitudine propterea nos obruit Altissimus, quia ipsis erga se amorem nostrũ extorquere molitur.*

§. 2. *Illum, qui ab humana conditione infra hominem se peccando deiecit, bestiã immò bestijs bestialiorẽ dicere nè verearis: cum ratione vigens ratione non viuat.*

§. 3. *Sicut nemo repente ad extremam improbitatem insilit, sed pedetentim à minoribus ad maiora præcedit: sic levia sunt cauenda errata, nè in maxima prolabamur.*

§. 4. *Copiã, non copijs; Panibus, nõ armis acquiruntur imperia.*

Feria secunda.

§. 1. *Eleuat Deus ad puniendum manũ, ictum autem minimè infligit.*

§. 2. *Ecclesiasticorum auaritia Deo admodùm inuisa.*

§. 3. *Magnes Amoris, Amor.*

§. 4. *Aperto Marte in illicitè negotiantium caternam irruenti Saluatori se opponere ausus est nemo, quia nequitia cùm sit timida, et iustus, & iusti vmbra ei timorẽ incutit.*

Feria tertia.

§. 1. *Væ regno, ac Reipublicæ cuius princeps inconsultus regit, quia citò ruet: stabit autem, & crescet, si reget consultus.*

§. 2. *Linguæ iacula iaculis omnibus diriora.*

§. 3. *Ferè communis hominum huius tẽpestatis est error, sic in aliorum errata æstuare, vt esurire videantur, & sitire iustitiam: se autem grauioribus implicitos, inanitèr, leniterque palpare.*

§. 4. *Horam expectat, qui tempus condidit, non quòd tempori subiaceat, sed quia ordine delectatur.*

Feria quarta.

§. 1. *Nulla testatio operum testimonio par.*

§. 2. *Nulla calamitas, nullumq; discrimen à libera, audaci, fortiq; veritatis confessione te retrahere debet.*

§. 3. *Foris in seculo luctus, & dolor: Intùs in claustris gaudium, & lætitia.*

§ 4. *Ambidexter iustus in omnibus, nec secundis inflari, nec tristibus frãgi consueuit.*

Feria quinta.

§. 1. *Nulla temporalis iactura lacrymis est prosequenda: sed hæ pro cælo amisso, vel pro peccato commisso effundi solummodò debent.*

§. 2. *Retortis iaculis diabolum confodit Altissimus: dùm per eadem illum vincit, per quæ nos ipse vincere satagebat.*

§. 3. *Parentibus numquam satis rependimus.*

§. 4. *Adolescẽte ad vitam reuocato, prophe-*

Digitized by Google

pheta magnus Christus proclamatur; quia ad honorum culmina mortuos suscitantes, vel saltem propè accedentes euchi debent. Deq; eligendi formula.

Feria sexta.

§.1. E domus limine rarò pedem efferre debent mulieres.

§.2. Nec vita rationem habet verus amor.

§.3. Nunquam nõ felicitatis indicium Maria nomen.

§.4. Terræ, Cœlo, & Inferis obelent crimina.

Dominica Passionis.

§.1. Ructus cordis verba, quibus quale sit, redolet.

§.2. Mortem propterea non sentire, nec pati: sed vix gustare dicuntur iusti, quia nequaquàm eius afficiũtur molestijs.

§.3. Non tantùm homines, & angelos, verùm ipsos etiã pœnalibus claustris inclusos Christi dies exultare fecit.

§. 4. Sui copiam subtrahit multotiès Deus, vt auidius reuocetur: quia amoris fallacia amorẽ magis inflammat.

Feria secunda.

§.1. Iure optimo principes ad capiẽdum Iesum mississe dicuntur, quia nullus vnquam sic Saluatori infensus, vt nobiles, ac diuites.

§.2. Salua gratia incolumitate, etiam proprię beatitudini proximorum præferenda est salus.

§.3. Vitæ echo mors: quia eadem, qua agebantur in illa, geri solent in ista.

§.4. Nullum facinus euangelizatione præclarius.

Feria tertia.

§.1. Sicut tota iustorum vita æterna festiuitatis breuis vigilia est, sic inge peccatorum viuere æterna vigilia breuis est censendũ solemnitas.

§.2. Doctoris manus lingua præambula, verbo parare debet semitam.

§.3. Nequaquam impetu propriæ voluntatis prouecti; sed eligentium vi prærepti ad dignitatum culmina ascendere debemus.

§.4. Sicut odij, indignationisq; indiciũ est, quem non proprio nuncupare uocabulo: Sic uicissim proprio illum nomine appellare, legitimi amoris censendum est signum.

Feria quarta.

§.1. Recedente per culpã charitatis calore friget anima, & alget affectus.

§.2. Quàm maximus iræ excessus est versipellium simulatio.

§.3. Quemadmodum autem citò excitãtibus Dei vocibus præbere magnũ est prædestinationis indicium; sic diù illis non cedere, maximum est censendum reprobationis præsagium.

§.4. Verè mirabilis veritatis potentia, quæ sui testimonium etiam ab hostibus extorquet inuitis.

Feria quinta.

§.1. Nè impia pietas coràm Deo tua appareat eleemosyna; ex licitè, non illicitè partis illam efficere debes.

§.2. Vt ignominiosis nominibus virtutis ladere famam liuoris est propriũ: sic vitiorum fœditatem vocabulorum comitate prætexere, Dei consuevit mos esse.

§.3. Pluvis à Deo fiunt pœnitentes bello capti, quàm innocentes gratia iure possessa.

§.4. Perdita peccator conscientia pace durum nimis cõtra se, proximum, & Deum bellum assumit.

Feria sexta.

§.1. Iugiter super aliorum exiguitatem, atque ruinam suam inuidia struere celsitudinem molitur.

§.2. Suprema de inimicis vltio beneficentia.

§.3. Nullum est ius, quod mundialis politia non pessundet.

§.4. Truculenta ambitio sanguine semper,

Digitized by Google

per, & cædibus ſuum conſtabilire principatum conatur.

Dominica Palmarum.

§. 1. *Impoſſibile eſt, vt qui malis bellum indixerit, preſſuris careat: quia ſemper iuſtis cõtrarij peccatores.*

§. 2. *Quàm pauperum Patri iucunda ſit voluntaria paupertas, expenditur.*

§. 3. *Ex ingenuo ſeruus, & ex Domini dæmonis ſit ditionis qui peccat.*

§. 4. *Multò decentius quàm auro, & ſerico corpus; virtutum anima decoratur amictu.*

Fer. 6. in Paraſceue.

§. 1. *Hoſtium nõ declinat incurſus Saluator, ſed obuium ſe eis præbet: quia non inſectantium minas, nec contra nos inſurgẽtes armas fugere, ſed eas quærere, & amplexari debemus.*

§. 2. *Quo humana ſalutis æſtuaret ardore Saluator, oſtenditur.*

§. 3. *Ipſa ſuæ abiectionis adinuẽtiones, quibus ualidè iuſtos mundus deprimere ſatagit, in exaltationis media diuinitùs vertere ſolet Altiſſimus.*

§. 4. *Aulas, aureſq; Principũ, quas paupertas claudit, aurum aperit.*

Dominica Reſurrectionis.

§. 1. *Magnus ille lapis, qui in oſtio monumenti poſitus inuertibilis exiſtimabatur à longe, reuolutus uidetur è propinquo: quia religionis conditio uiſu ardua, uſu facillima eſt.*

§. 2. *Eminùs inſpecta religioſorum uita candida adeò uidetur, ut penè angelica ſtuporem incutiat, atque terrorem: cominùs autem, ut cæterorum, nilis appareat, & deſpicabilis.*

§. 3. *Mulierum ſocietates, uelut muſcæ morientes, bonæ religioſi opinionis perdunt fragrantiam.*

§. 4. *Ex nunc ſumit exordium iuſtorum felicitas: dum etiam mortali corpore circumſepti æternam lambũt beatitudinem.*

Feria ſecunda.

§. 1. *In vtraque Ieruſalem, in militanti videlicet, & triumphanti Eccleſia, ſolus peregrinus Franciſcus: quia ſicut peregrino ſtigmatum priuilegio ſolus hic præditus fuit, ità ſolus forte eodem potietur in patria.*

§. 2. *Qui dignos deprimẽdo, extollis indignos: indigniſſimæ ſuæ electionis præbet indicium.*

§. 3. *Salutis æternæ negotium non alienum, ſed proprium requirit opus.*

§. 4. *Sic Deo de ſua omnipotẽtia noſtra eſt ingrata dubitatio, quòd ad hanc prorsùs abigendam, de quibus hæſitamus, vt eam oſtenderet, irrogatus etiam quandoq; mirabilia præſtet.*

Feria tertia.

§. 1. *Dirimit ſocietatis ius Principis inæqualitas.*

§. 2. *Humani cordis penetrare conſilia, illaq; pro libito mutare, quale ſit diuinitatis argumentum, expenditur.*

§. 3. *Æqua dignitatis magnitudini ſit humilitatis menſura.*

§. 4. *Non vulgari ſacrarum ſcripturarũ pollere debet notitia, qui concionatoris munus aſſumit.*

FE-

Digitized by Google

FERIA SEXTA
POST
DOMINICAM TERTIAM
QVADRAGESIMAE.

Hora erat quasi sexta. Ioan. 4.

§. I.

Iugiter virtutibus incumbendum, maximè autem in senectute.

1 EX parabola illa seruorum feriatium ad vineæ culturam missorum: *Quid hic statis tota die otiosi? ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis*, Matt. 20. assiduè nos virtutibus mancipatos esse debere, satis acutè colligit Gorranus, dùm dicit: *De operando ratio non excusat; ideò dicit, quid hic statis? &c. locus congruit, ideò dicit, hic: facultas suppetit, quia statis: tempus iunat, quia dies, ideò dicit, totæ die: otium damnificat, ideò dicit, otiosi. Qua ergo ratione non laboratis?* Idipsum adnotauit Ambrosius lib. 7. super illud Lucæ 12. *Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes*, qui ait: *In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Saluatoris aduentum.* Ex quibus, aliisque multis scripturæ locis, & præcipuè ex illo Sapientiæ 12. *Das locum pœnitentiæ*, dicere consueuit Rupertus Holchot: *Omne enim tempus est nobis datum ad merendum, vel pœnitendum. Et si est momentum sine merito, vel pœnitentia; exigetur à nobis tanquàm vtiliter concessum, & inutiliter consumptum*: sic ipse lect. 147. super citatum Sapientiæ locum. Quæ omnia, licèt plusquàm vera sint, quòd nempè, nulla prætermittenda sit temporis morula, in qua boni aliquid operari non teneamur; in senectute tamen maximè nobis virtutibus incùbedum iniungitur. Quia, si motus naturalis velocior est in fine, quàm in principio; cùm naturalis sit in rationali creatura beatitudinis appetitus, in senioribus feruentior, quàm in iunioribus esse debet, quia quò corporis viribus destituuntur, eò animo fortiores se ostendere debent. Quod in laudem Humberti Monachi post eius obitum satis luculenter sequentibus verbis dixit Bernardus: *Porrò quanti feruoris in opere Dei diebus, & noctibus fuerit, non solùm vidistis, sed etiam admirati estis vsque ad diem mortis suæ. Cùm enim fere iam ad decrepitam peruenisset ætatem, prater incommoda senectutis, etiam tot, ac tantis infirmitatibus, quas multi vestrum non ignorant, lassatus, atq; quassatus; erat tamen vt dicitur animus victor annorum, & cedere nesciens infirmitati. Denique in frigoribus, & caloribus per montes, & valles ascendens, & descendens, iuuenum laborem prosequebatur; itàus admirationi omnibus esset, ac stupori.* Idipsum antè Bernardum de Abrahamo in senectute repuerascente obseruauit Ambr. lib. primo de Abraham cap. 5. nàm vbi nostra vulgata habet: *Nàm celare potero Abraham, quæ gestirus sum?* Gen. 18. Septuaginta legunt: *Nùm celare potero Abraham puero meo?* Ex quo modo dicto Ambrosius: *Senilis vtique ætatis Abraham superiùs scriptura significauit; quia nonagesimo, & nouem processisset annos: quomodò nunc puerum dicit? Sed cùm immemorem senectutis exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimũ, deducendi studiosissimum expresserit, nonnè commune nomen pueri videtur? Officijs*

Matt. 20.

Gorranus.

Ambros.

In quslibet tẽporis morula virtutibus incumbendum.

Sap. c. 12. Rupertus Holchot.

Bernardus.

Ambros.

Gen. c. 18. Septuag. Interp.

Digitized by Google

Plinius. Seneca.

metitò puer dicitur, qui senile nescibat fastidium. Quod nec Plinium iuniorẽ, nec moralissimũ Senecam latuit; quorum primus lib. 3. epist. 1. sic ait: *Senibus placida omnia, et ordinata conueniũt, quibus industria sera, turpis ambitio est*; Secundus verò senes ad virtutes hortans, sumpta à nautis metaphora, dicere consueuit; *Incipiamus vasa in senectute colligere. In freto, hoc est, in mari viximus, moriamur in portu.* Nec propter hos Nazianzenum omitto canentem;

Nazianz.

In senectute autẽ patissimè.

Semper saluti tu quidem studе tuæ,
Potissimum autẽ sub diẽ vitæ vltimũ,
Venit senectus, exitium præco canit:
Parentur omnes, immanis iudex Deus.

Ex quibus omnibus haud difficilè colligo. Cur tàm initãter Samaritanæ saluti studeret Saluator; quia, vt Euãgelista ait; *Hora erat quasi sexta.* Io. 4. quæ vltimam hominis figurabat ætatem, in qua maximè virtutibus ipsum studere oportet. Quam rem Augustin. lib. 83. quæst. 64. tetigit, sic dicendo:

Ioan. 4.

Augustin.

Hora sexta de qua dicitur Ioan. 4. *Hora erat quasi sexta*: vltimam hominis figurabat ætatẽ.

Venit Dominus Iesus hora sexta, id est, sexta ætate generis humani, tanquàm in senectute veteris hominis, quo iubemur exui, vt induamur nouo. Nàm sexta ætas senectus est, quia prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta grauitas. Quàm ergo in hac sexta hora, vel, vt apertius dicam, in hac vltima ætate virtutibus studere debeamus, sequentia ostendent.

2 Tam proiectæ ætatis viros, quàm veteres mulieres, vt ad perfectionem traniens duceret Apostolus, ad Titũ scribens, hanc ait in modum: *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam: Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes: vt prudentiam doceant adolescentulas.* Pro iuniorum autem eruditione sermonem facturus, vnum hoc subdit: *Iuuenes similiter exhortare, vt sobrij sint.* At vbi est pudicitia, prudentia, fides, dilectio, & patientia, quam grandæuis iniungit? An non eadem hæc illi seruare tenentur? eadem quidem: Cur igitur senibus multa, iuuenibus autem sobrietatem tantum demandat? Chrysost. hom. 4. super citatum Pauli locũ eadem prorsus adolescentibus, ac grandæuis præcipi asserit, cùm dicit: *Eadem admonitio adolescentulas tangit*; & ità equidem est; nàm in Christi gymnasio in vno qui deficit, omnium reus efficitur. Cur itaque, sobrietate excepta, nil aliud expressè saltèm, de adolescẽtulis dicit? Difficultatem Ludouicus Sotto Maior enucleauit, dicẽdo, quòd ijsdem virtutum regulis, tàm senes, quàm iuuenes imbuere intendebat Apostolus; verùm quia ardentiori studio virtutibus incumbere debent prouectæ ætatis viri, ipsis præcipuè tota virtutum committitur series. *Itaque noster Apostolus*, ait præcitatus Ludouicus, *singulariter hanc virtutem expressit, cæteras autem subticuit, in iuuenum institutione, vt benè etiam animaduertit D. Hieronymus. Quantò autem corpore infirmiore, ac debiliore sunt senes, quàm iuuenes, tantò equidem studere, darèque operam debent, vt sint validi, & vegeti, seu fortes in fide, atque etiam charitate, patientia, ac tolerantia, perseuerantiaque.* Ecce tibi Cur, quæ diffusè senibus; cõpendiosè iuuenibus imponuntur; non quia ijsdem omnes studere non debeãt; sed quia, quàm ætate proiectiores, tàm virtutum studio feruentiores esse debent grandæui.

Chrysost.

Ludouicus Sotto Maior.

Paulus, quę diffusè senibus, cõpendiosè iunioribus iniungit.

Hieron.

3 Verba nunc illa: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*, Ioan. 13. expende si libet, & vix capere poteris, quomodo qui est mũdus totus, lotione indigeat; nàm qui hac opus habet, mundus totus neutiquàm dici potest: Quem difficultatis nodum soluere nititur Glossa cum dicit, quòd qui baptizatur, baptismi virtute mundus equidem efficitur totus; verùm, quia affectus per pedes significati, mundana quiuere sordescere solent; lotione indigent. Eu verba ipsius: *Baptisma totum hominem mundum reddit. Sed quia iterum pulueris terrena desiderium inquinatur, iterum opus est pedes lauare, quos lauare Dominus intercedere pro nobis, & nos ipsos iubet.* Quæ expositio etsi plusquàm vera sit; nam & baptismus mũdum totum hominem reddit, & baptizatus, si peccatorum sordibus se iterùm inquinatum agnouerit, non per baptismum, sed per pœnitentiam illas emundare consueuit; tamen in Scri-

Ioan. c. 13.

Glossa.

Baptismus irreiterabile sacramẽtũ

Apost. ad Titum c. 2.

ua-

uatoris perſiſtendo verbis, adhùc prima viget difficultas; nàm non de ſordeſcentibus poſt munditiam, ſed de omninò mundis loqui videtur, cum dicit: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*. Verùm, ſi per pedes vltimam hominis ætatem figurari cõceſſeris, rem facilè percipies, & dices, meritò pedes mundos lotione indigere, non quia immuudi, ſed quia extrema vitæ noſtræ pars, per pedes ſignificata, maiori virtute, ac perfectione pollere debet. Origenis eſt hæc ſubtilitas, dicentis: *Origen.* *Quòd ſi contra hæc quærat aliquis, cur cum dixiſſet: eſt mundus totus; lauit tamen Ieſus pedes diſcipulorum, qui alioquin opus non habebant lauari? Huic illud dicendum eſt: omni habenti dabitur, & adijcietur, vndè habentibus diſcipulis munditiem, Ieſus vt adijceret munditiei illorum, illorum pedes etiam lauare voluit.*

Iuſtus nullius in vitæ præſentis fine propria iuſtitia cõtentus ſit; ſed ad maiorem, animũ ſemper intendat.

4 Patet nunc mihi aditus ad difficultatem illam; cur in ora ſacerdotalis tunicæ tintinnabula Dominus collocari præceperit? *Deorsùm verò, ad pedes eiuſdem tunicæ, per circuitum, quaſi mala punica facies, ex hyacinto, & purpura, et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.* Exod. 28. quia, ſi per veſtis fimbriam, extremæ vitæ noſtræ pars præſignabatur, meritò in ipſa tintinnabula appendi debebant; quia ſemper præſentis vitæ vltima clariori virtutum ſonitu perſtrepere debẽt. Quod optimè Saluator docuit, qui in vltimo conſtitutus ſpiritu, voce magna clamaſſe perhibetur: *Circà horam nonam clamauit Ieſus voce magna*, Matth. 27. vt (ni hallucinor.) vehementiùs nos tunc virtutum tubis perſonare doceret, cùm vltima præſentis vitæ tempora adeſſe agnouerimus. Paulus de Palacio ſuper citatum Matth. locum: *Chriſtus docuit magna voce, magno niſu in tempore mortis clamandum: vt Dominus ſpiritum ſuſcipiat noſtrum. Hic enim iacitur uitæ alea, ibi agitur de capitis periculo. In eo puncto totius noſtræ ſalutis cardo uerſatur. Clamet igitur magna uoce, qui ſe in magno periculo uidet; Voxquè magna magnum excitet Deum, vt magno auxilio accurrat, in magno periculo laboranti.* hæc ipſe. Ex quibus liquido conſtat, quòd ex ſacerdotalis tunicæ ora tintinnabula pendere debebãt; quia fortior virtutum ſonitus audiri debet in fine.

Tintinnabula in ora Sacerdotalis tunicæ quid ſignificent? *Exod. c. 28* *Matt. c. 27.* *Paul. de Palac.* In morte magna voce clamandum, quia in magno periculo verſamur.

5 Hinc Rupertus Holchot lect. 48. ſuper cap. Sapientiæ 4. virtuoſam ſenectam ſacrificio veſpertino comparare ſolebat. *Elevatio manuum mearũ ſacrificium veſpertinum.* Pſal. 140. quia, ſicut ſacrificium hoc, matutino ſatis præſtabat. Vndè Gloſſ. *Sacrificium veſpertinum huiuſcemodi, ſacrificium honoratius, atquè acceptius erat, quàm matutinum*; ſic veſpertina ætas matutinam in virtute antecellere debet. Citatus Holchot: *Senectus eſt veneranda, quia eſt libamen pœnitentiæ, eſt enim libamen ſacrificium, & libare idem eſt, quòd ſacrificare. Omnis autem ſenex tenetur ſeipſum in pœnitentia ſacrificare Deo: vel ſaltem per contritionem, & diſciplinam veteris vitæ, quia ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus Pſal. 50. Iſtud eſt ſacrificium veſpertinum, de quo loquebatur Apoſtolus 2. Thimot. 4. Ego enim iàm delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Audis quàm à iuuẽtute diſtare debet ſenectus! quã illam præcedere! quàm ſacrificium veſpertinũ matutino præſtabat. Quod optimè intellexit Vgo Cardinalis, qui verba conſideransilla Pſalmi 91. *Et ſenectus mea in miſericordia vberi*; ſic explicat; *Ideſt vita mea erit in miſericordia vberi, ideſt, habebit vberes fructus operum miſericordiæ. Naturalis ſenecta ſolet eſſe ſterilis, vt patet in Sara. Geneſ. 18 deſierant Saræ fieri muliebria, ſed ſenectus iſta fœcundior eſt in ſpirituali prole*. Propterea Deo carior, atquè acceptior ſenectus, vt ſacrificium veſpertinum; quia vberiores virtutum fructus ſenectus profert, quã iuuentus.

Rupertus Holchot. *Pſal. 140.* *Gloſ.* Senectus ſacrificiũ veſpertinum vocari ſolet, & quare? *Pſal. 50.* *Thimo. 2. c. 4.* *Vgo Card.* *Pſal. 91.* *Geneſ. 18.* Iuuentute fœcundior.

6 Fortis ille Eleazarus ſe mihi nunc offert, qui, vt ſacer ait textus, inter cruentas carnificum manus mortem non metuens, *Cogitare cœpit ætatis ſuæ eminentiam dignam* 2. Machab. 6. At quam eminentiam, ac dignitatem ſanctus fortiſquè hic vir cogitabat? eam ni fallor, quæ ſenectuti conuenit; eminentiam nempè virtutum ſenectuti debitam. Ità Chartuſianus art. 6. ſuper idem: *Ætatis ſuæ, & ſenectutis eminentiam dignam, quia non ſolùm lõgitudi-*

Machab. 2. c. 6. *Chartuſ.*

Digitized by Google

Longæuitas cum virtutum eminẽtia cõiungi debet.

ne temporum, ſed & decore virtutum fuit ornata. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, vt dicitur Sapientiæ 4. (diuerſimodè nimis ab illo, quem Seneca lib. 15. epiſt. 114. irridet, qui non de virtutum profectu, ſed de annorum gloriabatur progreſſu; vndè dicit. *Quidam noſter homo tantùm gloriabatur ſe diù vixiſſe; quòd inſcribi ſuo monumento iuſſit, ſe nonaginta nouem annis vixiſſe.* Et ſubdit; *Quis eàm ætatem ferre potuiſſet, ſi cõtigiſſet centum annos implere?*) intellexit Eleazarus, nàm non ſenectutis canicie, ſed virtutũ eminẽtiam canicie dignam præ oculis ſemper habebat. Ex quo in vltimo conſtitutus diſcrimine, omni prorsùs abiecto humano timore, dicere ſic audebat: *Nequaquàm ætati noſtræ licet fingere* 2. Machab. 6. apertiùs ac ſi diceret; quæ adoleſcentulos dedecent, ſenes quonam pacto decebunt? quæ in iuuentute horrui, quomodo in ſenectute amplectar? Ambroſ. de Iacob, & vita beata, lib. 2. cap. 10. *Nequaquàm ætati noſtræ licet fingere. Nequaquã, inquit, contingat mihi, vt fiam ſenex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucuſquè eram forma ſalutaris inſtituti. Senectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium.*

Machab. 2. c. 6.

Ambroſ.

Senectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium.

7 Dictis, & factis, veritatem iſtam (quòd nempè in fine magis ſit virtutibus inſiſtẽdum) docuit Saluator: Dictis quidẽ; nã in parabola illa de nuptijs Regis filio factis, poſt multorum ſe excuſantium inurbanitatem: vbi tandèm ſeruo, ſic mandaſſe teſtatur Lucas cap. 14. *Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea*: Mattheus non ad vias ſimpliciter, ſed ad exitus viarum illos miſiſſe deſcribit, dùm dicit: *Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumquè inueneritis, &c.* & ſatis meritò equidèm non exiſtens in via, ſed in exitu viarum conuiuij locum intrare compellitur; quia, ſi per viam, vita præſens figuratur, ex quo viatores vocantur viuentes, per exitus viarum, vitæ finè importari nulli dubium eſt: hi ergo, qui in via, hoc eſt, in vita ſunt, ad nuptias inuitantur quidèm, ſed non vrgentur, qui verò in viarum exitu, hoc eſt morti proximi ſunt, hi compelluntur etiam; quia Chriſti charitas plus in fine, quàm in principio vrget. Audiendus eſt Gualfridus: *Si via eſt vita noſtra, vitæ exitus, terminus vitæ non inconuenienter accipitur. Illò ergo piſcatores ſuos ſapientia mittit, quò vberior, & felicior ſolet eſſe captura, cùm ad memoriam nouiſſima reducuntur.* Factis verò, dùm in fine maiora erga ſuos charitatis oſtendit indicia, dicente Ioanne cap. 13. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: quod idem erat ac dicere; Totus ſanè ſaluatoris vitæ decurſus amoris exceſſus fuit, at dilectionem, quam erga ſuos in fine monſtrauit vix creatura aliqua capere poteſt. Verùm, cur in fine potius, quàm in principio hæc maxima charitatis ſigna demonſtrarit; inquirit Chryſoſtomus homil. 69. in Ioan. cùm dicit: *Cum eos relicturus eſſet, vehemẽtiorem dilectionem oſtendit; hoc enim ſignificat dicens: cum dilexiſſet, etc. Nihil omiſit, quod vehementèr amantem deceret. Sed cur à principio hoc non fecit?* ſtatimquè ſolutionem affert, ſubdendo; *maiora poſterius reſeruat*; ac ſi diceret cœleſtis noſter magiſter, non verbis tantùm, ſed factis etiã mundum inſtruere volo; propterea maiora in fine dilectionis ſigna oſtendo, vt percipiat mundus, in vita quidèm, ſed in fine maximè Deum, & proximum (in quo tota virtutum cõſtitit ſeries) eſſe diligendum.

Luc. c. 14. Matt. c. 22.

Gualfridus. apud Tilmannum.

Ioan. c. 13.

Chryſoſt.

Chriſtus in fine ardentioris charitatis oſtendit ſigna, & quare?

8 Pedetentim nunc ad ſcripturæ illius: *Coràm capite cano conſurge, & honora perſonam ſenis*, Leuit. 19. intelligẽtiam accedo. Cur ſenibus potius, quã iunioribus impertiendus ſit honor? non quia caniciem reuerentia deceat; ſed quia, cùm honor virtutis ſit præmium; & cùm in grandæuis virtus magis, quàm in iunioribus pollere debeat, illis potiùs, quàm iſtis tribuẽdus eſt honor. Optimè Chryſoſtom. hom. 7. in Epiſtol. ad Hebreos: *Canos enim honoramus, non quia album colorem nigro præferimus, ſed quia eſt ſignum vitæ, quæ ex virtute agitur, vel videntes internos canos ex eo coniicimus. Sin autem ea gerunt, quæ caniciei ſunt contraria, propterea magis fiunt ridiculi.* Ecce tibi, cur dicatur venerãda ſenectus, quia in ipſa maximè fulgere debent virtutes.

Leuit. c. 19.

Chryſoſt.

Senectus cur venerãda dicatur?

9 Sed proh dolor! quot video cum annis nõ virtutes, ſed vitia coacerua-

re!

Digitized by Google

re! & quot ob corporis imbecillitatem ad perpetranda ſcelera inualidos perſpicio, qui in præteritis peccatis per reminiſcentiam ſaltem, & complacentiam, vt ſues in cœno versãtur aſſiduè; & ſic in ſenectute iuueneſcentes iuuenilia ſcelera, animo denuò perpetrant.

Ambroſ. De his loquitur Ambroſius ad Valẽt.

Senum fatuorum deſcriptio. *Sunt enim quidam ſenes tàm male habituati in uoluptatibus, quòd dolent, vt videtur, quòd non ſunt, vt ſolebant, ad voluptatem potentes: delectantur audire, etiam & confabulari de turpibus: delectãtur imaginari de vilibus: & ſicut non ueſcentes carnibus delectantur in brodio; ſic illi dùm priuantur operatione, fruuntur imaginatione.* Quid turpius, bone Deus, quàm in ſenectute fatuari! vndè Saluianus Maſſilienſis Epiſc. lib. 7. *Eſto enim quoſdam aut ſtulta præſumptio longæuitatis, aut ſpes quandoque agendæ pœnitentiæ conſoletur. Nonnè nouum hoc mõſtri genus eſt, eſſe aliquos etiam in morte vitioſos?* Hos odit Altiſſimus, dicente Salomone: *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valdè animæ illorum: pauperem ſuperbum: diuitem mendacem: ſenem fatuum, & inſenſatum.* Eccleſiaſt. 25. horum præcipuè ſtilo ferreo, & in plumbi lamina ſcribit Deus ſcelera, de Salomone aſſerente ſcriptura: *Cùm eſſet ſenex depranatum eſt cor eius per mulieres.* Et Dan. 13. *Egreſſa eſt iniquitas à ſenibus iudicibus, qui videbantur regere populum.* De his per Ezecchielem conqueritur: *Vides quæ fecerunt ſeniores domus Iſrael*, cap. 8. vbi Antonius Paduanus: *In quo notatur, quòd uitia in ſenibus maximè Deo fœtent, vt patet in ſenibus Danielis.* Non ſit celte ſculptum in ſilice peccatũ tuum, ò ſenex; ſed Iſidorũ Peluſiotam lib. 3. Epiſt. 1. ad tuũ profectum audi, dicentem: *Meſſis tibi aduenit, alba eſt regio ad exciſionem, quid tanquàm adhùc in ſemente ſis, incuria laboras? Capitis tui pili finem tuum te doceant. Quid eſt, quòd diturnum tempus tefinem tuum perſpicere minimè docuit? Iudex cum terrore accedit. Quid tu operã tua ad collectionem non præparas?*

Saluianus Maſſilienſ. ep.

Nouũ mõſtri genus eſt, eſſe in ſenectute vitioſum.

Eccleſiaſt. c. 25.

Dan. c. 13.

Exeech. c. 8

Anton. Paduan.

Iſidor. Peluſ.

Num quid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius? Ioann. cap. 4.

§. II.

Claras ſanguinis elationes adeò affectare ſolent mundani, vt vix ſit ingnobilis ullus, qui nobiles ſibi non effingat parentes.

1 VEram generis dignitatẽ non in auorum ſeriẽ, ſed in virtutum eminẽtia ſitam eſſe, tàm ſacros, quàm profanos ſcriptores percurrẽtem minimè latet. Nàm Democritus, teſte Stobeo ſer. 84. in quo vera nobilitas cõſiſteret, interrogatus. Reſpondit: *Pecudum nobilitas in bono, ualidoquè corporis habitu ſita eſt; hominum autem in bonitate morum.* Et Antiſthenes virtute præditos, nobiles vocare ſolebat, dicente Laertio lib. 6. *Habent enim, inquit, Antiſthenes, id undè uera naſcitur nobilitas, aduersùs eos: qui maiorum imaginibus, aut diuitijs metiuntur nobilitatem.* Et Euripides in dict. *Bonus uir mihi nobilis uidetur. Qui uerò nõ iuſtus eſt, licèt enim patre meliore quã Iuppiter ſit, ignobilis mihi cẽſetur.* Et Tullius quoties ſibi generis ignobilitatẽ obijci audiebat, audacter reſpondebat: *Satis eſt, meis geſtis florere, quàm maiorum opinione uti, & ità uiuere, vt ſim poſteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum.* Orat. contra Saluſtium. In cuius veritatis confirmationem cecinit Horatius ſerm. l. 2. Sat. 5.

Democritus. Stobeus. Laertius. Non maiorũ, ſed morum eſt attendẽda nobilitas. Tullius. Horatius.

Et genus, & uirtus niſi cum re, uilior alga eſt.

Et Iuuenalis Sat. 8. Iuuenalis.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Potice longe
Sanguine cenſeri, pictos oſtendere vultus
Maiorum, et ſtantes in curribus Æmilianos?

Tota

Digitized by Google

Tutè licèt uetetes exuruent undiquè curæ.
Atrha nobilitas sola est, atquè unica uirtus.

Ouidius. Et Ouidius de Ponto;

Non cẽsus, nec clarum nomen auorum.
Sed probitas magnos, ingenuumq. facit.

Et nè profanis scriptoribus profanos addendo, rem in longum protraham: ex sacris, Isidorus Peluſiota, lib. 2. epist. 291. nonn ideem asserui sequentibus verbis? *Vera nobilitas à probis moribus nata est, firmaquè, & stabilis dignitas virtute comparatur.* Et Ambrosius super verba illa: *Noe vir iustus, atquè perfectus.* Genes. cap. 6. *Noe non generationis nobilitate, sed iustitiæ, et perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ità animarum genus virtutes sunt.* Idemquè de Adam, & Eua; hac in Paradiso, illo extrà creatis sequentibus verbis asseruit: *Illud autem animaduerte, quòd extra Paradisum uir factus est, intrà Paradisum Mulier; vt aduertas, quòd non loci, non generis nobilitate, et uirtute unusquisque sibi gratiam comparat. Denique extrà Paradisum, hoc est, in inferiori loco uir factus, melior inuenitur.* Et tandem, reliquos vt omittam, Clemens Alexandrinus lib. 2. strom. cap. 8. de eodem Adam, audi quid dicat: *Quid enim Adæ profuit talis eius nobilitas, et quòd eius nullus esset Pater mortalis? ipse enim pater hominum turpia quidem pronto, et alacri animo delegit.* Quæ etsi, vt dixi, vix sit, quem lateant: mundani tamen omni virtutum splendore carentes, maiorum iactitant; imò mentiuntur multotiès nobilitatem. Adsit præsens Samaritana, quæ gẽtilis dum esset, ab Abraham, & Iacob se originem ducere asserebat; vt benè adnotauit Chrysost. in catena relatus, dum ait: *Vide autem qualitèr seipsam impulit in nobilitatem iudaicam. Samaritani enim Abraham progenitorem suum dicebant, quasi à Chaldæa existentem: sed et Iacob patrem uocabant, quasi ipsius existentem nepotem.* Aurea equidem verba; sed præcipuè illa; *Vide qualiter seipsã impulit in nobilitatem iudaicam;* nàm ipsos mundanos inter nobilium seriem sese ingerere solere apertè demonstrãt. Quod magis sequentia declarabunt.

Ambros. Gen. c. 6.

Idem.

Clem. Alexandr.

Chrysost. Virtute carentes sese in aliorum nobilitatem impellere solere.

2 Sunt in primis pro re ista iudæorum illorum querimoniæ, qui Saluatorem dicentem, audientes: *Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, et cognoscetis ueritatem, et ueritas liberabit uos,* Ioan. cap. 8. non sine indignatione aliqua respondẽrunt: *Semen Abrahæ sumus, et nemini seruiuimus unquam.* Quam iudæorum responsionem, immò iactantiam, mẽdacium vocat Vgo Card. cùm dicit: *Mentiuntur secundùm consuetudinem suam, nàm Ioseph seruiuit in Ægypto, Genes. 39. et patres seruierunt in luto, Exod. 1. et isti ijdem Cæsari in tributo Matth. 22.* At eorum omisso mẽdacio alia mihi se offert difficultas. Cur nõ Iacob, nec Ioseph se nepotes declarant, quòd de Abrahamo tantùm mentionem faciunt? si immediatiùs ab illis, quàm ab isto ducebant originem, cur non Iacob, nec Ioseph, sed Abrahæ tantùm semen se esse testantur? & ex modo dictis ab Vgone haùd difficilè solutionem reperio; nã Iacob, & Ioseph seruierunt quandoquè; Abraham autem nunquàm seruisse inuenio: quò circa illos fastidiẽtes, de istius nobilitate se iactant. Citatus Vgo: *Extollentes generationem in nobilitate Abrahæ, ideò quasi admirando inconuenientiam dicti Christi submiserũt, nemini seruiuimus*: O quàm vani filij hominum! ò quàm mendaces in fateris! ò quàm vanitate decipiuntur! quid si Abraham seruus aliquando fuisset? quid si parcè vitam quandoquè duxisset? quid si humiliter vixisset? nec ipsius sanè meminissent: at quia in gentem magnam, & robustissimam, Dei oraculo sic prædicente, factus fuerat: quia vndiquè crebris præconijs eius personabat nomen; ab illo se originem ducere asserebant; vndè Chrysost. hom. 31. in c. Gen. 12. *Vides quomodo antea ab initio ei prædicit claritatem, quam illi daturus erat: faciam te, inquit, in gẽtem magnam, & magnificabo nomen tuum, et benedicam te, erisquè benedictus. Idcircò, et iudæi in patriarcham superbientes, uolebant se in eius familiam intrudere, et dicebant: filij Abraham sumus.* Ecce tibi aliquorum

Ioan. c. 8.

Vgo Card.

Idem.

Iudei, cur ab Abraham non à Iacob nec à Ioseph se originem ducere asserebant.

Chrysost.

clau-

clauſtralium demẽtiam, qui cum habitu genus ſe mutaſſe exiſtimantes, humiles erubeſcentes parentes, illos nedùm progenitores vocare, ſed videre etiam grauantur; ſi verò quos nobiles, aut diuites audiunt, ſtatim ſe illis copulare, in illorumquè familiam ſe intrudere ſtudent. Hoc præ oculis habebat Saluianus Maſſi. lib. 3. ad Eccleſ. cùm ait: *Videas enim à quibuſdam infeliciſſima uanitate inuestigari quoſdam nouos, ac nobiles propinquos: Videas incognitarum agnationum pudenda nomina, & recentium, ac præpotentium affinitatum ridicula commenta, cum dicit quis de aliquo ſubitaneo propinquo. Et hoc maximè, ut dixi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, et qui niſi potentes eſſent, parentes forſitan nõ fuiſſent.* De iſtis fortaſſe dicere potero, quòd fundamenta generationis, & generationis ſuſcitant; quia relicta humilium maiorum ſerie, ſi quos nobiles audiunt, ſtatim ſibi parentes aſciſcunt.

Saluianus Maſſi. Clauſtraliũ aliquorum demẽtia, qui parẽtes negare ſolent, quia humiles; extraneos auos, & proauos vocant, quia nobiles, ac potentes.

3 Magnus ille Paduanæ Ciuitatis iubar Antonius, verba illa; *Præteriens Ieſus, uidit hominem cæcum à natiuitate.* Ioan. 9. conſiderans; diuerſas mentis humanæ cęcitates aſſignat, nàm, certum eſt, peccatum quodlibet mentis cęcitatem inducere, iuxtà illud Sapien. 2. *Excęcauit enim illos malitia eorum,* & Sophonię 1. *Ambulabũt, ut cæci, quia Domino peccauerunt;* verùm in cæcitate à natiuitate magis inſiſtens, acutiùs, quęnam ſit hæc cęcitas, inquirit, & relicta ſubtili Auguſtini expoſitione: cæcitatem hanc illam exprimere aſſerit, quæ per peccatum primo homini contigit, illumquè eſſe à natiuitate cæcum autumat, qui ex proprio ortu, & genere excæcatur, nobiliorem ſe quàm par eſt exiſtimans, atquè declarans. Sic ipſe fer. 4. Dom. 4. quadr. *Quidam excęcantur honoribus: homo cùm in honore eſſet non intellexit. Quidam excęcantur longa conſuetudine peccatorum: comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut uiderem. Quidam excęcantur ex proprio ortu, et ex proprio genere, et tales creantur cęci à natiuitate.* Et ſtatim quonã pacto à ſęculo nũquàm fuiſſe auditum, aliquem oculos cęci nati aperuiſſe, ſit intelligendum; ſubdit, hunc dicens in modum. *O quot ſunt cæci hac cęcitate percuſſi! Dixit enim optimè iſte ſanctus cæcus. A ſeculo non eſt auditum. Non à ſeculo, quia omnis homo, ſi ad ſeculum, oculum conuertat erit cęcus à natiuitate, nam circa ſuos conſanguineos ſemper eſt homo cæcus, quia ſemper ipſi uidentur alios quantumcunquè meliores excedere: et ideò uolunt ſemper alios ſubiugare.* Apertiùs ac ſi diceret: contradictio equidèm eſt, ad ſeculum oculos vertere, & cæcum à natiuitate non eſſe; nàm qui ſeculum proſpicit, quãtumcumquè humilis generis, ſemper nobilitate tumeſcit.

Ioan. 9.

Peccatum cæcitas.

Sapien. c. 2.

Sophon. c. 1.

S. Ant. de Pad. Quis verè à natiuitate cæcus dici poſſit, oſtenditur.

4 Tecum nunc cogita, quid nam ſit, quòd vix ingreſſo coràm Tobia ſenę Angelo, quem virum exiſtimabat, ſtatim ab ipſo de quo genere eſſet, popoſcit: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Tobiæ 5. & fortè dices, quòd vt, à quo filius duceretur, agnoſceret, familiam ducentis poſcebat & domum, vt cognito viæ ductore de filio non vltrà ſolicitus, in vtramuis aurẽ ſecurus dormiret; textualis equidem reſponſio, at mihi cur tàm cito mercenarij genus popoſcerit, fateri ſi liceret, dicerem vtiquè, quòd fortè ob id etiam de tribu, & domo eſſlagitauerit, vt videret, an mercenarius etiam ſuam extolleret ſobolem, ſeque magnatis alicuius, vt aſſolet, filium prædicaret: ſed quidquid de hoc ſit (quod tranſitoriè dictũ exiſtima) ipſius Raphaelis verba: *Genus quæris mercenarij, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* ibid. libro, ac dico; cur te Angelum ſiles, O Raphael? cur te vnum de ſeptem, primis cæleſtis curiæ principibus, qui quotidiè ante dominum adſtant non fateris? Cur nõ declaras quis ſit magnus ille Azarias, cuius te tandẽ filiũ dicis? an alta tuę creationis principia à Deo sũmo parente immediatè procedentia, idcircò ſiles, vt à natiuitate cæcos tuo ſilentio illumines? prorsus ità; nàm tu, qui Deum per creationẽ parentem agnoſcis, relicta tuæ productionis eminentia, mercenarij tantùm tibi nomen arrogas? Vgo Card. ſuper citata Raphaelis verba: *Genus quæris mercenarij: Quaſi diceret, potius quærendum eſſet de moribus, & fideli ducatu*

Tob. c. 5.

Serui etiam magnatum ſe eſſe filios iactare ſolent.

Vgo Card.

catu filij sui, quàm de genere: & percussit Angelus hic eos, qui potiùs quærunt genus nobilitatis, quàm gratiam: Et Cornelius à Lapid. sancti huius Angeli admirans humilitatem: *Vide hic* (ait) *miram dignationem, & demissionem magni Sancti Raphaelis, qui se uocat, faciq; quasi seruum mercenarium Tobiæ.* Huius te memorem esse oportet, vt seculi cæcitate neglecta, videns voceris, dū sapis, quæ Dei sunt, non quæ hominū.

Cornel. à Lap.

Raphael Angelus demissè de se loquitur:

5 Oseas nunc auribus meis insonat: *Ephraim quasi auis auolauit*, cap. 9. quod audiens, ad D. Antonium de Padua pro explicatione recurro; vt quid per Ephraim, quidue per alas, & pennas significari existimet, explanare dignetur; & mihi respondere videtur: per Ephraim viles mūdanos, sicuti per duas alas, diuitias, & dignitates importari, sed esto per Ephraim mundanos figurari, quæ postea conuentio diuitiarum ad alas? quæ connexio inter dignitates, & plumas? magna equidem, præfatus respondet Antonius; nam si auis deplumis sursùm ascendere nequit, plumis verò referta statim se subleuat; non secùs viles mundani, quamdiù humilem, pauperemque vitam degunt, propriæ sobolis operiunt seriem; cùm verò diuitijs, ac dignitatibus plumescunt; tūc se suprà se eleuātes, propriumq; fastidientes genus, Procerum assumunt stemmata. Præfatus Antonius: *Multi hodiè sunt, qui quamdiù sunt implumes, ideſt, pauperes, & ignobiles, sunt in uido humilitatis; sed cùm habent alas, et plumas, ideſt, diuitias, et dignitates auolant, et superbiunt, et gloria eorum in aliis; cùm deberent omnes attendere quanta fuerit miseria eorum in conceptu, nutritione, et educatione.* Sanè vides, quàm propriæ sobolis immemores sint mundani, dùm vix digni, vel ad dignitatem aliquam cuccū, in primorum, aut optimatum proceres volare optant.

Oseas c. 9.

P. Ant. de Pad.

Diuitiæ, & dignitates duæ alæ, quibus mundani auolant, ac superbiūt

6 Longè aliter à modo dictis Illustres se gerere solent ac diuites, qui nobilitate non indigentes, demissè sepè de se, suisque loquuntur. Adsit pro hac re magnus ille Ioseph, qui cū diuitijs, & dignitate floreret, cùm totius Aegypti gubernacula teneret, cùm tantæ potestatis esset, quòd nullus in Aegypto absq; suo imperio manum, aut pedem mouere posset; tamèn Patris, ac Fratrum aduentum Pharaoni nunciare volens, his verbis vsus fuit: *Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: et sunt viri pastores ouium, curāq; habent alendorum gregum*, Genes. 46. & statim patri, ac fratribus cùm à Pharaone vocarentur, sic iussit respōderis: *Cùm vocauerit vos, et dixerit: Quod est opus uestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra usq; in præsēs, et nos, et patres nostri.* At quis te, tuosq: fratres de longa auorum serie percontatur, ò Ioseph, quòd respondere præcipis: *Viri pastores sumus nos, et patres nostri?* quod & si propterea dictum existimet Tostatus, quia præuidebat Ioseph quòd bellatores eos effecisset Pharao, & sic eos seiunxisset, quod non paruo patrem dolore affecisset: Tostat. *Hoc dicebat Ioseph ne rex faceret eos bellatores, et sic eos disiūgeret;* mihi tamen non multùm præsens arridet sententia, quia satis fuisset dicere: *Viri pastores sumus*, ac proindè imbelles, ad quid ergo patres etiam addunt: *Nos, et patres nostri?* Difficultatis solutionem Cornelius à Lapide attulit, cum dixit: *Nota Ioseph simplicitatē, quia fratres ad status non euehit, sed in arte pastoria, quam colebant, conseruat. Longè aliter faciunt hodiè, qui cùm humillimi prorsùs sint; tamen nobiles uideri uolunt; quiq; ad status euecti, suos pariter licèt ineptos eleuant cum suo, familiæ, et reipublicæ dāno, dedecore, et periculo;* Nō is magni Iacob filium, nec clarissimi Abrahę nepotem prædicabat Ioseph, sed vt veræ humilitatis forma, fratres, & parentes pastores vocat, vt vilium illorum clàm percutiat superbiam, qui genere humillimi, semper nobiles, ac illustres se iactant.

Iusti nūquā nobilitate tument, sed semper humillimi.

Tostatus.

Quàm pauperes, & viles superbire, tàm diuites, ac nobiles humiles esse volunt.

7 Et nè inter tot pauperes superbos vnum tāntùm nobilem, humilem, ac diuitem demissum existimes Iosephum, quid de Moysę adoptiuam filiationem Pharaonis filiæ recusante, ac inter suos degentem dixerit Greg. Nyss. de vita Moysi, audi: *Cùm verò in regia educatione, deliniaque seculari, ephebis iam esse egressus, inhumanè degere apud suos malis, quàm filium illius, cūius*

Greg. Nysse. Moyses latium fugit.

cuius adoptatus in filium erat, matrem profiteri. De Daniele, qui cùm ex regio
Daniel c. 1. deſcenderet ſemine, iuxta illud: *Et ait Rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Iſrael, et de ſemine regio, et tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, etc.* Dan. 1. ipſe tamē ſe non regis ſobolem, ſed tantùm de
Daniel ſe de ſemine regio minimè declarat. filijs Iudæ vocabat: *Fuerunt ergo inter eos de filijs Iuda, Daniel,* ibid. Theodoretum in gloſſa perquire, & dicentem reperies: *Licèt illius intueri modeſtiam. Cùm enim ſupra dixerit, electos ex ſtirpe regia iuuenes formoſos, et decoros, et per hoc perſonarum nomina poſuerit, Tribus Iudæ ſimpliciter mentionem fecit, et regiam cognationem occultauit.*

8 Quis poſteà Saluatore noſtro præclariorē tamen rex regū cùm eſſet, & dominus dominantium, cui tàm terreſtria, quàm Cęleſtia curuantur, quotiès regale ſuum genus ſecūdùm carnem operire poterat, libenter operiebat; hinc quotiès ab ipſo Dauidem nominatum aſſerunt Euangeliſtæ, totiès ſine titulo, aut dignitate aliqua illum appellaſſe reperio: *Non legiſtis quid fecerit Dauid, quando eſuriit?* Matth. c. 12. Matt. 12. *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo? etc.* Matth. 22. *Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe Dauid?* Marc. 12. & alibi ſæpè, cùm non ſine regali nomine eum nuncupare ſoleat Euangeliſtæ, dicēte Matth. *Rex autem DD. genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ* cap. 1. & non ob aliud, vt benè adnotauit Chryſoſt. homil. 40. ſuper modò citatum Matth. locum: *Non legiſtis quid fecit Dauid?* niſi, quia ab illo ſecūdùm carnem originem ducebat, ne ſuum videretur genus extollere, dignitatem ſilebat: *Cur autem cùm Dauid mentionem faciat,* quærit præfatus Chryſoſt. *neque hic, neq; alibi adiecta dignitate, nunquàm nominauit?* Reſpondet: *Ideò forſan quoniam ſecūdùm ſeriem generis ab illo trahebat originem.* Ecce quàm à mundanis diſtet ſuprema maieſtas, nàm quod illi mentientes iactant, hæc iuſtè ſibi conueniès tranſit, & celat.

9 At ſi parua ſunt hæc, mundanā Saluatorem ſubticuiſſe nobilitatem: audi quid in maieſtatis ſolio coràm Angelorum, & hominū myriadibus dicturus ſit: *Quamdiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25. ergo, qui Dauid nec patrē, nec regem vocabat, miſellos, & infimos cōſanguineos vocabit, & fratres? Ità ſanè aut Imperfectus homil. 54. vt ignobilium arrogantium confundat ſuperbiam: *Ecce homo, ſi ex humili generatur, et Deo præſtante, ad aliquam aſcenderit dignitatem, erubeſcit generationem ſuam audire: ſi quis dixerit cum illius eſſe filium, indignatur ſeipſum confiteri q. eſt, vt appareat q. nō eſt. Et Chriſtus adhùc gloriabitur pauperes fratres ſuos dicere, ſedens in maieſtate. Et meritò, quia veniens in iudicium non mutauit voluntatem priorem.* Citatus Imperfectus. Statuat ſibi ſpeculam, conſtituat ſibi amaritudinem, qui nobilitatis nomen affectat, reſpiciat ad Abraham patrem ſuum, hoc eſt, ad Chriſtum, & ad Saram, quæ peperit eum, ideſt, ad Sanctos, quorum exemplo renaſci debet, vt honorem abijcere, humilitatemq; amplexari addiſcat.

Matt. c. 25. Minimos, fratres vocabit in iudicio Chriſtus.

Imperfect. Vile, erubeſcentes videri quod ſint, appetunt q non ſunt.

Chriſtus nobilitatis nomen abhorrebat.

Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in Ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi quæcunque feci. Ioan. cap. 4.

§. III.

Procul à Verbi Dei præconibus ſit auri cupiditas.

1 AVaritiæ mala D. deſcripſit Zeno ſer. 3. *Eſt. n. auaritia libido profunda: cupiditas cæca, tempeſtas inſana: rapacitas ſine fine: ſolicitudo ſine requie: ad ſua nunquam peruenies vota: quia ſatiari non nouit: fidem frangit: charitatem negligit: iuſtitiam negat: non cognoſcit affectus: Iura diuina contemnit. humana verſutis argumentis excludit. Vultis ſcire quale calamitatis ſit genus? ſanè plùs in-*

D. Zeno. Auaritiæ mala deſcribuntur.

Digitized by Google

eum, qui eam dilexerit, fouit; quam qui uicerit, habebit uitam æternam. Et ante ipsum omnium scelerum genitricem vocauit Democritus, cùm ait: *Auaritia omnis improbitatis est metropolis*, apud Stob. Quod etiam ex Menãdro habetur: *Cupida habendi aliena, maximum malum*; & paulò infrà:

Id nempè dicis omnium, quod est caput Malorum; auaritiam mihi cùm nominas.

Democrit.

Menander.

Quæ cùm talis sit, etsi nullus inueniatur, quem non dedeceat; in principibus tamèn, rempublicamq; gubernãtibus satis fædior apparere solet, dicente Tullio 2. offic. *Nullum est vitium latius, quàm auaritia, præsertim in principibus, & rempublicam gubernantibus. Habere rem quæstui reipublicam, non modò turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium.* Sic auaritiam in omnibus, præcipuè tamèn in rempublicam regentibus carpsere scriptores; ex quo deduco; quòd si pascere, & docere; præesse, & prædicare, iuxtà Pauli doctrinam, idem est, ad Ephesios 4. scribẽte ipso: *Alios dedit pastores, & doctores*; quam fœda in pastoribus, tàm detestabilis in Concionatoribus est; Vndè Saluator discipulos concionatores instituens, quàm eos omnis cupiditatis expertes esse oporteret, sequẽtibus verbis edocuit: *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum Cœlorum. Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris: nõ peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam*, Matth. 10. Quæ considerans Ambrosius, sic consequenter inquit: *Qualis ergo esse debet, qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur, hoc est, vt subsidij sæcularis adminicula non requirat, fideiq; totus inhærens, putet quominùs ista requirat, magis posse suppetere.* Optimè rem intellexit hanc gentilis illa Samaritana, quæ vt se Christi discipulam, multorumq; magistram iàm effectam agnouit, antequàm magisterij subiret honorem, & vt clariùs dicam, priusquàm Saluatoris magnalia prædicaret, omnis terrenæ cupiditatis hydriam reliquit: *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumq; feci: numquid ipse est Christus?* Ioann. 4. patentiùs ac si dixisset; prædicandi munus non assumat, qui cupiditatibus tenetur terrenis, concupiscentiæ hydriam priùs relinquat, & tunc ad concionandum procedat. Ità Augustin. in catena relatus: *Proiecit ergo cupiditatem, & properauit annunciare ueritatem. Discant qui volunt euangelizare, ut priùs hydriam ad puteum proijciãt.* Sanè vides mulierem hanc antè magisterij cathedram fuisse assecutam, quàm discipulatus subiret officium, dùm quomodò Concionatores se gerere deberent, edocuit.

Tullius.

In Principibus, ac præfatis execrãda.

Ephes. c. 4.

Matt. c. 10.

Ambrosius.

Procùl ab omni cupiditate Concionatores esse debent.

Ioan. c. 4.

August.

Samaritana antequam Christum annũciaret, hydriam relinquendo, Concionatores, quid agere debeant, edocuit.

2 Huic excursui, quòd nempè omnis cupiditatis expers esse debeat Concionator, ianuam aperiant verba illa Petri: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do*, Actorum 3. quæ, meo consilio, non modicam pariunt difficultatem: Cur antequàm Petrus claudum sanaret, ac templum Christi nomen annunciaturus ingrederetur, se auro, argentoq; expoliatum diceret? Prò cuius quæstionis solutione ad illum scripturæ locum recurro: *In uiam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes; Quia appropinquauit regnum Cœlorum.* Matth. cap. 10. & quæ nam sit hæc gentium via, in quam Apostolos ire vetuit Saluator, inquiro? & licèt communis sit opinio, per hanc viam ad gentiles accessum intelligi debere; nàm Saluator Israeli priùs prædicari præcepit, quo respuẽte euangelium, iusta fieret ad gẽtium transmeatio. Ità reliquos vt omittam Gorranus: *In uiam gentium ne abieritis, id est, ad gentiles ne abeatis primò prædicare; Vndè Hieronym. Prius oportet prædicare Iudæis nè causam habeant non recipiendi.* Tamèn si ad mysticam loci interpretationem mihi confugere licebit; dicam, per vias, mores in scripturis intelligi solere, iuxtà illud 1. Reg. 3. *Non ambulauerunt filij illius in uijs eius*, & 3. Reg. 15. *Fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in uijs patris sui, & in peccatis eius*; & Ierem. 2. *Vide uias tuas in conualle*, & infrà; *Quam nimis facta es nimis, iterans uias*

Matt. c. 10.

Via gẽtium de qua Saluator *in uiã gentium ne abieritis*. Quæ?

Gorranus.

1. Reg. c. 3.

Reg. 3. c. 15.

Ierem. c. 2.

Digitized by Google

Per viam in scripturis mores multorum significantur *Brugensis.*

uias tuas, & alibi sæpè. Ergo in viam gentium non ire, est mores gentium non sectari; quod dixit Brugensis super citatum Matt. locum: *Vias gentium vocant Prophetæ, prophanos, & impios illorum mores*: mores autem gentium ad rem nostram erant, diuitias diuitijs aggerare, iuxtà illud ipsiusmet Saluatoris: *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt*, Matt. 6. Vndè Chrysost. hom. 23. operis imperfecti: *Sicut paulò ante gentium exemplo eos ad perfectiorem charitatem inuitat, dicens: Si enim diligitis eos, qui vos &c. nonnè & Ethnici hoc faciunt? sic nunc commemoratione gentilium eos ad id, quod perfectius erat, inuitauit. Et quæ, inquit, amplior est fiducia vestra in Deo, quàm gentium?* Igitur à primo ad vltimum, vias gentium prohibere, idem erat, ac thesaurizādi cupidinem coercere. Verùm te minimè fugiat, quòd priùs gentium vias prohibuit, & postea ad prædicādum destinauit: *In vias gentium ne abieritis &c. euntes autem prædicate*; quia, vt rectus ordo seruetur, antea terrena sunt abijcienda, quàm prædicatio inchoāda; quo obseruauit Toletus annot. 5. super caput Lucæ 9. *Matthæus narrat primum præceptum iniunctum Apostolis, quod quidem Marcus & Lucas prætermiserūt, id autem tale est: In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Et paulò infrà: *Post hoc præceptum adiunxit secundum, vt infert Matthæus: Prædicate, inquit, dicentes: appropinquauit regnum Cœlorum.* Itaq; rectus prædicādi ordo est, priùs viam gentium, hoc est, thesaurizandi cupiditatem reijcere, & posteà concionem inchoare. Ità sanè. Audi nunc sublime mysterium. Cur Petrus priùs se aurum, argentumq; non habere testetur, quàm templum ad prædicandum ingrediatur? Vt declararet, vtiquè rectum seruasse se ordinem; nempè, antea gentium vias, hoc est, cupiditates esse respuendas, quàm concionem inchoandam. Sit pro hac re Carthusianus super cap. 3. act. 3. *Omnia, inquit, propter Christum reliquit, nec pecunias à cōuersis, Apostolorum ad pedes positas, in suum vsum conuertit, secumquè detulit; Quia audierat à Christo: nihil tuleritis in uia, neq; pecuniam.* Ecce tibi, cur antequàm concionem inciperet Petrus, se nihil habere testatus est; quia iàm à Christo audierat, in vias gētium non esse quadum, nihilq; in via portandū; & sic aliq; cupiditate vlla, ad gētium conuersionem incedēdum: propterea Petrus, vt idoneum se tanti Magistri præseferret discipulum, antea auri, argentique se declarat expertem, quàm templum ingrediatur, sermonemque incipiat.

Toletus.

Rectus prædicādi ordo describitur.

Petrus non priùs concionem inchoat, quàm se pauperē declaret. *Carthusian.*

3. Quærit pro hoc argumento Paulus de Palacio super locum illum Matt. 4. *Vidit duos fratres, Petrum, & Andream mittentes rete in mare: erant enim piscatores.* Cur piscatores potius, quàm alios artifices ad prædicandi munus elegerit Saluator? & statim duas adducit solutiones, quarum vna est: Quoscunq; opifices instrumentis saltem ad suum opificium spectantibus indigere, & sic aliquid habent; Piscatores autem nihil prorsùs, nisi retia habere solent; & cùm rete euangelicam doctrinā significet, iuxtà illud, *Simile est regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*, Matth. 13. super quæ verba Gorranus: *Simile est regnum Cœlorum, id est euangelica prædicatio (sagenæ) id est, doctrinæ diuulgatæ (in mare) id est, in mūdo*; Prædicatores, euangelica doctrina excepta, nihil prorsus habere debent. Ità præfatus Paulus: *Sanè piscatores nihil ferè habent suum; nisi rete. O vtinam prædicatores nihil vellent habere suum, nisi verbum diuinum, quod esset eorum meditatio, die, nocteque!* Altera verò, quòd propterea piscatores ad Dei Verbum disseminandum elegit; quia tales adeò rudes esse solent, vt excepta piscandi arte, omnium aliarum sint ità ignari, vt diuitias etiam si velint acquirere nesciant. Præfatus Paulus de Pal. *Ideò elegit homines adeò rudes, vt etiamsi vellent, nō possent aliquid humanarum opum rei admiscere diuinæ.* Sanè quàm à verbi diuini præconibus auaritia procùl esse debeat intelligis; dùm illos ad prædicandum eligit, qui licet ad opes aspirent; ad illas tamen sibi comparandas, sunt prorsus inepti.

Matt. c. 4.

Matt. c 13.

Gorranus.

Paulus de Pal.

Cur piscatores ad prædicandum electi, non alij artifices.

Idem.

Digitized by Google

gatus, vt scripturam illam, quam à digitis quibusdam in pariete exaratam viderat, interpretaretur; ipse quamuis excidium regni, regisq; internecionē contineret, illam explanare minimè
Daniel.c.5. fuit veritus, dicens: *Mane: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel: appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Phares: diuisum est regnū tuum, & datum est Medis, & Persis.* c.5. nec ob aliud sanè puto tantam in eo animi constantiam, ac increpandi libertatem fuisse repertam, nisi quia munera respuerat regalia. Ità paulò
Ibid. superius: *Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, Rex*, ibid. ac si diceret: quonam pacto scripturæ interpretationem tibi ostendere potero, si tua accepero dona? quis est qui nesciat, olla canes reddere mutos; quia quamdiù ipsa in ore habent, latrare minime valent? num uis, vt & ego Canis mutus euadam? Tua sint, munera tua; & ego ab omni cupidine liber, veritatem fatebor, teque absq; timore vlo arguam. Audiendus est Carthusianus art.6. super citatum Danielis locum:
Carthusian. *Constantia, iustitia, atq; perfectio Danielis enituit, quia nihil veritus est, nec pro spirituali, temporale accipere voluit, atq; in omnibus ordinatè processit.* O si hunc æmularentur Concionatores! O si manus ab omni munere excuterent!

Concionatores quæ sua sunt, nō quæ Dei quærentes canes muti.

Dan. el à cupiditate liber, nec reges corrige re verebatur

Sanè de ipsis dici posset: Hi sunt, qui erudiunt multos: Qui fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.

Rogabant eum Discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Ioan. 4.

§. IV.

Cibus animæ virtus: Cibus Dei Animæ virtute prædita.

1 PEccata, vitia, atque scelera, peccatorum fercula esse, benè adnotauit Philippus de Greue sermone 87. super psal.36. exponens illud Iob 30. *Radix iuniperorum erat cibus eorum: De hac iunipero* (ait ipse) *dicitur Iob 30. Radix iniperorum erat cibus eorum. Et fit hoc, dùm peccator delectatur in voluptate temporali, quæ initium est æterni supplicij.*
Philippus de Greue.

Scelera peccatorum dapes.

Peccatorem autem Diaboli esse escam, manifestum est ex eo, quod ad serpentem, & Protoplastum in initio dierum sæculi dixit Altissimus: nam illum supplicio (vt fas erat) afficiendo, hæc inter cætera ait: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, Genes.3. hunc autem plectendo, his verbis concluſit: *In sudore vultus tui vescēris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reuerteris*; ibid.
Genes. c.3.

Et sic serpentem terram comesturum prædicendo, & hominem per peccatum terram esse, & in terram fore cōuertēdum, denunciādo; peccatorem per peccatum, Diaboli cibum effici, satis aperte declarat. Ita Isidorus lib.1. sent.c.13. *Homo per peccatum traditus est Diabolo quando audiuit: terra es, & in terram ibis. Tunc enim dictum est, & Diabolo terram manducabis; vnde & Propheta ait serpenti: pulvis est panis eius; Serpens enim diabolus est, pulvis impij; & ipsi sūt cibus diaboli.*

Vitia, vitiosum Diaboli cibum effici sunt.
Isid. Hispal.

Virtutes postea, quæ spirituales animarum iustarum epulæ sunt, (dicente præfato Philippo, loc.cit. *Spirituales equidem epulæ*
Idem.

Digitized by Google

lacrymæ sunt pœnitentium. Vnde fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.) virtute præditum, si fas est dicere, Dei cibum efficiunt: vtrumq; verò, nempè, quòd virtutes iustorum sint dapes, & quòd iusti Dei cibaria sint, optimè idem declarauit Philippus loco superiùs allato, verba trutinans illa: *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, Apocal. 3. dicendo: *In operibus pœnitentiæ ipse comedit nobiscum, & nos cum eo. Ipse nobiscum dùm adhibemus motum liberi arbitrij: nos cum ipso, dùm apponit gratiæ condimentum: & hoc est symbolum eius.* Ex quibus satis apertè, & virtutes iustorum fercula, & iustos suauissimas Dei dapes vocari cōstat: Quod ex sequētibus satis clarius patebit; nam de peccatorum, & dæmonum cibis, nostrum præsentia nequaquam erit sermo.

Apoc. c. 3.

Idem.

Virtutes virtuosorū fercula; & virtute prædicti Dei dapes

2 Hominem quendam cœnam magnam fecisse, ad ipsamque multos vocasse per Lucam. cap. 14. ait Saluator: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Hominem hunc, ipsummet Saluatorē esse ait Gorranus; *Homo quidam, scilicet Christus, qui homo est.* Cœnam autem magnam; vel vltimam, in qua Eucharistiæ institutum fuit Sacramentum, vel ipsam Beatorū gloriam cœnam sæpe numero in sacris paginis vocatam figurasse, vt idem dixit Gorranus: *Homo iste (Fecit cœnam magnam) idest, præparauit futuræ gloriæ refectionem, quæ cœna appellatur*, communiter sentiunt sacræ scripturæ Expositores. Magnus tamen Antonius de Padua sub nomine hominis istius; peccatorem etiam, cœnam magnam quandoq; facientem significari asserit, quod quidèm latiùs explicat, dicendo: cùm peccator vitia abijcit, scelera deflet, & ipsorum loco oppositas virtutes amplectitur, tunc pœnitens iste cœnam magnam facit animæ suæ, cùm virtutes spirituales sint animarū fercula. Audi ipsum: *Cœna dicitur conuersio peccatoris, quæ dicitur cœna magna; quia ibi sunt magnæ epulæ. Felix sapientia, magna lætitia. Magnæ epulæ sunt, magnæ consolationis. Nàm multitudinem dolorum in corde peccatoris consolatur Dominus lætitia magna.* Attende quæso verba illa; *dicitur cœna magna, quia ibi sunt magnæ epulæ*; & quàm verum sit virtutes animarum esse dapes, percipies,

Luc. c. 14.

Gorranus.

Idem.

S. Antonin.

Cœnam magnam facit animæ suæ pœnitens, quādo à vitijs ad virtutes conuertitur.

3 Verùm quia hominem quendā cœnam magnam fecisse iàm diximus; quid de Matthæi conuersione Lucas scribat, subdo: *Fecit ei conuiuium magnū Leui in domo sua* cap. 5. at cui Leui cōuiuium hoc fecisse existimas, dùm legis: *Fecit ei conuiuium magnum*? certè dices Christo. Ità quidèm; sed si præterea sibi magis conuiuium hoc fecisse, quàm Christo audires, an crederes? & tamen verum est, quia homo iste, præteritam fatidiens vitam, nouamq; assumens, magnam in proprij corporis domo animæ suæ cœnam fecit. Ita Ambrosius: *Conuiuij quoque magni exhibet apparatum: Qui .n. in domicilio Christum recipit interno; maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.* Quis cœcus igitur, illud, quòd paulò superiùs diximus, quòd scilicet qui à vitijs ad virtutes conuertitur, cœnam magnam animæ suæ exhibet, non videbit, si homo iste (de quo modò loquimur) Christo quidèm, sed si dicere licet, sibi magis conuiuium fecit, dùm telonio relicto euangelicam amplexus est vitam?

Luc. cap. 5.

Ambros.

Matthæus cœnam magnā animæ suæ fecit, quando ad meliorē frugem conuersus est.

4 Reperio hanc veritatem, satis vt splendidè, opiparèq; illum cœnare, qui veteri expoliato homine, nouo induitur, qui secundùm Christum creatus est, in ea cœna Domino facta, de qua Ioan. 12. *Fecerunt autem ei cœnā ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo:* nàm si benè aduertis, nullum alium cùm Domino cœnasse explicitè describitur, nisi Lazarum; cùm tamen discipulos etiam cum Magistro recubuisse ex eodem Ioanne colligatur: Quod ob id factum censeo, quia iugiter iusti cum Domino epulantur, dicente Dauide: *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.* psal. 47. ideò cum Christo illos discubuisse explicitè describere necesse minimè fuit; Lazarus verò, quia paulò ante redditus è sepulchro fuerat assumptus, pœnitentis erat figura, qui quamdiù in peccato erat, famem patiebatur vt cānis;

Ioan. c. 12.

Psal. 47.

Digitized by Google

nis; nunc in melius vitam mutando spiritualibus reficiebatur dapibus; propterea discipulorum, vt Christi sodalium, expressa nulla fit mentio; Lazarus verò quia nouus erat conuiua describitur: *Fit cœna in fide, & deuotione iustorum*, ait Glossa, *Martha ministrat, idest, dum quilibet fidelis opera deuotionis Domino impendit. Lazarus, idest, suscitati de grauibus cum his, qui manserunt in iustitia, læti epulantur de præsentia Domini.*

Gloss. ord.

Iusti, Christi sodales.

5 Et quidem tàm lautè de Domini præsentia epulatur, qui à vitijs ad virtutes conuertitur, quòd primus conuersionis dies, Pascha (vt ita dicã) pro ipso vocari meritò possit: Quia, si assiduè spiritualem inediam patiuntur peccatores, iuxtà illud. *Famem patientur vt canes*, psal. 58. & illud: *Mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*, Amos 8. & posteà cùm ad meliorem conuertuntur frugẽ, epulari incipiunt: *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis* psal. 41. ergo in peccatis existentes ieiunant, pœnitẽtiam autem agentes Paschatis diem agunt. Optimè rem cõfirmat Glossa super illud: *Propè erat pascha dies festus Iudæorum*, Ioan. cap. 2. his verbis: *Pascha agimus, dùm à vitijs ad virtutes transimus.*

Peccatores sẽper fame fcunt.

Psal. 58.

Amos c. 8.

Psal. 41.

Paschatis diem agit, qui a vitijs ad virtutes conuertitur.

6 Veritatem expertus est hanc Adolescens ille, qui quamdiù procul à patre erat, tamdiù famescens arctè ieiunabat, ipsomet dicente: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo* Luc. 15. cuius adolescentis figuram ad populum gentilem vertens Glossa, ait: *Consumptis bonis naturalibus inutiliter, passus est populus gentilis inediam. Sustinuit .n. famem verbi Dei, famẽ virtutum, famem bonorum operum*: vbi verò ad patrem ipsum rediisse describitur, statim epulando, paschatis diem, quodãmodò, celebrasse narratur: *Mãducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperũt epulari:* ibid. Beda: *Nõ solùm filius prò quo vitulus occisus est, reficitur; sed & pater, & serui eius, in cuius rei figuram dicitur: Epulaberis in festiuitate tua, tu & filius tuus, & ancilla, Leuites quoque, & aduena, & pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt.* Ex quibus omnibus quàm verum sit, virtutes virtuosorum fercula esse, facilè percipies,

Ioan. cap. 2.

Luc. c. 15.

Glos.

Filius prodigus procul à patre arctè ieiunabat, quia parce, maleque comedebat.

Beda.

7 Si autem his minimè acquiescens, alia pro hac ratione quæris argumenta, DD. scrutare, & videbis; quòd eam ob causam lacrymas panes vocabat; *Fuerũt lacrymæ meæ panes die ac nocte*, psalm. 41. quia sicut pane vita n temporalem tuemur, sic lacrymis, & pœnitentia, spiritualiter anima nutritur. Bernardinus Senens. tom. 3. serm. 7. cap. 1. *Spero Domine, quòd gratia tua ità cor nostrum immutabit, ad compunctionem, & fletum, quòd in ipso fletu pro peccatis ità delectabimur, sicut in cibo, & potu.* Idipsum etiam Isaiam si leges, dixisse comperies: *Panis eius datus est, aquæ eius fideles sunt.* cap. 33. super quæ verba Hector Pinctus: *Poteris per has aquas virtutes intelligere, quæ sunt animi pabulum, & nutrimentum quæ viris iustis nunquam desunt, ideò fideles, & perennes appellantur.* Hic est panis, & hæ sunt aquæ, quas priùs in peccati statu attingere maximè horrebat peccator, posteà suauissimi appellantur pœnitentis cibi, vt aiebat Iob. 6. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.* Anton. de Pad. *Pœnitenti .n. præ angustia contritionis, quam sustinet pro peccatis, vigiliarũ instantia, lacrymarum abundantia, ieiuniorum frequentia sunt quidam quasi dulcissimi cibi, quos priusquàm rediret ad pœnitentiam anima, idest, sensualitas eius tẽ poralibus satiata, tangere abhorrebat.* Has dapes semel qui gustat, non nauseam, nec fastidium, sed assiduam esuriem generare, ad Ecclesiasticum si oculos vertes, inuenies: *Qui edunt me, adhùc esurient: & qui bibunt me, adhùc sitient*, cap. 24. ex quo Bernard. Senens. art. 3. cap. 1. exclamat: *O immensa charitas, et pietas dulcedinis Dei! cùm te amare, edere sit; quomodo te amantes sic reficis, vt magis esuriant cùm repleti fuerint, nisi quia tu es charitas infinita, simùl cibus, et esuries?* Prò suauissimo hoc cibo epulas omnes Tobiam reliquisse, qui ipsius scrutabitur historiam, reperiet; cùm de ipso habeatur: *Statimq; exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus*, cap. 2. vbi Interl. addit: *Cibum animæ, cibo corporis*

Psal. 41.

S. Bernard. Senens.

Lacrymæ pœnitentium panis.

Isai. c. 33.

Hect. Pinct.

Iob c. 6.

D. Ant. de Pad.

Pœnitentia antequã incohetur amara, gustata postmodũ dulcis.

Eccles. c. 24

D. Bernard. Senens.

Spirituales delitiæ frangunt esuriem pariunt.

Tobiæ c. 2.

Prò charitatis operibus mensa relinquenda est.

Gloss. interl.

Digitized by Google

poris præferas. Hic tandem est ille Eliæ, hoc est, penitentis panis, quo spiritualiter roboratus, in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, per totam scilicet vitam, currit, vsq; dum ad montem Dei Horeb, ideſt, ad cœlestem gloriam perueniat. Ità dixit Philippus de Greue loco superius allato. Vndè optimè concluſit Auguſt. ſuper illud pſalm. 100. *Superbo oculo, & inſatiabili corde: Habet epulas ſuas cor pium, habet epulas ſuas cor ſuperbum. Nàm propter cibos ipſos cordis ſuperbi: ideò dixit, inſatiabili corde. Cor ſuperbum vndè paſcitur? Si ſuperbus eſt, inuidus eſt: aliter eſſe non poteſt. Omnis ergo ſuperbus, inuidus eſt: & ſi inuidus eſt, malis alienis paſcitur. Vndè dicit Apoſtolus: Si mordetis, & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem conſumamini*, & ſtatim: *Habent ergo impij epulas ſuas, habent & pij. Audi epulas piorum: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur.*

S. Auguſt.

Piorum, impiorumque epulæ quæ?

8 Quòd poſtea virtute pollens Dei fit bolus, ex eo maximè colligo; quia ipſum triticum vocatū reperio, vt videre eſt in parabola de zizanijs: *Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis, & triticum*, Matt. 13. vbi ſicut per loliū, malos, ſic per triticum, bonos figurari communiter ſentiunt Doctores. Quæ res non paruam mihi ingeſſiſſet difficultatem: cur, ſcilicet, tritico comparentur iuſti; niſi ex eame Antonius extraxiſſet de Padua, qui ait: propterea iuſtos frumento cōparari, quia vt ex frumento panis cōficitur, qui præcipuum eſt hominis alimentum, dicente Dauide: *Panis cor hominis confirmet.* pſalm. 103. Sic iuſti tribulationum mola attriti, lacrymis ſubacti, charitateque decocti; ſuauiſſimus oris diuini panis efficiuntur. Sic præfatus Antonius locum illum: *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit* Ioann. 12. ad martyres reducendo exponit: *Granum frumenti eſt martyr, quod egreſſum eſt à plebe peccatorum, & rerum temporalium, virga timoris Domini; qui quaſi ſuper molam contritus eſt, quando varijs tormentis, & perſecutionibus caſus eſt. Et ſic de membris Martyris, factus eſt delicatus panis in odorem ſuauitatis Domino: qui in clibano eſt poſitus, quando paſſioni, & martyrio eſt expoſitus, & ſic curiæ paradiſi eſt præſentatus.*

Cur iuſtus triticum vocetur?

Matt. c. 13.

Pſal. 103.

Ioan. 6. 12.

S. Ant. de Pad.

Panis ſuauiſſimus oris diuini iuſtus

de vno mart. Audis quare tritico comparentur iuſti, quia ex ipſis panis mundiſſimus diuino ori deſeruiens, conficitur. Quod ſatis commodè inuictus ille Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum. Epiſcopus agnoſcens, vt refert Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis, rugientes Leones audiens, & contra ſe famelicos venire perſpiciens, clamare cœpit: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Felix panis, qui tanti oris cibus efficitur! Mirum non eſt, ſi in tempore meſſis dicet meſſoribus: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Matth. 13. quia non alterius, quàm diuini oris ex ipſo, panis perfici debet.

Ignatius mart. yr Chriſti frumentū ſe vocabat.

Matth. c. 13

9 Ad cuius dicti roborationem magnum Eliam adduco; qui miſſus ſemel à Deo in Sarephta ad mulierē quandam viduam, vt paſceretur ab illa, audiens quòd excepto farinæ pugillo, nihil aliud haberet omninò; *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantùm pugillus capere poteſt farinæ in hydria* 3. Reg. 17. ſtatim ei præcepit, non propriæ, nec filij ægeſtati primum conſulere, ſed ſuæ: *Mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericiū panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies poſtea*, ibid. At quid eſt hoc, quod dicis Elia, *Mihi primum fac ſubcineritium panem?* Si farinā omnibus inſufficientem præuidebas, ad quid tibi priùs panem effici iubes? An in mortis diſcrimine plus tibi, quàm ſibi, ac filio mulier conſulere tenetur? minimè quidem; Cur igitur nō ſibi, nec filio, ſed tibi priùs panem fieri mandas? An quia ſicuti tu in hoc Summi Parentis, ità panis iſte typus erat iuſtorum, ex quibus priùs Deo, quàm ſibi & Angelis mundiſſimus, ſuauiſſimuſq; panis confici debet? Ità præfatus Antonius fer. 2. heb. 3. ad iuſtum in Dei perſona loquitur. *Vade reuertere, ſcilicet, ad conſcientiam, accipe farinam de hydria, ideſt, cogitationes de corde, vt ait Gregorius. Quæ ſint trita inter duas molas, ſcilicet, inter ſpem, & timorem, vt idem dicit, & oleum de-*

Reg. 3. c. 17

Ibid.

D. Ant. de Pad.

Iustus non Angelorum, nec aliorū, sed Dei bolus.

uocationis, & fac mihi panem pœnitentiæ subcinericium, scilicet, humilitatis, & tūc tibi, & filio facies postea; quia pascendo Deum panc pœnitentiæ, pasces animam tuam, & corpus in vita æterna. Ecce tibi cur triticum hoc in horreum suū congregari præcipiat Dominus; vt ex ipso priùs sibi, quàm alijs panis perficiatur.

10 Panis hic adeò diuino congruit ori, vt propter ipsum cętera cūcta fastidiat conuiuia. Acutè veritas ista extrahi potest, ex conuiuio illo Pharisæi, in quo nec ipse, neq; ipsius epulæ laudatæ reperiuntur, sed peccatrix illa, quæ lacrymis plantas Saluatoris rigando, capillisque capitis sui tergendo, quod poterat præstabat obsequium; pro qua tandèm post multa

Luc. cap. 7. concluſit Saluator: *Remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multùm. Cui autē minùs dimittitur, minùs diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.* Luc. 7. nam si plùs mulier, quā Pharisæus laudatur; ergo lautius apud illā, quā apud hunc conuiuebat Saluator? Nil prorsus aliter, vt ipsemet paulò superius innuit, osculum, lacrymas, & alia mulieris obsequia commendans. At quod fuerit hoc conuiuium tàm gratum, quod Saluatori Magdalena exhibuit, pro quo illud Pharisæi fastidiens, istud laudat, & prædicat,

Chrysolog. explicat Chrysologus præsētibus verbis: *Dùm Pharisæus veste clarus, primus in sigmate, in ipsis oculis Christi tumens, epulis homini non Deo placiturus, festinus infunditur: Venit mulier: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuiū. Denique; & pœnitentia ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura, & ad delicias deitatis totas, totā pulsat cordis sui, & corporis symphoniā. Organi planctus dat clamorem. Citharam per suspiria longa modulatur. Gemitus aptat in fistulam. Dumq; taliter apportat diuinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportat,* ser. 93. Corpori conuiuium exhibebat Pharisæus, diuinitati mulier; materialia fercula apponebat ille, spiritalia hæc; quid mirū si Christus illa fastidiens, hæc extollit, atquè commendat?

Gratius Christo cōuiuiū Magdalena parat, quàm Pharisæus.

11 Ne graueris dùm de Magdalena loquimur, quid Marthæ ipsam incusanti, quòd solam se ministrātem reliquisset, respondit Saluator, audire; *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessariū. Mariæ optimam partem elegit.* Luc. 10. Quæ Christi verba perpendens Toletus annot. 70. super idem, conuiuium tale Magdalenam Domino pręparasse asserit, pro quo facilè omnis Marthæ repudiandus fuisset magnificentissimus mensæ apparatus: quale autē hoc fuerit Magdalenæ conuiuium, in persona Christi explicat ipse, dùm dicit: *Veni vt vos docerem; tu autem circa prandium occuparis, varijs ciborum generibus me vis excipere: alium cibum para, sermonibus meis attende, sororis desiderium imitare.* Ecce tibi Magdalenæ cōuiuium, ecce & Marthæ; hæc solicita in ministrando erat, illa in audiendo: hæc cupedia præparabat, illa auditū: sedula nimis hæc humanitati festinabat conuiuium, humilis nimis illa sui cordis buccellam diuinitati offerebat: meritò dictū est Marthæ, *alium cibum para*, nàm satis à conuiuio corporali spirituale distat.

Luc. c. 10.

Toletus.

Nō tā Marthæ laborātis, quàm Magdalenæ feriantis cōuiuium laudatur à Christo, & quare.

12 Tandèm, vt quàm spiritalis hæc buccella Domino sapiat, intelligere possis, vnum dico; quod etiam non vocatus ad illam accedere solet: moriar, nisi proprio ore ipse hoc dixit verbis illis: *Ecce stò ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Apoc. 3. Ergo non vocatus, & non inuitatus, quod rarò apud homines cōtingere assolet, seipsum inuitat? ità quidèm dicit ipse; nam adeò buccella hac delector, vt meipsum inuitare non erubescam. Optimè Cancellarius Parisiensis Philippus de Greue loco primitus allato; *Spirituales epulæ, ad quas Dominus inuitatur, vel aduocatur, sunt opera pœnitentiæ: imò non expectat, vt inuitetur, sed plerumq; ingerit se, quod plus existimandum est, quàm pretium totius conuiuij. Vndè ipse dicit Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso, &c.* felices epulæ sunt iusti, qui pœnitentia, & virtutibus conditi, tanti oris sapidæ efficiuntur buccellæ.

Apoc. c. 3.

Philipp. de Greu.

Iustorū conuiuiū adeò ori diuino suaue, vt etiā ad illud nō vocatus accedat.

D O-

Digitized by Google

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.

Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt manducent hi? Ioann. 6.

§. I.

Beneficiorum multitudine propterea nos obruit Altissimus, quia ipsis erga se amorem nostrum extorquere molitur.

Chrysost. 1 CHrysostomum in homil. 47. super Genes. qui lustrauerit, dixisse inuenies, Deum multotiès beneficiorum telis erga nos pugnare solere. Deus muneribus certat. *Certat Deus muneribus*; sic ipse loco modò allato. Immò non tantùm Deum muneribus, sed munera ipsa cum hominibus in hodierna Sancti Euangelij lectione certare reperio; nã quinq; panes cũ quinque millibus comedentibus pugnantes, tãdem vicit illi, quia expleti, amplius comedere non valuerunt, illi victores superstites remanserunt, dùm ex suis fragmentis duodecim cophinos repleuerunt Apostoli. Quod bellum luculentissimè describsit Euthymius sequentibus verbis: Euthymius. *Non sunt panes nisi quinque, manducantes autem plus millibus quinque. Illi manducant, panes crescunt, certamen sit inter panes, & homines, vincunt panes, superantur homines, illi sufficiunt, isti deficiunt; nisi n. manducare homines cessassent, fortasse in infinitum panes creuissent.* Pugnant cũ hominibus diuina beneficia. Cur autem adeò beneficus sit Deus, vtque acerrimè beneficijs erga nos pugnare velit, explicat idem Chrysostomus loco præfato dùm immediatè subdit: Chrysost. *Beneficijs vincit mentem nostram, & nostras cogitationes*; quod idem erat ac dicere; vt intellectum, & voluntatem nostram, vel, vt clarius dicam, vt amorem nostrum erga se vertat, beneficijs voluntatem superare conatur. Quam veritatem, beneficia nempè, amorem conciliare, declarauit Symmachus, qui benefactori dicere consueuerat: *Quid tibi pro tanta in me, meosq; cura dignum rependam? officia tua re vera æquare non possum; Spondeo tamen numquàm te cultu mentis, & affectione casurum.* Symmachus. Et Quintilianus senior declamat. 333. in. §. 11. Quintil. *Non fortunam tibi debeo, sed affectum*; *non exitum, sed voluntatem.* Et idem pro rapta repudiata amoris erga parentes rationem assignãs, beneficia in causa esse declarat: *Magnum beneficium est lucem dare. Idcò sunt parentes charissimi, nã illi vitam dant, non sentientibus.* Et tandèm beneficos beneficijs pugnare, quiq; beneficijs afficiuntur, victi dici debere, expressit Philo libro de Charitate, dùm dixit: *Qui beneficium accipit, inuitus ad reconciliationem trahitur, denicbus gratia, & qui profuit quasi pignus dedit animi tendentis ad amicitiam.* Philo. Beneficia inimicorum amorem cõciliant. Quod plusquàm verum cùm sit, mirũ non est, si tot beneficijs turbas in præsentiarum afficit Saluator, quia ipsas officijs veluti fortissimis iaculis vincendo (vltrà honorem, & cultum, qui sibi, quia summè bonus est competit) vt beneficus etiam, earum erga se amorẽ extorquere moliebatur; quod non aliter euenisse describit Ioannes, nàm beneficijs victa plebecula, ipsum Prophetam iàm diù expectatum prædicabat: *Illi ergo homines cùm vidissent* Ioan. c. 6.

Digitized by Google

quod Iesus fecerit signum, dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum: ipsumque regem facere voluerunt. *Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerẽt eũ regẽ, &c.* vbi Gorranus: *Postquàm descripta sunt suprà antecedentia ad mirabilem refectionem, & concomitantia: Hic describitur consequens, scilicet, turbarum deuotio ad Christum Iesum honorandum.* Ac si diceret, quòd Christum homines isti honorent, ipsumq; regem proclament, mirum non est; nàm amorem conciliare, beneficiorum proprium est.

Gorranus.

2 Feracem agrum auari illius, qui fructus vberes, non in famescentium viscerum horreis, sed intrà parietum septa recludere gestiebat, mente reuoluens Carthusianus art. 33. super caput Lucæ 12. Cur via iustius impij prosperaretur, obstupescit; & merito quidèm, nàm si diuitiarum copiam, & fructuum affluentiam, non ad proximorum, nec ad egenorum vtilitatem, sed ad sui cupidinem cumulabat, ad quid tanta concedebatur rerum exuberantia? *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam; quia non habeo quò congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam* Luc. 12. & tandèm Deum cõtrà ipsum non copijs, sed copia pugnasse asserit, nàm vt arcem sui cordis auaritia obseratum, & ingratitudine munitum expugnaret, non alijs instrumentis bellicis vti voluit, quàm beneficijs; vt sic victa ingratitudine, clausam reseraret arcem, amoremq; suum non ampliùs ad gazas, sed ad ipsum vincentem verteret omninò. Prælatus Carthusianus: *Deus naturaliter infiniteq; bonus ac pius, temporalia ista largitur iniquis, vt quantum in se est, per munificentiam suam trahat eos, et ad sui benefactoris inflammet amorem.* Si ingratissimus huiusce auari animus beneficijs vinci sperabatur, vt benefacientem amaret, cuius alterius, fortissimis his telis quin amet, resistere valebit?

Luc. c. 12.

Carthusian.

Beneficia erga benefactorem amorem inflammant.

3 His spiculis, nullisq; alijs munitus, fratrum odium erga se in amorem vergere vsum fuisse Ioseph comperio; quod vt aperiam locum illum adnoco: *Iussit ministris, vt implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibarijs in viã.* Gen. 42. Et quòd Ioseph frumenti pretium restituere, ac vlteriùs prouisionem prò itinere dare voluerit, magnum proculdubio primo apparebit intuitu, cùm non amoris, sed odij potiùs in illos occasionẽ haberet; Verùm matiriùs res si pensetur beneuolẽtiam potiùs, quàm asperitatem illis rependere debebat; Tùm quia persecutores beneficijs sunt afficiendi, cùm ad merendum apud Deũ valdè conducant; Tùm etiam quia eorum simultatem in amorem erga se voluere studebat, quod certè aliter obtinere minimè poterat, quàm beneficijs. Vnde Chrysost. hom. 64. super Genesim: *Vide quanta liberalitate vtatur, dùm etiam inuitis eis benefacit; non solùm dedit frumentum, sed etiam pecuniam.* Dominum fortè malefactoribus benefaciendum esse, vt illorum animi cicurẽtur docturum fore, præuidebat: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. Super quæ Imperfectus: *Sic præcipit; sciens, quia omnis dilectio ex beneficijs carnalibus nascitur, & nutritur;* propterea fratres, quos crudeles contra se sensérat, beneficijs cumulabat.

Genes. c. 42.

Chrysost.

Fratrũ odiũ contra se in amorem beneficijs mutauit Ioseph

Matt. c. 5.

Imperfectus

4 Verùm, quia Ioseph iste in omnibus Saluatoris semper gessit figurã, mirum non est, ait Prosper super citatum Genesis locum, quòd ingratis benefaciat, & immeritis; quia pijssimus Dominus noster, vt nos lucrifaciat, libenter nobis sua bona largitur: *Fratres Ioseph, (ait præfatus Prosper,) dederunt pecuniam in emptione frumenti, sed etiam accepto frumento receperunt; quia noster Ioseph non quærit nostra, sed nos. Gratis enim dat sua munera, & in nostra emptione ditiores nos facit.* Decebat, decebat, vt vltrà frumentum, pecuniam etiam Ioseph fratribus cõdonaret vt Christus, quem representabat, quibus nummis sibi nostrum cõciliaturus esset amorem, notum faceret.

Prosper.

Christus qua pecunia nostrũ emat amorẽ, ostẽditur?

5 Aperit nunc se mihi eximiæ difficultatis vnius ianua. Cur discipulos Iacobum, & Ioannem contrà Samaritanos Dominum excipere nolẽtes

tes indignatos, illosque, vt dignum censebant, igne cœlitùs plectere volentes: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de Cœlo, & consumat illos?* Luc. 9. durè nimis corripuerit Saluator: *Conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis* ibid. cùm Phinees, & Eliæ, & aliorum multorum laudata inueniatur austeritas, & commendatus zelus? Quia quo inuentu inimicorum animos vincere soleret Saluator, ignorabant; nesciebant equidem non tàm flagellis, quàm donis; non tàm verberibus, quàm muneribus inimicorum amorem ipsum sibi comparare consueuisse; propterea ipsos nescire cuius spiritus essent, asserebat. Brugensis super citatum Lucæ locum: *Declarat his verbis Iesus non congruere muneri suo, vt ipse concedat, quod Apostoli postulauerunt. Sunt enim non erat perdere peccatores, sed veniam eis per panitentiã promittere; patientia, beneficẽtia, modisq; amoris omnibus ad salutem attrahere.* Nota quæso verba illa, *beneficentia, modisque amoris omnibus ad salutem attrahere*; & qua militari arte animos vineat, percipies.

Luc. cap. 9.

Brugens.

Non verberibus, sed muneribus amorem nostrum erga se vertit.

6 Stupebam priùs, nunc autem multùm non miror, quam ob causam sermonem in monte habitum à beatitudinibus Saluator inchoare voluerit: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorũ est regnum Cœlorum. Beati mites, &c.* Matth. 5. Quia, ni fallor, turbas ad se venientes viderat, vt idem testatur Euangelista: *Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiẽs os suum docebat eos, dicens: Beati &c.* ibid. & ideò, quia eas non multùm erga se benevolas cognoscebat, vt illarũ lucraretur amorem, à Beatitudinibus, doniſq; incepit. Adsit Guerricus meã confirmans sententiam: *Gratum prorsùs nouæ principium testamenti. Gratum nouæ legis initium, quando in ipso statim initio tot beatitudinum benedictiones dat. Legislator, quibus dilectos de virtute in virtutem, donec ad videndum Deum Deorum in Sion ingrediamur.* hæc ipse. Et equidem quemadmodùm filio tenellas plantas terræ figere timenti, pomum pater ostendit, vt illo illectus ad ipsum eat, & sic securè ambulare addiscat; ità pijssimus noster pater, vt ad se turbas adhùc in sua doctrina tenellas traheret, & ad sui amorem adduceret, Beatitudines in sermonis exordio proposuit. Audiendus est Richardus super verba illa prouerb. cap. 17. *Gemma gratissima expectatio prastolantis*; vbi sic dicit: *Sicut cùm aliquis puerum per se nondùm ambulare scientem, vt eum in gressu proprio firmet, ostendit ei pomum, vel aliquid aliud, quod sui decore oculos eius alliciat, & desiderio excitet, vt rei conspectæ intentus ad eũ perueniat: sic Dominus, vt à tẽporalibus nos auocet, promittit aterna, vt rerum amorem labilium, meliorum desiderio superemus.* apud Tilmannum.

Matth. c. 5.

Ibid.

Guerricus.

Sermonem in mõte: cur à beatitudinibus inchoare voluerit Saluator, declaratur?

Prou. c. 17.

Richardus.

7 Plusquàm libenter nunc audirem, Cur languido illo, qui triginta, & octo annos habebat in infirmitate, tã instanter collatum sibi beneficium obijcitur? *Ecce, sanus factus es: Iàm noli peccare* Ioann. 5. nàm illa particula, *ecce*, multam habet vim, & illationẽ. Vndè Toletus: *Illa particula, ecce, multa indicat: primò quidem magnitudinem beneficij. Ecce, quasi diceret, à tàm diuturno, & desperato morbo, quo laborabas, sanus factus es. Secundò mirum modum, quo sanatus est, quasi diceret, ecce, inexpectato, & inaudito, ac insolito modo sanitatem consequutus es. Tertiò, continuam memoriam beneficij &c.* Qua igitur ex causa huic præcisè magis forsan, quàm vlli alij concessa valeundo opponitur? Et postquàm non semel difficultatem excutere studuerim, tandem ad mysticum sensum confugiens, illam facilè eiodauicùm per dictum languidi peccatoremiuncta multorum Patrum sententiam, figuratum reperiam, qui cùm duo à quadraginta desiderent, volunti dicit Augustinus annot. 17. in Io. Dei, scilicet, & proximi amor, vt ad amandum vterque incenderetur, accepta sanitatis obijcitur beneficium. Ità Vgo Card. in sens. moral. *Commemorat præcedens beneficium, vt alliciat ad amorem.*

Ioan. c. 5.

Toletus.

Deus obijcit multoties collata beneficia, vt ex ipsis etiã ad se, & proximum amandum, inuendan-

8 Præterea particulam illam, iàm, *Iã noli peccare* ibid. subtilius expẽdens Toletus, ad quid addita sit inquirit; si ad vitanda priora scelera, satis fuisse dicere, noli peccare, ad quid illud, si, additum est, *Iàm noli peccare?* & a-

nostram, particulam illam idem sonare asserit, ac deinceps, vt fit sensus: Vsque modò peccasti, amodò ampliùs ne pecces; clariùs (ni fallor) dicere volens, hucusque peccando, me infinitè bonum nequaquàm amasti; ex hac saltem hora, in qua te beneficio tali affeci, à meo ne discedas amore: *Illa particula, iàm,* ait præfatus Toletus, *hoc exprimit, quasi dictum esset; hucusq; peccasti, iàm, ideò, deinceps postquàm sanus factus es, muta vitam, nec ampliùs peccare velis.*

Toletus.

Beneficijs à Deo affecti ardentius ipsum amemus.

9 Optimè, quem amorem etiam ob ipsa beneficia, Deo rependere, deberet, intellexit Dauid; qui postquam coràm arca Domini saltasset, ab vxore, nempè, à Michol filia Saul sibi exprobrari audiens: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* 2. Reg. 6. nihil prorsùs ob tantam cõtumeliam commotus, sed minora de se, quàm antea sentiens, respondit: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius ludã, & vilior fiam pluſquàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Quod nil aliud sonabat, nisi, quomodò non omnia amoris signa erga Deum ostendam, si ipse nõ patrẽ tuum, nec quẽ de domo eius, sed me in Regem elegit? Ad quẽ sensum Dauidis verba reducens Tostatus, quonampacto ob beneficia Deum colcret Dauid, cùm potiùs ob illius infinitam bonitatem latriam ei debeamus, quæst. 23. super idem inquirit: *Quæret aliquis quomodo Dauid dixit hic, quòd luderet coràm Domino; eò quòd elegerat eum, nàm Deum diligere debemus, & honorare propter ſeipſum, quia ſummè bonus eſt, & non præcipuè propter beneficia nobis tradita?* Soluit autem difficultatem, subdendo: *Reſpondendũ, quòd homo tenetur ad colendum, & diligendum Deum in gradu in quo colit, quia Deus eſt, & non quia benefactor. Vndè dato per impoſſibile, quòd aliqua creatura potuiſſet nobis facere, & feciſſet omnia beneficia, quæ Deus egit, non teneremur ei impendere cultum latriæ: ideò cùm homines impenderint Deo latriam, quia Deus eſt, poſſunt impendere ſpecialiter alia obſequia Deo, quia benefactor eſt; & ſic Dauid non tenebatur ſpecialiter ad iſtud obſequium, quod nunc impendebat; ſed voluit illud impendere ſpecialiter in recognitionẽ beneficij magni ſuſcepti, ſcilicet, quia elegerat eum in Regem.* Sanè vltrà latriam Deo debitam, quia Deus est, quàm ob beneficia etiam obsequens esset Dauid intelligis; dùm id quod specialiter impendere non tenebatur, impendit.

Reg. 2. c. 6.

Tostatus.

Deus propter se, non ob munera diligendus.

Propter officia etiã aliquod ei speciale obsequium præstandum.

10 Quàm sedulò à turbis quandoq; Dominus quæsitus fuisset dicẽte Luca: *Factũ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turba requirebant eũ, & venerunt vſq; ad ipſum, & detinebãt illum, nè diſcederet ab eis.* cap. 4. attende precor; & cur tàm impigrè eum quæsiuissent, & tã indissolubiliter ei adhærere studuissent, scrutari nisi dedignaberis; quid beneficia valeãt, perspicies; nam vix aliàs turbas sic erga Dominum studiosas reperies. Vndè autem tunc maximè ad ipsum quærendum, & amandum impellerentur, scire si cupis, eundem lege Euangelistam, & immediatè antèa Saluatorem multa in turbas illas contulisse beneficia inuenies: *Cùm autem Sol occidiſſet, Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Ecce tibi cur nunc maximè erga Dominum benevolas se ostenderent turbæ, quia infirmos curauerat, quia Dæmones expulerat, quia nullum in infirmitate reliquerat. Toletum ad huius rei confirmationem adduco, dicentem: *Turba tot, ac tantis affecta beneficijs à Chriſto, qui infirmos eorum ſanauerat, & obſeſſos à Dæmonibus liberauerat, non inuenientes eum domi, requirunt illum. Trahunt beneficia homines.* Optima equidè verba, sed illa in primis, *Trahunt beneficia homines*, quàm officia ad trahendos animos polleant, ostendunt.

Luc. c. 4.

Ibid.

Toletus.

Turbæ erga Christũ cur quãdoq; admodum benevolentes?

11 Ferum nunc, immò feris ipsis feriorem illum nuncupare non erit incongruum, qui officijs nõ mitescit, benefactoremq; suum non amat; nàm feræ ipsæ quantumcumque crudeles, cibo, aliisque blanditijs cicurantur. Locum illum: *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre*, Matt. 12. considerans Chrysost. hom.

Feris feriores, qui beneficijs nõ cicurantur.

Matt. c. 12.

Digitized by Google

44.in Matt.ad quid illud aduerbium, *Tunc*, referatur, inquirit; *Tunc illud quando ſignificat?* & quòd ad antecedentia reducatur obſtupeſcit, quia ſi immediatè ante deſcripta legantur, multa Chriſtum officia in ſcribas hos contuliſſe reperietur; & tamen nil meliores effecti, in ingratitudine, & liuore perſiſtentes, ſignum quærunt, ac ſi nullum vſque tunc patratum vidiſſent; *Tunc illud quando ſignificat?* Chryſoſt. Reſpondet: *Quando, ſcilicet, flexos iàm eſſe oporteret, quando admirari, atq; obſtupeſcere, quando ſaltem confuſi diſcedere debebant; tunc in malignitate, atq; pertinacia ſua pertinaciter perſeuerant.* Proh nefas! quando feræ immites beneficijs manſueſcunt; homines ratione præditi muneribus, officijſq; non mitеſcunt. Quis hos feris feriores non vocabit? Quis non ſtupebit, quòd tũc, quando maximè erga ſe beneuolum Saluatorem agnoſcebant, magis contra illum crudeſcerent? Meritò tempus deſcribitur, meritò, Tunc, illud apponitur, vt quàm ſęui, duriq; eſſent, qui tot, tantiſque beneficijs minimè mitеſcebant, oſtendatur.

Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeacos, &c. Facite illos diſcumbere. Erat autẽ fœnum multũ in loco. Ioan. 6.

§. II.

Vllum, qui ab humana conditione infrà hominem ſe peccando deiecit, beſtiam, immò beſtijs beſtialiorem dicere ne verearis: cùm ratione vigẽs, ratione non vtuat.

DE differentia quotquot tractantes percurri, tot ipſam eſſentialẽ ſpeciei perfectionem nuncupaſſe reperi; Nàm aliqui ipſam dicunt, qua ſpecies excedit genus, cùm homo vltrà animal, dicat etiam rationale. Alij generis perfectionem appellant, quia ſubſtantiæ animatæ ſenſibili, ſi rationale addatur, generi ſanè addetur perfectio. Alij ſimul cum genere, ſpeciei conſtitutiuam. Alij diſtinctionis principium aſſerunt eſſe. Vnum ex hoc colligo, quòd cùm eſſentialis ſpeciei perfectio ſit, ab ipſa ſi demeretur, ſpecies ampliùs non remaneret, ſed genus; & ſic, ſi ab homine, rationale auferretur, purum animal remaneret, non homo. Quis peccatores nunc muta animalia, iuxtà illud B. Iudæ Apoſtoli: *Hi autem, quæcumq; quidèm ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquàm muta animalia norunt, in his corrumpuntur*, non vocabit? *Iudas Apo.* quia ſi per rationalitatem homo à brutis differt, qui rationalitate non vtitur, irrationalis eſt cenſendus: Vndè prodigus vt ſuam conſumpſit ſubſtantiam, ad porcos miſſus dicitur: *Miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos* Luc.15.quia ratione qui nõ vtitur, ac ſi rationalitatẽ hominis conſtitutiuam amiſiſſet, inter beſtias, veluti vna ex illis, vitam ducere debet. Theophylactus: *Cõſumpſerat.n. vt dicitur ſubſtantiam ſuam, & meritò propter hoc extra ſe ipſum erat; nàm qui non gubernatur ratione, extra ſeipſum eſt, & non manet in ſua ſubſtantia, hoc eſt, ratione.* Quod luculentiſſimè dixit Boetius lib.4. proſ.3. *Hoc igitur modo quidquid à bono deficit, eſſe deſiſtit: quo fit, vt mali deſinãt eſſe quod fuerant. Sed fuiſſe homines, adhùc ipſa humani corporis relicta ſpecies oſtentat. Quare verſi in malitiam, humanam quoq; amiſere naturam. Sed cùm vitra hominem quemquam prouehere ſola probitas poſſit, neceſſe eſt, vt quos ab humana conditione deiicit, infrà hominis meritum detrudat improbitas, hominem extimare non poſſis;* & ſubdit: *Ità fit, vt qui probitate deſerta, homo eſſe deſierit, cum in diuinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in beſtiam.* Et Laertius lib.6. *De Diogene legitur, quòd cùm aliquando lucernam accenſam geſtans ambularet in foro clariſſima luce, quaſi aliquid quærens; rogantibus quid ageret? hominem, inquit, quæro; cui illi cùm dicerent: ecce quamplurimi homines præterеunt, ille reſpondit; iàm video hæc animalia;*

Luc. c.15.

Theophyl.

Boetius.

Qui à bono deficit deſinit eſſe quod fuerat.

Bruteſcunt homines per peccatum.

Laertius.

malia : ceterùm ego non reputo hominem esse præter illum, qui secundùm regulam rectæ rationis viuit. Hi verò tàm pauci sunt, quòd in foro non inueniuntur; vndè oportet eos cum lucerna inquirere per angulos. Quod verum cùm sit, omnis me dubitandi deserit ansa: Cur, scilicet,

Matt. c. 14. super fœnum, vt ait Matth. 14. *Iussit turbam discumbere super fœnum,* & panibus hordeaceis: *Est puer hic vnus, qui habet*

Ioann. c. 6. *quinque panes hordeaceos* Ioan. 6. turbas pauerit Saluator; quia hordeo, & fœno aluntur iumenta, vt igitur parùm à iumentis peccatores distare ostenderet,

Psal. 48. iuxtà illud: *Homo, cùm in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* psalm. 48. eadem his, & illis alimenta suppeditauit. Ità Beda in Catena: *Hordeum*

Beda. *pabulum est iumentorum, & lex vetus data est iumentis, id est, carnalibus.* Hinc

Christus cur pane hordeaceo turbas pauit? sacros canones Clericos inhonestos, qui innominabilis vitij rei conuincũtur, in arcta custodia ferreis vinculis constrictos asseruari debere, terq; in hebdomada hordeaceo pane sustentari præcepisse inuenio; & rationem assignat Petrus Damianus opusc. 7. cap. 15. vt se ab homine degenerasse, & in bestiam transijsse intelligerent, non hominum, sed iumentorum sustentabantur pabulo. Citatus Damianus:

Inhonesti annona pascebantur iumentorum, & quare? Damian. *Quia factus est sicut equus, & mulus, congruè non cibo reficitur hominum, sed annona pascitur iumentorum.* Quo satis aperte peccatorem, bestiam potiùs, quàm hominem censendum esse constat, constabitq; ex dicendis.

2 Hominem illum à Latronibus sauciatum, ac penè mortuum relictũ, quem Sacerdos, & Leuita absq; medicamine, atq; subsidio vllo pertranseũtes reliquerant; Samaritanus quidam illis humanior linitis, alligatisq; eius vulneribus duxit in stabulum, vt curã, quam ipse de illo longinquus habere non poterat, Stabularius haberet, tuos

Luc. c. 10. ante oculos statuo: *Alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum; & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit Stabulario, & ait: Curam illius habe.* Luc. 10. & curiosè inquiro. Cur non in domum, vel in palatium aliquod, sed in stabulum illum ducere voluerit? Si stabulũ non hominum, sed brutorum locus est, dicente Virgilio 8. Æneid.

Quatuor à stabulo præstanti corpore tauros Virg.
Auertit,

aliò illum ducere debuisset. Verùm priusquam ad sensum mysticum pro solutione recurramus; vndè descenderet, & quò tenderet homo iste, qui in

Luc. c. 16. latrones incidit, videamus: *Homo quidam descẽdebat ab Ierusalem in Iericho,* ità Luc. loc. præfato: Ierusalem, visio pacis, seu visio perfecta dicitur: Iericho, Luna interpretatur; ergo à visione pacis, vel à visione perfecta ad lunam descẽdebat? ità quidem: & quid per Ierusalem, nisi Iustus, quidue per lunam, nisi stultus figuratur, dicente

Eccles. Ecclesiast. cap. 23. *Stultus vt luna mutatur?* ergo à iustitia ad stultitiam descendebat iste? ergo peccatoris erat typus? ità sanè Expositores omnes; mirum igitur non est, si in stabulum, bestiarum locum ducitur, vt ex loco saltem, ab homine in bestiam descendisse intelligeret. Audiendus est Cas-

Cassiodorus. siodorus super illud psalm. 22. *Vt iumentum factus sum apud te: Apud Deum vice pecudum sunt, qui contra Deum sentiunt.* Ecce tibi cur in stabulũ potiùs, quàm aliò à Samaritano ductus sit

Stabulũ peccatoris domus, quia brutum animal. sauciatus, quia per ipsum peccator, & per Samaritanum Christus figurabatur, cui vitiosi iumenta videntur non homines; vt igitur de se sentiret, quod apud Deum factus erat, in stabulo collocatur.

3 Hinc Bernardus serm. 35. in Cant. Cur Dominus relictis ciuitatibus, palatijs, domibusq; omnibus in stabulo nasci voluerit, scrutatur, & tãdem propterea id fecisse putat, quia hominem ab Ierusalem in Iericho, hoc est, à perfectionis, nobilitatisque statu, ad vilissimam iumẽtorum conditionem per peccatum descendisse agnouerat: vt ergo illum, qui ab homine transierat in bestiam inueniret, in stabulum venit; quem transitum deplorans idem mellifluus loco citato, sic clamat: *Heù tristis, & lacrymosa mutatio, vt homo Paradisi accola, terræ Dominus, Cœli ciuis, domesticus Domini, Frater Sabaoth, beatorum spirituum, &*

Christus cur in stabulo natus? D. Bernard.

Cœle-

Digitized by Google

Cæleſtium cohæres virtutum repentina ſe conuerſione inuenerit; & propter infirmitatem iacentem in ſtabulo, propter pecorinam ſimilitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum in præſepio, ſicut ſcriptum eſt: In Camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Agnoſce nunc, ò bos, poſſeſſorem tuum, & tu, ò aſine præſepe Domini tui. Cognoſce pecus, quem non cognouiſti homo. Adora in ſtabulo, quem fugiebas in Paradiſo. Comede fœnum, quē panem, & panem Angelorum faſtidiſti. Sed quænam cauſa, inquis, tantæ deiectionis? Profectò, quòd homo cùm in honore eſſet, non intellexit. Nec vacat myſterio quòd in ſtabulo quidèm, ſed in ſtabulo Bethlehemitico naſci voluerit Saluator, quia Bethlehem, domus panis interpretatur, & ipſe non tantùm iumentis in ſtabulo commorātibus pabulum, ſed iuſtis etiam domi manentibus panem daturus aduenerat. Vndè Chryſoſt. hom. 2. in Lucam: *Quarè in præſepio? Vt cōpleretur vaticinium Iſaiæ. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Scriptum eſt in alio loco: homines, & iumēta ſaluabis Domine; ſi homo es, panem comede, ſi animal es, ad præſepe accede.*

Chryſoſt.

Hominum, & iumentorum pabulū.

4 Libeat nunc expendere, quæ repræſentabant aſina, & pullus ille, ad quorum ſolutionem, & reductionem Apoſtoli miſſi ſunt, dicente Matt. cap. 21: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi*; & licèt illicò te cum Ambroſio reſpondere noſcam, hæc animalia primos repræſentaſſe parentes: *Conſideremus qui fuerint illi, qui errore detecto, de Paradiſo eiecti, in Caſtellum ſunt relegati. Et vides, quemadmodùm quos mors expulerat, vita reuocauerit.* Ita prædictus Ambroſius lib. 9. in Lucam. Ego tamen vlteriùs inſtans, quæro. Quonampacto iumenta progenitores noſtros repræſentare poterant, ſi ipſi vt homines, cūctorum animalium erant Domini? cuius difficultatis ſolutionem, vt faciliùs aſſequaris; quo die homo, & quo iumenta creata ſint, inquire: & ſi primum Geneſis caput luſtraueris, eodem die, ſexto nempè, hominem cum iumētis productum inuenies, licet diſtinctè illius ab iſtorū productio deſcribatur. Vndè Auguſtinus: *Aduertenda eſt quædam coniunctio & diſcretio animantium; nam eodē die factus eſt homo, quo beſtiæ; ſunt. n. ſimul omnia animantia, & tamen propter excellentiam rationis, ſecundùm quam ad imaginem Dei, & ſimilitudinem efficitur homo, ſeparatim ab illo dicitur: faciamus, &c.* quod non ſolùm propterea factum exiſtimo, quia eodem in genere conueniunt, vt nuperrimè dixit Auguſtinus, verùm etiam quia eodem die quo ille peccat, ex homine hominem exuēs, beſtiam induit, dum ſine ratione viuit. Sic Chryſologus ſerm. 2. de filio prodigo, ſuper illud: *In ſe reuerſus.* Luc. 15. *A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Audi nunc, cur iumenta ad exprimēdos, ac præſentandos noſtros progenitores aſſumantur; quia cum ipſorum declararent lapſum, quid per peccatum euaſiſſent, indicabāt. Chryſoſt. hom. 23. Dominicæ 1. Aduentus: *Aſinus animal immundum eſt, & ceteris iumentis magis irrationale, & ſtultum, infirmum, & ignobile, & magis oneriferum; ſic fuerunt homines ante Chriſtum, irrationales, vera ratione carentes.* Ecce tibi, cur per Aſinam, & Pullum parentes primi cum filijs repræſententur; quia in beſtiam tranſit, qui recta ratione abutitur.

Auguſt.

Homo eodē die cum iumentis creatus, & quare?

Chryſolog.

Luc. c. 15.

Chryſoſt.

Aſina, & Pullus ad Dominum adducti peccatores exprimebant.

5 Ad Pharaonem legationem facturus Moyſes, virgam ipſum geſtare in manibus præcepit Altiſſimus: *Virgam quoq; hanc ſume in manu tua.* Exod. 4. Quæ fuerit hæc virga, explicat Toſtatus: *Hæc. n. erat virga paſtoralis, quam tenebat Moyſes ad minandum oues, per paſcua.* Ad quid autem aſſumi deberet, declarat textus, dum ſubdit: *In qua facturus es ſigna.* Ergo virga paſtorali miracula operabatur & ſigna? Prorsùs ità: Ego verò ex hoc illud colligo; nempè, eadem virga Moyſen & gregem, & Pharaonem meritò percutere, quia Pharao peccando bruteſcebat, & cùm pecudum, imò ferarum more viueret, vt fera baculo percuti debebat. Theodoreti videtur ſubtilitas, qui quæſt. 9. dicit: *Quia Pharao cùm natura eſſet animal rationale, crudelitate vſus eſt contra Hebræos, & quod in ipſo*

Exod. c. 4.

Toſtatus.

Theodoret.

Digitized by Google

Per peccata bruteſcens. Pharao eadem virga, qua beſtiæ flagellatur.

diuinum erat, beſtiinum eſſe declarauit; ideò præcepit Deus virgam, qua illum flagellauerat, in ſerpentem mutari; ad euincendam illius feritatem, & malenolentiam aperiendam. Nota quæſo verba illa, *Virga, qua illum flagellauerat*; nàm ſatis apertè eadem virga & beſtias, & Pharaonem beſtialem effectum, fuiſſe flagellatum oſtendunt.

6 Nec te humani corporis forma decipiat, vt dicere velis, peccatores homines eſſe, ex eo quia ipſos non pronos, ſed rectos vides; quoniam & ſi corpore recto ſurſum aſpicere videantur, animo tamen non aliud, quã terram inſpiciunt. Vnde ad Cain Dominum dixiſſe comperio: *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua?* Gen. 4. ac ſi diceret; Cur ad Cælum oculos non leuas? cur ſuperiora non inſpicis? cur terrena amando, terrenus totus efficeris? An te per peccatum concidiſſe agnoſcis? *Omnes*, (dicit Hieronymus, ſuper cap. 13. Iſaiæ,) *qui Creatore deſerto, ſæculi erroribus ſe dederunt, quadrupedes eos appella.* Et Bernardus ſerm. de primordijs: *An non confunderis ſurſum caput habere, qui ſurſum cor non habes? Corpore rectus ſtare, qui corde repis in terra?* Licèt igitur exterius beſtiæ nõ appareant, intus tamen nil ab illis diſtare puta: imò quandam beſtiinam formam, vt ità dicam, foris etiam, Deo ſic permittente, quandoq; induiſſe videntur. Quod Nabuchodonoſori accidiſſe lucuienter nimis deſcribit S. Paulinus epiſt. 4. dùm dicit: *Siquidẽ regi Aſſyrio in ſolitudinem, ferinamque damnato, luctuoſa concretio capitis intonſi in iubam leonis horruerit; vt etiam corporis ſpecie tranſiret in beſtiam, qui non ſolùm à Regnis ſuis, ſed etiam à ſenſibus exulabat humanis, coma triſti leonẽ, vncis vnguibus vulturem, ſenſu, & pabulo bouem referens: ne vnius tantùm beſtiæ ſimilitudinem ferret in pœnis, qui multarum ſimilis fuiſſet in moribus.* Proh luctuoſa mutatio! nedùm intrinſecus, verùm forinſecùs etiam beſtia apparet, qui cunctorum animalium princeps conſtitutus fuerat & Dominus.

Genes. c. 4.

Hieronym.

Bernardus.

Ferinũ animum in corpore humano ſeruat, qui peccat.

Paulinus.

Feræ ſimilitudinẽ etiã in corpore quodammodo aſſumit, qui ratione non vtitur.

7 Neutiquàm loci illius: *Reſpiciet homines, & dicet: Peccaui*, Iob. cap. 33. prætereunda intelligentia eſt; nàm potiùs dicere debuiſſet: aſpiciet iuſtos, aſpiciet Sanctos, & dicet; peccaui, quia non quorumcunque, ſed proborum vita, improborum correctio eſt. Vnde Iſaias cap. 51. *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abrãham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Quonam igitur pacto quoſcunq; homines inſpiciendo, ſiam poterit peccator agnoſcere conditionem? an quia idem eſt homo ac iuſtus, & qui iuſtus non eſt, nec homo cẽſeri poteſt? Ità ſanè Gregorius lib. 24. moral. cap. 33. *Ideò n. nonnulli peccaſſe ſe neſciunt, quia homines non attendunt; nàm ſi conſiderarent homines, citiùs agnoſcerent quantum peccando infrà homines cecidiſſent: nàm qui carnali affectioni ſuccumbunt, non homines, ſed iumenta appellantur.*

Iſaias. c. 51.

Gregorius.

Hominis vocabulum iuſtis cõpetit, peccatoribus nequaquam.

8 At quid peccatores per peccatum ferarum formam quandoq; induere aſſero? dicam, verùm ne dicere exiſtimabo, adeò eos per peccatũ ſtulteſcere, immò bruteſcere multoties, vt ipſis feris feriores, atq; peiores appareant. Nec non eſt hæc aſſertio, ſed Bernardi, qui ſerm. 35. in cant. verba prætens illa: *Abi poſt veſtigia gregum* Cãt. 1. miratur multum, quòd ratione præditi poſt veſtigia gregum mittãtur; & denique omni amota admiratione, concludit: quòd meritò poſt greges, ac ſi gregibus primum locum daret, mittitur homo, quia per peccatum beſtijs beſtialior effitur. Audi ipſum: *Hoc (vt mihi videtur) magnæ cuiuſdam rei nos admonet. Quid iſtud? heu quòd egregia Creatura idem olim facta de grege, & nunc in pecus miſerabiliter proruens, non ſaltem inter greges remanere permittitur, ſed poſt abire iubetur. Quomodo? inquis. Quomodo legis: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, & paulò infrà ſubdit: *An non tibi poſteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus & pedibus proijcitur in tenebras exteriores? & erũt profectò nouiſſima hominis illius peiora prioribus, quando qui prius beſtijs æquabatur, nunc & poſtponitur.* Quod argumentum proſequutus eſt etiam Vgo Card. ſuper verba illa: *Miluus in Cælo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo,*

Cant. c. 1.

Bernardus.

Beſtijs beſtialior per peccatum efficitur homo.

Ieremi. c. 8.

Digitized by Google

rudes, & Ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. Ieron. 8. dixit: *Hic certam stultitiam ostendit, quòd major est, quàm stultitia avium. Aves namque cognoverunt serenitatem temporis, vel intemperiem aeris, scilicet, quando debet esse frigidum tempus, vel tempestuosum declinare, & ad alias regiones transire; sed homo factus perditus, judicium Dei non cogitat, & neglig sibi providere in futurum.* Et Hugo Pinctus verba explicans illa: *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognovit,* Isaiæ 1. hùc dicit in modum: *Arguit Israelis ingratitudinem, & ignorantiam bratorum comparatione. Quid stolidus Bove? Quid stupidius Asino? & nihilominùs eos cognoscunt, qui eis tribuunt beneficia. At Israel Deum, à quo innumerabilia beneficia acceperat, non cognovit.* Quibus omnibus, quàm bestiis bestialiores sint; qui per peccata bruteſcunt, liquidò constat.

Ugo Card. — Isaiæ. c. 1. — Hugo Pinct. — Asino stolidior, qui à bono deficit.

9 Claudat hùc meum discursum mirabile illud, quod Balaàm ad maledicendum Israel pergenti accidit, illud dico, quod nusquam aliàs accidisse comperio, ab Asina nempè Prophetam increpatum, atque correptum fuisse. *Aperuitq; Dominus os Asinæ, & locuta est. Quid feci tibi? Cur percutis me? ecce iàm tertio &c. Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usq; in praesentem diem? dic quid simile unquàm fecerim tibi?* Num. 22. fiderat Angelus, qui asinæ coercebat gressum, cur nò ab ipso, quòd potius ab illa corripitur Balaam, dicente Petro 2. *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam?* An quia sic bruteſcebat ariolus, vt non ab Angelo, nec ab homine tantùm, sed ab ipsis brutis de insipientia corripi poterat? Ità inter cæteros Lorinus: *Illa tanquàm sibi optimè conscia causæ suæ iudicium praemiserat, cùm dixit: die &c. Indè sequebatur iniuriè percussam fuisse, ac multò iniquius mortem ei ariolum inferre cupuisse. Deniq; de insipientia, vt Petrus scripsit, iure ab Asina redarguitum, convictumq; esse.* Desertores Petri. 2. *Secuti viam Balaam, & Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Cæcus quis nunc non videbit adeò bruteſcere solere peccatores, vt ab ipsis etiam brutis doceri, & corripi possint. Vnde ad brutorum Gymnasium pro doctrina scelestos mittere consueverat Iob, dicendo: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia Cæli, & indicabunt tibi*, cap. 12. ac si diceret: Jumentis si stolidior es, ad ipsa confuge, vt quæ ignoras, addiscas.

Petr. epist. 2. c. 2. — Lorinus. — A jumentis scelesti corripiuntur. — Iob. c. 12. — Ad brutorum gymnasia mittuntur qui, vt quæ ignorant addiscant.

Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Ioan. 6.

§. III.

Sicut nemo repentè ad extremam improbitatem insilit, sed pedetentim à minoribus ad majora procedit: sic levia sunt cavenda errata, ne in maxima prolabamur.

1 PLinium quoties dicentem inveni, nihil magis naturâ satagere, quàm minima; vt lib. 11. c. 2. *Rerum natura nusquàm magis, quàm in minimis tota est*, non potui non obstupescere, cur minima potiùs, quàm maxima attendantur? Et quàuis calleam, nò paucos præfatæ difficultati respondere, naturam propterea in paruis potiùs, quàm in magnis vigilare, quia in illis quidèm, sed in illis maximè eius commendatur species: sicuti etiam ipsiusmet Optimi, maximiq; Dei in pusillis rebus magis, quàm in ingentibus laudari assolet potentia, vt benè observavit Theofridus Abbas serm. de Sanctorum reliquijs super verba illa: *Capillus de capite vestro nò cadet*, Lucæ 21. cùm satis acutè ratione adducit, cur martyrum membrorum à cruenta carnificum manu abscisiorum, explicitè silteat, nulla facta mentione, tantùm de capillo se curam gerere asserat; Ità, inquit: *Laudemus Dominum mirabilem in Sanctis suis, sed mirabiliorem in eorundem reliquijs, quia licèt sit magnus & in*

Plinius. — Natura in minimis tota est. — Luc. c. 21. — Theofr. Abb. — Deus in magnis, magnus; in minimis maximus apparet.

& in magnis gloriosus, tamèn mirabilia operatur in minimis. Non satis est, quòd Sanctorum animas in æternæ felicitatis glorificet regione, nisi & eorum reliquias glorificet in hac peregrinatione; Et subdit: *Nec sufficit quòd immortalitatis illis donet delicias, nisi & totius mundi conferat diuitias. Oppida .n. & Castella, vicos, et Vrbes, quæ omnia magni iàm tenuere principes, exiguus Sanctorum puluis possidet.* Ego nihilominùs vt nos leuiculos etiam defectus cauere, ne in maximos incidamus crudiat, naturam in paruis totam esse æstimo; nam vt optimè inquit Tullius lib. 5. de finibus: *Omnium rerum principia parua sunt, sed suis progressibus vsu augentur.* Quod benè noscens Seraphicus Pater noster Franciscus dicere consueuerat: *Diabolus si de suo, capillum potest habere in homine, citò crescere facit in trabem.* tom. 3. opusc. collat. 6. Et ante ipsum Isidorum non latuit, qui de norma benè viuendi taliter ait: *Particulatim crescunt vitia, et dùm parua non cauemus, in magnis prolabimur. Minima itaq; deuita, et ad maiora non deuenies.* Quod quis scit, si Plutarchus quoque ethnicus id aliquo modo agnouit, cùm de profectu differès virtutum, hunc dixit in modum: *Non mediocre argumentum est, nos in virtute progredi, si nullum iàm peccatum leue, et exiguum putemus, sed omnia studiosè vitemus, atque obseruemus;* Et paulò infrà: *Talis .n. ostendit supremum aliquod sibi iàm comparasse, quod inquinari nullo modo velit.* Quam doctrinam, nos nempè ad magnæ matris naturę imitationem in minimis totos esse oportere, ne in maxima perlabamur, à præfatis, nedùm accepi, sed à Saluatore etiam nunc accipio, dùm ipsum dicentem audio: *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Ioann. 6. quia si per quinque panes, quinque Moysi libri ex præceptorum granis compacti intelliguntur; per fragmenta minora præcepta, & fortè ipsa consilia accipere poterimus: quod (ni fallor) dicere voluit Augustinus tract. 24. super 6. Ioa. verbis illis: *Quæ sunt autem illa fragmẽta, nisi quæ populus non potuit mãducare?* Et Cyrillus super citatum Ioan. locũ: *Quid igitur hic intelligimus? cõuiuij princeps fidelium Christus est, vt cœlestibus atq; diuinis disciplinis, præceptisq; tàm legalibus et Propheticis, quàm Euangelicis et Apostolicis conuiuas accipit suos;* quæ propterea colligi iussit Saluator, quia qui minora negligit, paulatim ad maxima procedit, vt ait Gregorius lib. 10. moral. cap. 9. *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, statim audèter maiora perpetramus;* Et 21. moral. cap. 9. *In quocunq; lapsu à minimis semper incipitur, et succrescentibus ad maiora peruenitur.* Quem lapsum, vt vitare addiscamus, etiam ipsa consilia sub fragmentorum nomine colligere, hoc est, obseruare docuit Christus modò quùm ait: *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Pro qua re nonnulla adduco.

Sanctorũ reliquiæ nundum possident.

Tullius.

S. P. Franc.

Isidorus.

Vitia paulatim crescũt, & qui minora nõ cauet, in maiora incidet.

Plutarch.

Ioan. c. 6.

Augustin.

Cyrillus.

Gregor.

2 Non semel, nec bis, sed sæpè Dominum in leues transgressiones inuectum fuisse asserunt Euangelistæ, vtque breuitatis causa reliquos omittam, Matt. tantùm assumo sic dicentè: *Amen quippè dico vobis, donec transeat Cœlum, et terra, iota vnum; aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cælorum*, cap. 5. Vbi Brugensis: *Pro iota Syrus habet Ioud. Apicem Christus vocare videtur summũ litteræ fastigium, aut alioquin punctum minutulum, ex quo littera componitur. Minimus igitur vocabitur, hoc est, habebitur vltimus, ideſt, nullus erit, nullus fiet, nullo erit loco, indignus erit, qui admittatur. Ejcietur denique vt legi Dei, quam Deus nunquam trãsituram, immutabilem, atque æternam sancinit, aduersarius.* Hæc ipse: Ex quibus satis liquidò constat, contra eum quoque, qui pũctum tantùmmodò legis transgreditur, indignatum se ostendere: & hoc non quia minima, ac præcipuè venialia vel de se, vel quia multiplicata (vt asserunt nonnulli) aliquod lethale efficiant, sicuti multæ vnitates iteratæ faciunt mille, & multæ guttæ in vnum confluentes flumen efficiunt; quia sicuti ex non substantia non fit substantia, ità peccata venialia quantumcumque aucta, & multiplicata, nunquàm in lethalem culpam transeunt; cùm actus repetiti eiusdem sint speciei cum primo, nec simul collecti naturam mutant,

Matt. c. 5.

Brugensis.

Peccata etiã venialia fugienda.

Quantumcumq; repetita in mortalem non transeunt.

Digitized by Google

Alenſis. *Richardus.* *D.Thomas.* tant, vel variant. Ita Alenſis part.4. quæſt.15.memb.3.ar.1.§.1.& Richar. in 4.diſt.16.art.2.quæſt.2.ad finem;& S.Thomas in 1.2.quæſt.88.art.4.ad quæſtionē. Verùm quia leuia ad grauia,& venialia ad lethalia diſponunt, vt ait præfatus Thomas loc. cit. in corp.quæſt. *Si verò intelligatur, quòd multa peccata venialia faciũt vnum mortale diſpoſitiuè, ſic verum eſt ſecundùm duos modos diſpoſitionis ſuperiùs recenſitos.* Quod ab Eccleſiaſtico ipſum accepiſſe exiſtimo, dicente: *Qui ſpernit modica, paulatim decidit.* cap.19.vbi Carthuſianus: *Qui ſpernit modica, ideſt, qui non curat vitare parua peccata (paulatim decidit) ideſt, ſucceſſiuè committ ad maiora: Venialia namq; minora diſponũt ad venialia grauiora, & omnia ſimul ad mortalia* art.19. Quæ potiſſima eſt ratio, cur Deo adeò ſit inuiſa leuium tranſgreſſio.

S.Thom. *Eccle.c.19.* *Carthuſian.* *Ad lethalia diſponunt.*

3 Quę aſſertio, quòd ſcilicet leuia ad grauia, ſeu, vt clariùs dicam, venialia ad mortalia diſponant; Primum peccatum cæterorum radicem, fontē, & originem (primorum parentum inobedientiam dico) vnde originem duxerit, ſi mente reuolues, à leuibus inchoaſſe reperies: nam à viſu nimis curioſo, concupiſcentia, à concupiſcētia, tranſgreſſio ortum habuit; *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Geneſ.3. Ex quo dicere voluit Gregorius: *Ne in lubrica cogitatione verſemur, non debemus intueri, quod non licet concupiſci. Vt n. munda mens in cogitatione ſeruetur, à laſciuia voluptatis ſuæ ſeruandi ſunt, & reprimendi oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. Non. n. Eua lignum tetigiſſet, niſi priùs incautè reſpexiſſet.* lib.21.mor.cap.2: Secundum poſtea ſcelus in initio dierum à Caino commiſſum, à leuibus incepiſſe, quis neſcit? Nam ab amore onium, fratris odium inſurrexit; ab odio fratris, fratricidium; & ab hoc tandèm deſperatio originem duxit. Ità Chryſoſt. homil.12.ad Rom. *Sicut in ipſis corporibus vſu venire videmus, magnas ægritudines augeri, quotiès paruas negligimus; Sic Cain ſi primigenia non amaſſet, ſed Dei arbitrio illa permiſiſſet, ſecundas non habuiſſet: ſecũdas habens, ſi admonitioni auſcultaſſet, cædem nō paturũſſet: rurſùs cæde patrata, ſi Deo ipſum vocante, ad pœnitentiam rediiſſet, ac non impudenter reſpondiſſet, mala ea non toleraſſet, quæ poſtea toleraſſet.* Denique ne per ſingula facinora hucuſq; patrata diſcurrendo, longiùs, quàm par eſt, ſermonem protraham: Maximum omnium, ſummumq; ſcelus, Chriſti nempè proditio, vndè deriuauit, niſi à pecuniarum amore? Ab hoc ſane proditio, & tandèm deſperatio ſecuta eſt: Ità Chryſoſt. *Nec parua ergo negligamus, ne mala in maius creſcant. Iudas ſi pecuniæ amorem coercuiſſet, non veniſſet ad ſacrilegium: ſi illud compreſſiſſet, non ad colophonem, vt aiũt, malorum proſiluiſſet.* Hęc ipſe in pſal.6. circa finem, vbi multa de paruis vitādis dicit, ad quem te mitto, vt quàm verum ſit parua ad magna, & venialia ad lethalia diſponere, percipias.

Primum peccatum à leuibus incępit. *Gen.c.3.* *Gregorius.* *Chryſoſtom.*

Magnum Caini ſcelus à paruis originem duxit *Chryſoſt.* *Chriſti proditio vnde ortũ habuerit, deſcribitur.*

4 Statuam illam magnam à Nabuchodonoſore per ſomnium viſam, antè oculos tuos nunc ſtatuere incōgruum nequaquàm exiſtimo; cùm ipſa quid leuium deſpectio valeat, ſatis clarè demonſtret: hanc. n. ex diuerſis rebus compoſitam fuiſſe benè noſti, nam ſub aureo capite pectus, & brachia argentea habebat; venter poſtea, & femora ex ære erant, quibus ferreæ tibiæ ſuccedebant, ſuper pedes partim ferreos, partim fictiles ſitæ: *Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, &c. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Daniel.2. Quid autem per diuerſas has res, ex quibus conſtructa fuerat, ſignificaret, idem declarauit Daniel, cùm regnorũ, & ſtatuum diuerſitatem ſignificaſſe, aſſeruit. Ego nihilominùs quàm à principio finis diſtaret, & quòd ab auro incipiēs, in terram deſineret ſum multotiès miratus; verùm nũc omnis me definit admirationis ratio, dùm ipſam non ſtatim, nec immediatè ab auro in lutum deſcendiſſe, ſed paulatim à prima pretioſitate decreſcendo, tandem in vilem teſtam deueniſſe cōſidero; vt appareat, neminem extem-

Daniel.c.2.

plò

plò fieri peſſimum, ſed gradatim à perfectione delabendò, tandem ad vltimum peccatorum barathrum deuenire. Luculentiſſimè id confirmauit Vgo de S. Vict. audi ipſum in allegoriis Tilmanni: *Hæc ſtatua caput habet aureum, & finem teſteum; prima pars aurea, ſecunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea, quinta teſtea. In auro intelligitur charitas, in argento veritas, in ære ſimultas, in ferro crudelitas, in teſta fictili fragilitas. O quantum eſt inter teſtam, & aurum! Inter finem ſtatuæ, & principium! Ex auro incipit, in teſtam deſinit. Puto quia nemo repentè fit turpiſſimus, ſed qui minima negligunt, paulatim deſluunt. Vide autem quomodo ſermo diuinus illum arguat, qui opus aureum in argētum commutauerat. Scio, inquit, opera tua, et laborem, & patientiam tuam. Ecce opus boni, ecce brachia, ecce pectus argenteum. Sed vide quid ſequitur. Sed habeo aduerſùm te pauca, quòd charitatem reliqueris; aureum caput in pectus argenteum deſluxit. Quicunque huiuſmodi te eſſe perpenderis, memor eſto vndè excideris, & prima opera fac; alioquin time, nè adhùc in deteriora cadas. Ecce ſtatua in qualem finem deſinit, quæ poſti caput aureum, fictiles pedes accepit. Filij Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodò verſi ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?* Aureus ſanè diſcurſus, cuius nec verbulum omittendum iudicaui, vt quantæ ruinæ eſſe ſoleant leuia addiſcentes, ipſa maiori quo poſſumus ſtudio, fugiamus.

Vgo à S. Vict.

Statua à Nabuchodonoſore viſa, q̃ ab auro incipiens in teſtam deſinebat, quid ſignificet, declaratur.

5 Verum quia ad iàm dictæ ſtatuæ ruinam ſpectat, quod ſequitur, ideo prætermittendum non duco: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſinè manibus: et percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, et aurum, et redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt ventus nullúſq; locus inuentus eſt eis* ibid. Ergo à pedibus infima corporis parte tota huius magnæ, mirabiliſque ſtatuę pepēdit excidium? Ità ſanè: At cur hoc? Niſi ex eò quòd, qui in infimis, paruiſque ſuperari non timet, mòx totam perfectionis ſuæ molem funditùs ruituram videbit. Quod dicere videtur Chryſoſt. hom. 12. ad Rom. verbis illis: *Etenim qui in vnoquoq; peccato dicere edoctus eſt, non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum, is pedetentim omnia peſſūdabit. Hoc igitur vitioſitatem ipſam attraxit, hoc ianuas reſeruit prædoni, hoc vobis mœnia deiecit, quoties ad vnumquodque peccatum dicitis, non hoc ad rem magnopere pertinet.*

Daniel. c. 2.

Chryſoſt.

Statua Nabuchodonoſor peritur in pedibus, quia fūditus virtutū ruet ſtructura, ſi paruis aſſentiemur.

6 Quod præterea mâgis librandum puto, eſt, lapidē illum paruum, qui ſtatuam in pedibus percuſſit, ſtatim in montem magnum creuiſſe: *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mōs magnus.* ibid. nàm & ſi communiter per ipſum Chriſtum figurari aſſerant Patres, dicente Gloſſa in ſenſu morali: *Per lapidē ſignificatur Chriſtus de excellentiſſima Virgine ſine humano opere natus*; qui vel Antichriſtum in ſtatua figuratum percutiet, vt eadem ſubdit Gloſſa: *Lapis autem factus eſt mons magnus; nam Antichriſto fulminato, cum magna parte ſui exercitus omnes remanētes ipſi Chriſto firmiter adhærebūt.* Vel diuites percuſſit in pedibus, quādo diuitiarum pericula expoſuit, vt ait Vgo Card. *Hanc ſtatuam lapis percuſſit in pedibus, quando Chriſtus finem ſæcularium plenum doloribus eſſe oſtēdit. Scilicet: Væ vobis diuitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram.* Tamen ſi accommunoditio ſenſu vltra Chriſtum, (qui paruus lapis per humiliratem cū eſſet, mundum totum ſua, & Apoſtolorum repleuit prædicatione) per paruum hunc lapidem paruam Diaboli ſuggeſtionem intelligeremus, dicere, non eſſet abſurdum, lapillum ſtatuam percutientem tunc protinùs in montē excreſcere magnum; quādo leui, paruæq; ſugeſtioni datus aſſenſus, hominem ſtatim in magnas tranſgreſſiones impellit. Audiendus eſt Chryſoſt. hom. 87. in Matt. *Citò ex paruis maxima fiunt negligentia noſtra: ſic in Iuda maximum proditionis malum concreuit; niſi enim putaſſet parum eſſe pecuniam in opum ſurripere, in tātam prætermittatem non deueniſſet. Iudei niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe, vſque ad eadem Chriſti lapſi non fuiſſent.* Ecce lapillus, qui ſtatuam percutiebat, in mōtem magnum conuerſus! ecce quanta ſcelerum moles ex paruorum deſpectu inſurgat!

Daniel. c. 2.

Gloſ.

Vgo Card.

Chryſoſt.

Cito excreſcunt paruæ, & magna fieri ſolent negligentia noſtra.

7 Quod clariùs videre ſi cupis, ex-

lapillis nempè, montes, & ex paruis magna conſurgere: Vitulum illum ab Aaron effictum in memoriam redige, & ex quibus conflatus fuerit perpendere niſi grauaberis, ex inauribus cõſtructum fuiſſe reperies: *Exod.c.32.* *Tollite inaures aureas, de vxorum filiorumque, & filiarũ veſtrarum auribus, & afferte ad me. Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Exod. 32. At cur relictis cæteris, tàm ad mulierum, quàm ad virorum ornatum ſpectatibus, ex ſolis inauribus vitulum conflare voluit Aaron? an quia per hoc, vndè populi idololatria ortum habuerit ſignificare intẽdebat? ita forſan, ni decipior, quia ſi paruæ inaures magnum vitulum effecerunt; paruorum deſpectio pedetentim populum ad magnum idololatriæ ſcelus perduxit. Rem tetigit Chryſoſtomus hom. 87. in Matt. rationem aſſignans, vndè apud gentiles idolorum cultus inoleuerit, dùm dicit: *Chryſoſt.* *Nemo .n. repentè ad extremam improbitatem inſiluit. Habet quippè inſitum quendam animæ pudorem, quem ſubitò calcare, atque proijcere non poteſt, ſed ſenſim, atq; paulatim ex negligentia perit: hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cùm vtrãquam oportet, viui, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ſimulacra, & ſtatuæ adorari ſunt.* hæc ipſe: Quibus clarè perſpicis, cur ex paruis inauribus magnus vitulus confectus ſit, quia ex leuibus, paruiſq; maximum idololatriæ ſcelus excreuit.

Maximũ idololatriæ ſcelus ex nimio hominũ honore inſurrexit.

3 Ceſſat nunc ſolemnis illa dubitatio: Vndè fuerit opinatus DD. Abſalon filium ſuum parricidium fuiſſe commiſurum, quòd dicebat: *2.Reg.c.15* *Surgite, fugiamus: neque .n. erit nobis effugium à facie Abſalon: feſtinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam.* 2. Reg. 15. nam quòd Abſalon, regendi cupidine tentus, ipſum regno ſpoliare ſatageret, ſcire procul dubio poterat; ſed quòd mortem etiam ei inoliretur, vndè, bone Deus, deducendum exiſtimauit, quòd tàm aſſeuerãter filium parricidium patraturum aſſeruit? At non abſque ratione ait Chryſoſtomus in hom. de Abſalon perſequente patrem, hęc de filio ſuſpicatus eſt Dauid: quia quem ſenſim ab odio fratris vſq; ad illius necem peruenisſe agnouit, ab hac etiam in parricidium vſq; ſe præcipitem daturum fore (cùm à minimis ad maiora ſemper procedatur) proculdubio iudicabat. Chryſoſt. loco præfato: *Chryſoſt.* *Offendit .n. Dauid filium, quia fratris in eum noluit vlciſci parricidium. Semper enim ſcelera, dùm non reſecantur increſcunt; & in augmenta facinorum proſilitur, quoties cum impunitate peccatur. Dùm .n. Abſalon fratris occiſi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidiuum facinus iteratur.* Audis quarè parricidam filium vocando Dauid, non temerè de illo ſuſpicabatur, quia cùm increſcant aſſiduò vitia, à fratris, ad patris necem ruiturum, benè poterat opinari.

Scelere vno admiſſo non temere ſuſpicatur, committẽtem in peius aliq; ruiturum.

9 Hinc Iob nec in minimis culpis ſecurus eſſe voluit, ſed tẽtationum initijs viriliter reſtitit, vt radicem ab imo euellens, vitia facilius ſuperare valeret; ſic proprio ore ſe feciſſe declarat, cùm dicit: *Iob. c.31.* *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne quidèm cogitarem de Virgine,* cap. 31. vbi Gloſſa tantæ mortificationis rationem aſſignans dicit: *Gloſſa.* *Viſum .n. ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem cõſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio: Vndè Thren. 3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Paulatim cum excreſcere vitia optimè ſciret, imbecillem (vt ita dicam) ſe in tentationis exordio oſtendere voluit belligerandi occaſiones fugiẽdo, nè in paruis victus, ſenſim in maiora incidiſſet.

Tentationũ initijs reſiſtere debet, q̃ victor non victus è prælio diſcedere cupit.

Thren. c.3.

10 Cum ſacerdotum principibus excurſum hunc claudo: hi enim, vt Matt. c. 28. ait; milites è ſepulchri cuſtodibus, Chriſti reſurrectionis præcones effectos videntes: *Matt. c.28.* *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in Ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſacerdotum quę facta fuerant;* ne tantæ veritatis teſtes eſſent, ipſos pecunijs multis corrumpere ſtuduerunt: *Ibid.* *Pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* ibid. quam principũ largitatem admiratur Chryſologus, dùm ſerm. 80. ait: Nonne iſti illimet ſunt, qui cum Iuda de Chriſti pro-

proditione conuenerunt? Nonnè in pretiũ tanti sceleris à Iuda cõmittẽdi triginta tantùm argenteos dederunt? quomodò nunc liberaliores effecti, tantam pecuniarum copiam, etiam non rogati effundunt? An fortè quia semper in augumenta facinorũ profilitur, & qui priùs Domini necẽ paucis argenteis emerunt, nunc peiores effecti, non tantùm populi, sed & sui excidiũ, & Ciuitatis euersionẽ pecunijs copiosis cõpararuerũt? Ità Chrysologus loc.cit. *Iudæi vendente Iuda emerunt, vt perderent Christum; nunc pecuniam copiosam, vt se, legem, templum, & Patriam perderent, effundunt.* Proh quanta ex leuium despectu ruina! Nam si principes illi inanẽ gloriam coercuissent, liuore minimè tabuissent: si Christo non inuidissent, haùd mortem ei moliti fuissent; hoc deniq; nisi effecissent, nec legis, nec templi, nec Patrię, nec Populi, nec deniq; propriam ruinã pecunijs copiosis emissent.

Chrysolog.

Iudæi Christi Domini necẽ triginta argẽteis, propriã autẽ pecunijs multis emerunt.

Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus. Ioann. 6.

§. IV.

Copia, non copijs; Panibus, non armis acquiruntur Imperia.

1 ANceps fui non semel, inter omnia supplicia in mundo à crudelitate inuenta, quodnã maius dici posset, & tandem, famem omnium maximum esse adinueni, de ea canente Menandro:

Menander.

Fames maximus dolor hominibus est. Fami enim nullum est contradicere verbum.

Fames omnium supplicium maximum.

Vndè de Lazaro ait Chrysost. hom. 5. in Luc. nihil ipsum respectu famis plagarum dolores existimasse: *Fames quidem* (ait ipse) *magna pœna est, nam inter tanta vulnera non meminit dolores plagarum, sed famis: cupiẽs saturari de micis.* Hæc ipse; quibus ego addere non timeo: strages ipsas à cruentis hostium manibus procedentes, in famis comparatione dulces apparere consueuisse, iuxtà illud Threno. 4. *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame*; quia gladio transuerberati, vita citò priuantur, fame verò pereuntes diutina morte necantur. Ità Hector Pinctus super citatum Ieremiæ locum: *Melius fuit occisis gladio. Hoc est, minùs ærumnosi fuerunt illi, quos hostium gladius vita priuauit, quàm qui fame interierunt; quoniam hi lenta tabe, & morte diuturna de vita decesserunt, illi verò subitò animam efflauerunt.* Et Plutarchus Caij Marij exercitum minùs hostium manus, & iram, quàm sitim timuisse describit, cùm dicit: *Caius Marius cùm castrametatus esset aduersùs Teutones in loco, qui minimum habebat aquæ, militibus dicentibus se sitire, ostendit illis flumen proximè hostium vallum lãbens: illinc (inquit) nobis potus sãguine venalis est. At illi iusserunt, vt se, quò vellet, duceret, donec liquidum haberent sanguinem, nec totus adhùc præ siti diriguisset:* in Roman. Apophteg. Ex quo illud colligo; satis decipi principes, duces, ac Tyrannos, qui armis hostium vires effringere, illosq; superare student; cum armis arma, fami autem virtus nulla resistat; vt ait Veget. lib. 3. cap. 26. *Magna dispositio est, hostem fame magis vrgere, quàm ferro.* Quod visum est in Lysimacho, qui cũ diù virilitèr aduersus inimicos pugnasset, contra sitim certare non valens, ab ipsa victus, se, & exercitum prò potu seruum effecit, vt ex Plutarcho habetur: *Lysimachus superatus à Dormichete in Thracia, cùm seipsum, totumq; exercitum propter sitim tradidisset, postquàm captiuus bibisset. O Dij, inquit, quàm paruæ voluptatis causa, meipsum ex Rege seruum effeci!* At ne in longum sermonem protrahaim. Ecce prophetam magnum illum turba proclamat, quem pridèm nedùm falsò, verũ impudenter etiam legis transgressorẽ vocabat; immò illum eundem, quem liuore tabescens morte afficere moliebatur, nunc regem efficere conatur;

Thren. c. 4.

Hect. Pinct.

Strages in famis cõparatione dulces.

Plutarchus

Veget.

Hostes famę potiùs, quã ferro vincũtur.

Plutarchus.

Cur

Cur autem hoc? Niſi quia multiplicatorum panum aciebus reſiſtere non valens, ac ſi victa, ipſum panum multiplicatorem, inopiæq; conſulentem veluti victorē, Dominum proclamat & regem. Nil aliter Theophylact. *Propter cibum dicunt: hic eſt verè Propheta, &c. Non amplius eum de Sabbati violatione arguunt, non vltrà legem vendicant, ſed adeò illum propter panes colunt, vt eum non ſolùm prophetam prædicent, ſed & dignum regno cenſeant.* Vndè Chryſoſt. hom. 41. in Ioan. hunc proclamat in modum: *Proh quanta gulæ vis? quàm mutabilis ſententia? iàm non amplius calumniantur, nec Sabbati tranſgreſſorem vocant, neq; Dei zelo mouentur: omnes has curas pleno ventre abiecerunt; propheta erat, regem volebāt.* Ecce tibi quid panes valeant, quàm ad firmanda imperia, immò ad ipſos reges deligēdos idonei ſint, ac validi; dùm hæc turba ipſis exaturata, quem ſummoperè dudum inuiſum habuerat, nunc ſibi aliiſque, licèt inuitum præficere ſatagebat. Non ab re dixi, ſatagebat, quandoquidèm verbum illud, rapio, violentiam indicat, vt ait Caietanus ſuper verba illa. *Vt raperent eum, & facerent eum Regem. Significat enim euangeliſta diſpoſitionem illorum ad cogendum per modum raptus Ieſum, ad hoc vt acceptaret regnum. In quo monſtratur magnus affectus illorum ad faciendum regem, motorum ex eo, quòd pauerat eos.* Optimè quidèm, & non ad inſipientiam regum miniſtris, immò regibus ipſis Iſaias ſuaſit, vt quotiès, vel ob annonæ caritatem, vel ob regētium imperitiam populos veluti aues à ſe auolare viderint; ad ſubditorum corda reuocanda panes offerant, atque prætendant: *Qui habitatis terrā Auſtri, cum panibus occurrite fugienti.* cap. 21. Iſte, qui ſic fecerit, in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius erit; quando eius panis populo datus erit, eius aquæ ſubditis fideles erunt. Et deniq; tunc puſillorum oculi regem in decore ſuo videbunt, quādò ipſum cum panibus venientem exceperint.

Theophyl. *Chryſoſt.* *Egeſtati qui cōſulunt facilè ad imperia aſſumuntur.* *Caietanus.* *Iſaias c. 21.*

2 Peripateticorū princeps Ariſt. in 1. politicorum libro cap. 1. quid Ciuitas ſit deſcribere volens; ipſam, ſocietatem quādam ad bonum aliquod ordinatam appellat, dicendo: *Quoniam videmus omnem Ciuitatem eſſe ſocietatē quandam, & omnem ſocietatem boni alicuius gratia conſtitutam.* Quod autem ſit hoc bonum, ob quod ciuilis iſta inſurgit ſocietas 1. & 3. & 7. politicorum declarat dicendo; aliud non eſſe, quàm rerum neceſſariarum ad vitam abundantiam, quæ ſi deſit, facilè talis diſſoluetur ſocietas, & Ciuitas ruet, dicente Niceta: *Annona penuria machina firmiſſima, & acerrima eſt ad vrbium expugnationem.* In Iſag. 10. Ang. l. 1. Ex qua philoſophi doctrina infero; imperitum politicum eſſe illum, qui non abundantia, ſed potentia Ciuitates pacatas, ſubditoſq; ſedatos tenere exiſtimat; quia ſi ipſi, & præcipuè puſilli ob rerum neceſſariarum copiam conueniunt, ceſſante poſtmodùm affluentia, diſrumpetur ſocietas, ruetq; Ciuitas.

Ariſt. *Ciuitas quid ſit deſcribitur?* *Niceta.* *Penuria acerrima machina ad vrbium expugnationem.*

3 Iudaici populi petitioni, vt benigniſſimus Dominus annueret, Saulem à Samuele in regem vngi præcepit: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in principem.* 1. Reg. 10. & vt rem faciliùs crederet Saul, electionis ſuæ ſigna adiecit Samuel, & inter cętera hoc fuit præcipuum: *Cùm veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel &c. Cumq; te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum* ibid. Sed quod reginiinis, imperijq; ſignum eſt iſtud bone Deus? numquid panis fruſtis tantus indigebat Rex? Ità prorsus: immò in imperij ſignum panes ei offeruntur, & accipere debebat, quia ille princeps, vt bonus politicus regni ſui cardines benè figere nouit, qui in ſuæ electionis exordio non armaria, ſed horrea conſtruit, non arma, ſed panes congregat. Ità in figura cuiuſdam perfecti politici ad regimen vocati docet Iſaias eſſe faciendum cap. 3. *Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebit in die illa, dicens: non ſum Medicus, & in domo mea non eſt*

1. Reg. c. 10. *Ibid.* *Iſaias c. 3.*

panis, neq; vestimentum: nolite me constituere principem populi. Super quæ verba duo annotat Cyrillus Alexand. ardens, scilicet, populi desiderium se subijciendi, non ab alio illecti, quàm ab alimento: *Quærunt, n. panem,* ait Cyrillus, *vt subijciantur, & pro alimento tenuissimo, se illi in seruitutem addicunt.* Et ad imperium vocati politiam, quòd nequaquam regimen absq; rerum necessariarum ad vitam copia acceptare voluerit; vndè subdit: *In domo mea, non est panis, nolue constituere me principem. Et quæ hac tergiuersatio, ac repudiatio?* subdit Cyrillus: *omninò mendicitas. Dicet, n. non est in domo mea panis, neq; vestimentum; non ero princeps populi huius.* Sciebat vtiq; optimus iste politicus, quòd absq; annonæ copia in regimine diù persistere nullo modo poterat, propterea se tanto muneri imparem vocat, quia panibus se carere videbat. Ecce tibi cur vix in regē vncto Saule panes, ei offeruntur, eosq; vt acciperet, iubetur: *Et tu accipies de manu eorum*: quia per hoc, (ni fallor) innuere volebat Samuel, quòd si in regimine, quod iàm ei datum fuerat, perdurare cupiebat, panum copia ab eo pariter conseruanda erat. Quod fortassis dicere voluit Tostatus verbis illis: *Dederunt ei duos panes, videntes quòd indigeret eis.* Et quidèm satis indigebat panibus, qui iàm electus erat in regem; nam sine ipsis, subditos diù pacatos retinere perdifficile est.

Cyril. Alex.

Vētri facile cedentes populi pro vilissimo alimento se in seruitutem redigunt.

Tostatus.

4 Clariùs nimis quisnam Præsul, bonus rector, pertectusque politicus cēseri debeat, descripsit Saluator cùm ait: *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Matt. 24. nam in hac serui descriptione si benè aduertis, illum fidelem, atque prudentem præsulem appellat, qui subditis opportuno tempore cibum nouit tribuere, *Vt det illis cibum in tempore*: vbi & si per cibum primo verbi diuini prædicatio, & vitæ exemplaritas intelligatur; tamen etiam cibi nomine vitæ necessaria subsidia includuntur, vt dicit Gorranus super citatum locum: *Vt det illis cibum in tempore: Cibum autem triplicem, scilicet, verbi, exempli, & temporalis subsidij:* ex quo satis aperte colligitur, illum prudentem posse vocari prælatum, qui opportuno tempore etiam vitæ necessaria, vt in dignitate perseueret, dispensare non ignorauerit. Ita Chrysost. homil. 78. super citatum Matthæi locum: *Hæc parabola ad gerentes, gubernantesq; rempublicam accommodari potest. Docet, n. vnumquemq; ad communem vtilitatem omnia conferre, quæ sua sunt: siue sapientiam, siue principatum, siue quidquid aliud: non ad detrimentum conseruorum, nec ad perditionem suam.* Sic ipse. Tu autem nota quæso vltima illa verba, *Non ad detrimentum conseruorum, nec ad perditionem suam*, & videbis; quòd nedùm detrimento populis sit princeps, qui illis cibum in tempore denegat, verum etiam ad sui perditionem hoc efficit, quia illiberales in regimine perdurare nequaquam possunt; idcirco ille reipublicæ rector fidelis, & prudens æstimabitur, qui sibi commissis cibum in tempore denegare non nouerit.

Matt. c. 24.

Gorranus.

Chrysost.

Quis princeps bonus politicus vocari debeat.

Absq; annona ad regimen assumi timent boni politici.

5 Assueri historiam sacra volens enarrare scriptura, sic ipsam exorsam fuisse comperio: *In diebus Assueri, qui regnauit ab India vsq; Aethiopiam, super centum viginti septem prouincias: quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit. Tertio igitur anno imperij sui, fecit grande conuiuium cunctis principibus, &c.* Esther. 1. Qui describendi modus sæpè me in stuporem adduxit; Cur ante omnia Regem hunc conuiuium fecisse commemorat? Cur non priùs ipsius vita, mores, prælia, cunctaq; res gestæ describūtur, quòd his omnibus omissis, multisque aliis, à quibus caput sumere poterat, ex conuiuio exorsa est? Et post multa dubitationem, Lyranum tandèm inueni, qui me à difficultate extraxit dicendo, quòd satis congruè vix descripta imperij magnitudine, eximij conuiuij per centum, & octoginta dies celebrati fit mentio, quia vltrà iactantiam, qua Assuerus ad illud faciendum incitabatur: etiam (meo sensu) vt suum firmius redderet imperiū, statim ac se tanti regni principem nouit; non ærarium aperuit, neq; militibus stipendia dedit, nec ære viros ciere, nec cantu Martem accendere,

Esther. c. 1.

ſtuduit, ſed parato optimo conuiuio omnes, ſed præcipuè fortiſſimos quoſque ad comedendum accerſiuit; ſcies nihil ſic imperia firmare, ſicuti ad vitam neceſſariorum copiam. Audi Lyranum: *Fecit grande cõuiuium Aſſuerus, vt teneret eos in amore, & ſubiectione*. Ecce cur vix deſcripta regni magnitudine, ſtatim conuiuium factum fuiſſe narratur, quia nihil populos erga reges ſic beneuolos reddit, quàm victus abundantia.

Lyranus.

In amore principis tenentur ſubditi, quoties neceſſaria eis alimenta præſtat.

6 At quid conuiuia imperijs clauos figere aſſerui? dicam, verumq; dicam: nedùm imperia firmare, verùm priuatos viros ad ipſa eleuare multotiès. In Adonia viſum hoc fuit, qui cũ præter patris intentionem, paterni regni ſucceſſionem affectaret, vt ſacra teſtatur pagina: *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo.* 3. Reg. 1. ad ſolemne conuiuium fratres ſuos, multoſq; ex viris Iuda acciuit. *Immolatis ergo Adonias arietibus iuxtà lapidem Zobeleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos filios regis, & omnes viros Iuda ſeruos regis.* ibidem. Quid verò ex hoc euenerit, ſubdit ſcriptura, quùm dicit: *Veſcentibus, & bibentibus corã eo, dicebant: Viuat rex Adonias*; ergo nedùm populus, verùm etiam regis filij Adoniam regem proclamabant? ità quidèm: & vndè ipſos proprio iuri cedentes, etiã præter patris voluntatem Adoniam, non Salomonem, nec alium ad regnũ eleuaſſe putas, niſi quia ab hoc, non ab alio ad ſympoſium fuerãt vocati; quam rem ſatis explicat ſcriptura, cùm dicit; quòd nuſquam niſi inter comedendum ipſum regẽ proclamauerunt: *Veſcentibus, & bibẽtibus coràm eo, dicebant: Viuat rex Adonias*: quia victus affluentia omni alia ad imperium via compendioſior eſt. Vndè Vgo Card. ſuper præfatum ſcripturæ locum: *Tales elegerant Adoniam, quos inuitauerat ad conuiuium.* Aduertis quare ab his potiùs, quàm ab alijs ad regendum eleuetur, quia hi non alij ad conuiuium fuerant accerſiti: quòd ſi nec hos vocaſſet, nec ab ipſis ſe regẽ vocari audiſſet.

3. Reg. c. 1.

Temporalia ſubſidia viros ad imperia eleuari faciunt.

Vgo Card.

7 Fallitur equidèm, fallitur ſatis, qui viribus, armiſq; fretus ſibi populos ſubiugare poſſe putat; nàm panibus potius, quàm armis turbarum animi ſuperantur: Quod vt clarè videas, ambitioſiſſimum Nabuchodonoſorem, qui omnem terram ſuo ſubmittere ſtudebat imperio, ex vna parte: & magnum Ioſephum Aegypti ſeruatorem ex alia, ante oculos tuos ſtatuo: ille vt vniuerſi orbis dominiũ acquireret ducibus vocatis, & bellatoribus, erarium ſuum aperuit, ſtipendia dedit exercitui, & ipſum ſub Holoferne ad pugnandum miſit: *Vocauit Nabuchodonoſor rex Holofernem principem militiæ ſuæ, & dixit ei: Egredere aduersùs omnem regionem occidẽtis, &c.* Iudith 2. Hic verò omni relicta militari arte, & induſtria, abundantiæ tempore frumenta in horreis congreganda exiſtimauit; & Pharaoni, non vt militiæ principem vocaret, ſed vt virum induſtrium conſtitueret, qui frumenta prò inopiæ tempore ſeruaret, perſuaſit: *Nunc ergo prouideat rex virum ſapiẽtem & induſtrium, & præficiat eum terræ Aegypti: Qui congreget in horrea omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate*. Gen. 41. quem horum vincendi artem adinueniſſe putas? primum fortaſſe? Nequaquàm certè; nam illi reſtiterũt multi, & præcipuè Bethulia, ſub qua tandem & ipſe occiſus, & exercitus victus remanſit: Secundum verò valdè Pharaonis imperium abſq; ſanguinis effuſione, ſi ſcripturam percurres, auxiſſe reperies, nàm relictis ciuitatibus, caterùatim populi ad Pharaonem pro frumento confugientes, pluſquàm libenter ei, vt inopiæ pericula vitarent, ſeruiebant. Quod fortè multos poſt annos explicauit Ieremias verbis illis: *Aegypto dedimus manum, & Aſſyrijs vt ſaturaremur pane.* Thren. 5. vbi Hector Pinctus: *Poteſt eſſe ſenſus: Aegyptijs, & Aſſyrijs promiſimus ſeruitutem, ac obedientiam, vt ſaturarcmur pane.* Quis cæcus nunc non videbit, imperitum politicum eſſe, qui viribus populos ſubiugare conantur; dùm proprio ore iſtos confitentes audit, panibus ſuperari non armis, dicẽtes: *Aegypto dedimus manum, & Aſſyrijs; vt ſaturarcmur pane.*

Iudith. c. 2.

Geneſ. c. 41.

Thren. c. 5.

Hect. Pinct.

Panibus nõ armis aliorum expugnantur, & propria augentur imperia.

8 Verùm quia de Ioſephi politia fari iàm cœpimus, Auguſtini non eſt

Digitized by Google

segniter discutienda subtilitas; Cur Ioseph imperium in manipuli figura signatum fuerit? *Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestros q; manipulos circumstãtes adorare manipulum meum* Gen. 37. Cui difficultati peracutè ad rem nostram idem respondet Augustinus, quòd non absq; magna ratione imperij culmina sub paruo visa sunt spicarum manipulo, qui facilè frumento affluenti se populi submittũt. Audi ipsum: *Vidit .n. Beatus Ioseph somnium, quasi ſtãtem in agro cum fratribus suis, & manipulos alligantem, & fratrum manipulos adorare manipulũ suum. Hoc in Ioseph tunc impletum est, quando eum in Aegypto adorauerunt fratres sui. Et non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.* serm. 81. de temp. Sanè vides cur sub manipuli figura Ioseph demonstretur imperium, quia triticum effundenti tamescentes se non inuiti subijciunt. Quòd postea, iuxtà Ioseph visionem adamussim ea omnia euenissent, obseruat Rupertus super verba illa Genes. 42. *Cùmque adorassent eum fratres sui*, vbi sic dicit: *Ecce .n. reuera quodammodò manipuli eorum manipulũ eius adorant, dùm non ob aliud ignotum sibi principem Aegypti adorant, nisi quia defecerant manipuli eorum, ille autem de manipulis plenum habebat horreum.* lib. 9. in idem cap. 2.

Genes. c. 37. — Augustin. — Ioſephi imperium cur ſub manipuli figura mõſtratum? — Rupertus. — Fameſcẽtes pro tritico facile ſe alteri ſubmittũt

9 Nec æquum est pro præsenti tractatu verba illa silere, quæ Isaac Iacob benedicendo dixit; sunt autem inter cætera: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum.* Genes. 27. cùm in ipsis satis dignũ notatu existimem, quòd priùs abundantiam, quàm regnum ei prædicit, quia benè sanctus hic senex absq; necessariorum copia perdifficilè aliquem regnare posse noscebat; cùm non ob aliud homo homini se subijcere soleat, quàm abundantiæ causa; ideò precata pro filio abundantia, illicò populorum, fratrumq; principatum ei prædicit. Pro qua re audiẽdus est Chrysost. homil. 53. in Genes. *Vide quomodo necessariorum copiam ipsi precatus sit, deindè principatum gentium prædicens, & futuram eius religionem, & incrementa, quæ indè nascuntur. Et adorent te principes: Nõ solùm ei apprecatur gentes subdi, sed & principes. Et sis Dominus fratrum tuorum.* Optimus sanè ordo, priùs copiarum affluentiam precari, & deindè populorum, ac principum subiectionem prædicere, quia bonis affluenti se libenter submittunt mortales.

Genes. c. 27. — Chrysost. — Optimus populi ordo, priùs fruges congregare, quam imperia affectare.

10 Tandẽm vt concludam, miraculum censeri posse iudico, si cuidã absq; abundantia se subijciat aliquis. Dauid pro me apporto, psalm. 17. sic dicentem: *Populus quem non cognoui seruiuit mihi*: quæ verba in Dei persona ipsũ dixisse opinatur Incognitus, & si ad quos essent directa ab ipso Dauid scisciari possemus, absque dubio Angelis dicta fuisse, respondere; quid autem per ipsa Angelis significare vellet, declarat idem Incognitus, dùm dicit: nil aliud nisi hominum obsequia erga se exhibita Cælorum incolis obijcere, ac tacitè dicere: quòd vos, quos fluminis lætificat impetus me laudetis, mihiq; seruiatis, mirum non est, quia felices vos efficio; quòd verò homines in lacrymarum valle degentes ad nutum mihi pareant, hoc certè mirabile est, cũ vix inueniatur, qui alteri absq; emolumẽto obediat. Allatus Incognitus in Dei persona; *Populus, quem non cognoui seruiuit mihi. Ac si apertè Angelis suis dicat. Quid mirum si vos mihi seruitis, quos felices facio. Quando illi mihi seruiunt, quos in sua paupertate relinquo.* Manifestiùs ac si diceret; quòd cælestes spiritus mihi seruiãt, magnũ non existimo, cũ mei sint conuiuæ, & quotidiè diuinitatis æpulis saturentur; sed quòd populus fameſcens mihi obediat, miraculum prorsùs æstimo, cùm nulli nisi ob necessariorum copiam se subijcere soleant mundani.

Psal. 17. — Incognitus. — Miraculum censendum est, si absque abundantia rerũ necessariarum ad victũ se subijciant fameſcentes.

11 Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis: Vobis dico, qui portatis orbem, quòd sapientes consiliarij Pharaonis insipiens vobis consilium dederunt, quoties populos vobis subiectos austeritate, & imperio, viribus,

Digitized by Google

Milus conſiliarius cen-ſeodus, qui viribus & armis popu-los in ſubiec-ſtione tene-ri cõſulitur.

bus, & armis in ſubiectione ſeruari debere dixerunt: nàm hæc amittendi imperia media ſunt potiùs, quàm retinendi. Ioſephum potius Aegypti ſeruatorem conſulite, & ipſum dicentem audietis: *Nunc ergo rex prouideat virum ſapientem & industrium, & præficiat eũ, &c. Qui cõgreget in horrea.* Gen. 41. Nam aliàs vt Pererius ſuper præfatum locum ait, populos pacatos tenere duriſſimum erit: *Multùm intereſt,* ait ipſe, *prudentis & boni principis, præcipuam annonæ publicæ rationem & curam ſuſcipere ac gerere: nempè huius incuria ac negligentia, multa populis incommoda, & ingentia affert mala; nec rarò magnos in plebe turbas, & ſeditiones ſuſcitat, agitatq; in furorem populos aduersus rectores, atq; inuiſum reddit principem, & exoſum.* hæc ipſe, quæ prò præſenti diſcurſu ſufficiant.

Gen. c. 41.

Pererius.

Digitized by Google

FERIA SECVNDA DOMINICÆ QVARTÆ

Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, Ioann. 2.

§. I.

Eleuat Deus ad puniendum manum, ictum autem minimè infligit.

1 IEroſolymitani templi profanationem, atq; ruinam, ac ſi præſentem prophetico ſpiritu regius vates præuidens, non potuit, non imprecari diuinam indignationem cõtra ſacrilegos profanatores dicendo: *Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem: quanta malignatus eſt inimicus in ſancto!* pſalm. 73. manifeſtiùs ac ſi diceret; quòd contra populum tuum iuſtis de cauſis omnẽ inimicorum feritatem, & rabiẽ exerceri permittas, acquieſco: quòd autẽ inimici, qui in templo ſancto tuo, vbi tua colitur, & adoratur maieſtas impuniti remaneãt, ne quæſo permittas, ſed diſperge illos in virtute tua, & in ira tua turba eos, imple ſagittas tuas ſanguine, & comple furorem tuum, ne fortè dicant, manus noſtra excelſa; & erecto collo incedentes, contra omnipotentem ſe roboratos fuiſſe iactẽtur: Hæc nonnulli per præfata verba Dauidem ad Deum dicere voluiſſe autumant. Vndè Interlin. *Leua manus tuas, ideſt, potentiam tuam, in ſuperbias eorum, à quibus euerſa eſt Ieruſalem. Quãta malignatus eſt inimicus in ſancto, in templo, ſacerdotio, & cæteris ſacramentis.* Et Titelmannus: *Leua manus tuas: extende manum tuam, & ad vindicandum leua brachium tuum aduersùs ſuperbiam inimicorum, qui non videntur vltrà tolerandi, neq; à miſericordia tua, qua ſemper tuis ſoles in opportunitatibus miſereri, neque à potentia, per quam hoſtium ſoles furorem comprimere.* Ego nihilominùs in ſupra allatis Dauidis verbis nõ parùm admiror; ipſum diuinam indignationem imprecando, non apertè dixiſſe: flagella, percute, occide; ſed tãtùm quòd contra hoſtes ſuos manus leuare dignaretur, popoſciſſet: *Leua manus tuas in ſuperbias eorum*; ſi manũ leuare, & ictum non inferre minantis eſt, non percutientis, potiùs dicere debebat: percute, occide, quàm leua manus in ſuperbias eorum. Verùm ſatis rationabiliter ipſum ſic fuiſſe loquutum cenſeo, quia ſciebat iuſtiſſimum iudicem in præſenti nequaquã reos percutere, ſed tãtùm ad eos perterrefaciẽdos baculum eleuare ſolere. Vnde Iob, vt perfectiſſimum de Satana triumphum gereret, non tantùm Deum contra ſe ad eius patientiæ, virtutiſq; probationem manum leuare, ſed etiam ſoluere, & ad percuſſionis effectum venire poſtulabat, cùm diceret: *Soluat manum ſuam, & ſuccidat me*, cap. 5. vbi Gloſſa: *Soluat manum ſuam, ideſt, exerceat effectum. Dùm.n. inflatus longa proſperitate amorem ſuum per flagella non exercet, quaſi manum ad ferienda vitia ligatam tenet.* Ex quo diſcurſu iure optimo deduco, Deum contra ſceleſtos, atq; rebelles manum equidèm ad puniendum eleuare, ictũ autem prò nũc, nequaquàm infligere. Pro qua re, ſi aliæ deeſſent probationes, ſatis eſſet dicere, quòd iuxta multorum ſententiam contra hos templi profanatores flagella quidem effecit, dicente Euangeliſta: *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Ioann. 2. illis tamen ne ad percuſſionis actum deueniret, minimè vſus eſt; vt cum multis alijs aſſerit Euthymius: *Scire autem oportet, quòd homines facto flagello non verberauit, ſed ipſos quidem exterruit, ac expulit: oues verò, ac boues verberauit, & eie-*

Pſal. 73.

Gloſ. Interl.

Titelman.

Iob. c. 6. Gloſ.

Ioan. c. 2.

Euthymius.

Cũ cæteris peccatoribus pietas adhibenda eſt, ſed cum templi profanatoribus iuſtitia exercenda.

Deus ad puniendum, ac ſi manum ligatam haberet, flagella nõ exercet.

Deus ad puniendũ manum eleuat, ſed non percutit.

Digitized by Google

& eiecit. Hæc ipse; quibus ego nonnulla subiectam, vt clareat, hunc esse Dei morem in puniendo, manum, scilicet, eleuare; percutere autem nequaquam.

2 Ad nostri summi parentis pietatem minantis equidem, punientis autem nequaquàm ostendendam, verba illa Abrahæ in filij immolatione dicta: *Abraham, Abraham: Non extendas manum super puerum.* Genes. 22. adduco, & quæ connexio sit inter ista, & illa paulò superius in eodem capite scripta. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atq; ibi offeres eum in holocaustũ super vnum montium quem monstrauero tibi,* per libẽter audirem: Si Deus Isaac sibi sacrificari volebat, cur vetuit? Si nolebat, quare præcepit? Iuxtà litteralem sensum te respondere nõ ignoro, nunquam Deum humani cruoris sacrificia approbasse, nec propterea in hoc casu, Isaac sibi sacrificari, sed Abraham fidem, deuotionem, & obedientiam probare voluisse; quod tàm ex antecedentibus, quàm ex consequentibus satis clarè textus ostendit; nihilominùs ad mysticum sensum rẽ reducendo, sacramentum hoc magnũ dico in Christo, & Ecclesia, in Deo, & hominibus, quòd nempè cum Abraham nostri summi parentis, & Isaac hominis, tanti patris per creationem, & per redemptionem filij sint figuræ, mirum non est, si Abraham, gladium, quo filium occidere intendebat, inter cœlum, & terram suspensum tenere iubetur; quia Deus, cuius ille extabat figura, gladium quidem contra nos euaginat sæpissimè, & vsq; ad æthera, ac si terribiliter ferire vellet, attollit, verum ad nos illum pro nunc declinare minimè vult. Hunc meum cogitatum D. Zenonem tertiũ æstimo, quum ait: *Religiosus carnifex stringit gladium Patris erat, quòd leuauit, Dei fuit, quòd pepercit,* serm. 3. de Abrahã; nam dicendo: *Patris fuit, quòd leuauit, Dei fuit quòd pepercit,* quid hominis, quidue Dei proprium sit ostendit; hominis namq; gladium ad feriendum eleuare, & percussioni insistere; Dei verò parcere, hoc est, eleuato gladio terrorem quidem incutere, illum autem super homines minimè inflectere; quapropter mirum non est, si Abrahæ manus ne percutiat inter cœlum, & terram diuino iussu suspensa tenetur, quia cum Dei esset figura, neutiquam ad percussionis actum deuenire debebat.

Genes. c. 22.

D Zeno.

Isaac sacrificium, cur à Deo impeditum?

3 Et quidèm contra quem vnquam se magis iratum Deus ostẽdit, quàm in parentes primos, quando eorum inobedientiam videns, ità iusta ira incensus paradisum adijt, vt nedum ratione præditos, verùm insensibilia ipsa summo terrore affecerit, vt ait Moyses Barcepha lib. de paradiso cap. 28. super verba illa: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. Gen. 3. Apparuit tunc illis, nimirum humanæ speciei formidabilis, turbidus difficilis, & quasi peregrè aduenientis, iraq; tumens, furensque, & suo incessu concutiens terram, atque adeò ipsas Paradisi arbores pressis vestigijs tremefaciens.* Attamen nec tùc oblitum fuisse misereri Deum, nec continuisse in ira sua misericordias suas reperio: nam nostros rebelles, inobedientesq; parentes nequaquàm, vt merebantur, morte multauit, nec vt iustè efficere poterat, redegit in nihilum: Cur aute hoc? Si dicas cum Bernardino Senensi, quòd Virginis Beatissimæ causa primis parentibus indulsit, eòq; propter ipsam ad nihilũ non redegit, quia si hoc effecisset, Sacratissima Virgo oriri minimè potuisset: *Indulsit,* ait ipse, *misericors Deus primis parentibus, nec eos annihilauit; quia sic non fuisset orta Beata Virgo, nec Deus carnem vestisset humanam* tom. 4. serm. 5. de Natiu. B. Mariæ cap. 2. consentio quidèm, cùm admodùm pia sit cogitatio: attamen si alia à me, cur primos parentes non annihilauerit, esset assignanda ratio, ad præsens institutum vna hæc esset; immensa. s. diuinæ pietatis potentia, quæ in ira misericordiæ non oblita, Deum ne ad punitionis actum deueniat, tenet. Adsit Chrysost. dicens: *Manifesta quidèm est eius lenitas, & vel ex his saltem initijs, quæ humano generi demonstrata sunt, cùm Deus legem dedit primo homini, & legislator ab illo contemptus est, non fulmine illum vultus est, non induxit quasi minatus est sententiam: sed finxit quasi*

Moyses Barcepha.

D. Bernard. Sen.

Mariæ causa Adam post peccatũ minimè annihilatus.

Chrysost.

Deus in puniendo fulgura præhera discurrere facit, ad terram aurẽ deuenire nõ finit.

Digitized by Google

quasi indignabundus strepitum. homilia de Adam, Sodomitis, Acab, & pœnitentia. Ecce quomodo inter maiores minas, fulgura quidèm per æthera discurrere facit Altissimus, in terram autem cadere nullatenùs sinit.

4 Oculos nunc mecum aquas, obsecro; & quonam pactò insuperabilis Deus ab homine teneri sic quiuerit, quòd post populi idololatriam proprio ore ad Moysen diceret: *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit; dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Exod. 32. acuto visu intueamur, & videbimus non facilè percipi posse, sic omnipotentem à Moyse teneri potuisse, quòd nisi ab ipso dimissus, tàm grande scelus punire nequiuerit. Nec dicere oportet Sanctorũ preces Deum quodammodò, ne peccatores feriat, ligare, ac proindè à Moyse perdendi licentiam (si fas est dicere) postulasse; quia eius precibus veluti vinculis quibusdam tenebatur; nàm esto, quòd preces tantam vim habeant. Si Deus vix vt Moysen populi idololatriæ conscium fecerat, dimitti petijt, Moysen tunc pro idololatris, ne diuinum dirimeret sermonẽ, orandi tempus non habuit, nec proindè, vt ex textu habetur, orationem cœperat; quando ergo dimitti poposcit? quonam igitur modo præfata intelligenda sint verba, nullatenùs caperem, nisi Lyranum dicẽtem legissem, quòd sic Deus loquendo non se dimitti, sed teneri potiùs innuebat; & hoc non ob aliud, nisi quia diuinam iustitiam strícto gladio pœnas à reis exigentem videbat, & ideò ne ad punitionis actũ deueniret, teneri postulabat. Audi Lyranum: *Loquitur Deus more humano, cũ filius offendit Patrem, & pater tenens gladium quasi ad iugulandum ipsum, dicit alicui existenti iuxtà se, ne retineas me à percussione; per hæc magis insinuans contrarium, scilicet, quòd vellet teneri.* O verè magnam Dei nostri pietatem! quæ vt diuino resistat furori, homines etiam, aliquo modo in adiutorium assumit. Vndè allatus subdit Lyranus: *Ex hoc accepit Moyses audaciam orandi pro populo ad defendam Dei vindictam, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus, quiescat ira tua, & esto placabilis.* Patentiùs ac si diceret: Quòd Moyses omnipotentem tenere auderet, ne mireris, quia ipse ad se tenendum illũ incitabat, ne ob sceleris magnitudinẽ contra morem sui, ad verbera venire cogeretur.

Exod. 32.

Orationes Sanctorum Deũ tenent, ne peccatores puniat.

Lyranus.

Ab hominibus teneri vult Deus scelestos ne feriat.

Idem.

5 Dubitari nunc potest. Cur Iacobus, & Ioannes magistri zelo feruẽtes contra Samaritanos inurbanos, & inhospitales, qui eorum Præceptorem: ecipere renuerant indignati, dixerunt: *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de Cœlo, & consumat illos?* Luc. 9. cùm potiùs dicere debuissent; dic, vt descendat ignis, & consumet eos, quia si Samaritanorum inhospitalitas magistri fuerat offensio, ad ipsum, non ad eos pœnarum pertinebat exactio; idcircò non ipsi, sed offensus ignem de Cœlo aduocare debebat. Inspexit difficultatẽ Brugensis, illamq; enodauit dicendo, quia magistri naturam pluries fuerant experti discipuli: & etiam quia ipsum nubes prò limitibus iustitiæ dedisse, iuxtà illud Dauidis: *Iustitia tua vsq; ad nubes.* psalm. 35. optimè sciebant; nè Samaritani iuxtà ipsius institutum, & vsum prorsùs impuniti remanerent, ignem ipsi non à Cœlo ad nubes, sed à Cœlo ad terram ad scelestorum combustionem aduocare volebant. Optimè citatus Brugensis: *Domine vis, nec tamen dicunt: Domine dic, aut iube; quia eam nouerant Domini mansuetudinem, vt per se id facturus non esset. Offerunt ergo se ministros paratos, vt si potestatem det, & consentiat Iesus, ipsi ignem deuocent.* Hæc ipse. Tu autem nota quæso verba illa: *Quia eam nouerant Domini mansuetudinem, vt per se id facturus non esset;* & sole clarius perspicies, ipsum eleuato brachio, minimè ferire; quod optimè agnoscentes discipuli, ne impuniti remanerent scelesti, ignẽ ipsi ad illorum perniciem è cœlo aduocare volebant.

Luc. 9.

Psal. 35.

Brugensis.

Dei mansuetudo iniquos puniri non patitur.

6 Nec mihi facilè à nunc tacto scripturæ loco discedere libet, quin prius discipulorum petitioni Samaritanos igne cœlesti consumere volentium, quid respondisset pietatis magister, adducam, atq; expendam. *Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.* ibid. hoc equidèm fuisse petitionis responsum ex Euangeli-

Luc. ibid.

ſta habemus: quod quomodo petitioni cohæreat, eũ per illud nec annuat, nec renuat, haud facilè intelligerem, niſi Lucam Brugenſem inueniſſem dicentem: Saluatorem verbis nuper allatis, non tàm petitioni, quàm intentioni diſcipulorum reſpondiſſe; quippè qui illos Eliæ zelum æmulari velle videbat, ac proindè, eorum intentioni reſpondens, ipſos increpauit dicendo; *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*; quod nil aliud erat, niſi dicere: quòd Elias, qui iuſtitiæ ſpiritu ducebatur accerſito cęleſti igne, homines non tantùm terreret, ſed etiam adureret; ſum contentus: ſed vos, qui ſpiritu meo, ſpiritu lenitatis, & pietatis ducimini, quonã pactò cum Elia pari paſſu curretis? ſi ſpiritum meum à minis ad vulnera, & punitiones deſcendere putatis? Pallimini: ideò ſi verè mei diſcipuli eſtis: ſiſtite, furorem compeſcite, & punitiones Eliæ ſeueritatis ſpiritu præditi relinquite, & meo vos ducti, parcite percuſſioni. Brugenſis. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, ad quẽ ſpiritum pertineatis, ad quem ſpiritum vocati à me ſitis; vel cuius ſpiritus eſſe debeatis vos diſcipuli mei; itâ vt opponatur Eliæ, cuius exemplum illi imitandum ſibi propoſuerant: quaſi dicat. Neſcitis vos alterius eſſe debere ſpiritus, quàm fuerit Elias, vos alio debere moueri ſpiritu, quàm Elias motus fuerit: Ille ſpiritu ſeueritatis & iuſtitiæ, vos pietatis.*

9 Ex dictis difficilis mihi minimè erit difficultatis illius ſolutio: Cur diſcipuli in horto ſatellitum turbam in magiſtrum irruentem videntes, feriendi veniam petierint: *Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?* Luc. 22. quamuis paulò ante ab ipſo tunicas in gladios commutandas eſſe audiſſent: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Luc. ibid. Quia magiſtri conditionem ab omni vſu gladij, & vindictæ alieniſſimam agnoſcebant. Supra allatus Brugenſis: *Si percutiamus in gladio, percutiemus ne? placet nè percutiamus? Vis vt gladio te defendamus? Meminerant abs Ieſu dictum in cœna: Sed nunc qui habet tunicam vẽdat, & emat gladium: ſed quia non tàm clara ipſis ea verba videbantur, quàm deſiderarent, præſertim cùm noſſent vitam ſimul & doctrinam Ieſu ab omni vſu gladij ac vindictæ alieniſſimam; rogant quid ſibi faciendum.* Optima ſanè verba; ſed præcipuè illa: *Eũ noſſent vitã ſimul & doctrinã Ieſu ab omni vſu gladij ac vindictæ alieniſſimam*, noſtrum probant inſtitutum; gladium nempè Dominum euaginare, ſtringere, & eleuare ſolere; percutere autem nequaquam: ex quo diſcipuli nec ipſi id ſine ſpeciali facultate efficere audebant.

8 Prætermittẽda non eſt ad præſens inſtitutum illa difficultas: Quid per verba illa ad Petrũ Malchum percutientem directa: *Sinite vſq; hùc*. Luc. 22. intelligere voluerit Saluator? An Petri zelum, & Malchi auriculæ abſciſſionem pietatis approbauit Magiſter? Et certè primo intuitu id verba ſonare videntur: tamen oppoſitum ex Matthæo habemus, cùm Petrum ob percuſſionem reprehenſum à Saluatore, non laudatum reperiamus; vt videre eſt apud ipſum cap. 26. Quid ergo per præfata verba: *Sinite vſque hùc*, intelligere voluerit, magna eſt inter Expoſitores altercatio: mihi tamen, & ſi Bedæ, & Carthuſiani non diſpliceant opiniones, quorum primus dicit, quòd verba iam dicta, non ad auriculæ abſciſſionem, ſed ad Chriſti comprehenſionem referri debent, vt ſit ſenſus: deponite zelum, proijcite arma, ſinite vt hoſtes vſq; ad me comprehendendum, atq; crucifigendum perueniãt, quod & ego non veto; cùm prò peccatoribus mors mihi ſatis dulcis appareat. Adſint venerabilis Bedę verba: *Non ità ſentiendum eſt, quaſi placuerit ei vſque hùc factum; ſed amplius fieri noluerit, cùm in verbis, quæ Matthæus ponit dixiſſe Dominum: Conuerte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim, qui gladio acceperint, gladio peribunt; intelligatur potiùs totum factum Domino diſplicuiſſe. Illud enim verum eſt, quòd cùm interrogantes dicerẽt: Domine, ſi percutiamus in gladio? tunc reſpondit: Sinite vſque hùc, ideſt, non vos moueat, quod futurum eſt; permittẽdi ſunt hùc vſq; progredi, vt impleãtur, quæ de me ſcripta ſunt.* Secũdus verò quòd ad Malchum referri debeant aſſerit, vt idem ſonent, ac; ſinite Malchum vſq; ad me perue-

Brugenſis.

Apoſtolos alio ſpiritu ab illo Eliæ duci debere aſſeruit Chriſtus, & quare?

Luc. c. 22.

Ibidem.

Brugenſ.

Vita Chriſti ab omni vſu gladij aliena.

Luc. c. 22.

Matt. c. 26.

Beda.

Chriſtus patiendi ardore flagrabat.

nire, vt eum sanando, austeritatem vestram mea temperem pietate: *Sinite vsq; hùc*, ait Carthusianus art. 48. *idest, permittite hunc Malchum percussum appropinquare ad me, vt curem eum.* Carthusian.

Gorrani tamen magis mihi arridet sententia asserentis prætata verba, non ad percussionem, nec tàm ad Christi comprehensionem, quàm ad percutientium qualitatem referri debere, vt sit sensus: quòd antea in seculo existentes ensibus vteremini, transeat: verùm quòd nũc apostolatus insigniti honore, meaq; doctrina, & moribus imbuti, ipsis vti velitis, nequaquam permittam; cùm contra mei gymnasij institutum sit percutere. Gorranus: *Sinite vsq; hùc, quasi vellet dicere: vsque modo licuit vobis, idest, vsq; ad statum Apostolatus; sed amodò non licet, ex quo estis mei Apostoli gladio materiali percutere.* Gorranus. Ecclesiasticis gladij vsus interdictus. Sic discipulos ad sui imitationem manum ad feriendum contractam tenere docebat pietatis Magister: qui quàm multus est ad ignoscendum, tàm deparcus in percutiendo apparere exoptabat.

9 Facilè mihi modò patet aditus ad dubitationem eam: Cur. s. hominẽ illum à latronibus sauciatum, quem Sacerdos videns, & leuita absq; medicamine vllo pertransierant; solus Samaritanus miseratus fuerit, vulnera illius ligans, plagisque vinum infundens, & oleum: *Samaritanus quidam iter faciens, venit secùs eum: & videns eum, misericordia motus est. Et approprians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.* Luc. c. 10. Lucæ 10. Quia si per sacerdotem & leuitam, lex & Prophetæ intelligebantur: per Samaritanum Christus importabatur, qui solus peccatorum nostrorum vulneribus gratiæ oleum infundere poterat, illaq; curare valebat. Verùm quod satis notatu dignum æstimo, est; nulla interposita mora, à Samaritano vulnera fuisse ligata: Si medici fungebatur officio, cur ad vulnerum fossas scrutandum specillis non fuit vsus? cur non plagarum dilatauit angustias, vt faciliùs exeunte pure citiùs leuaretur, atque curaretur saucius; quòd vix visis vulneribus statim alliganda esse duxit: *Alligauit vulnera eius?* Verùm cœlestem hunc medicum vulnera statim ligasse haud miror; quia ea instituis ligãdo operire studebat: & si tãti mysterij causam percontaberis, audacter respondebo: ne illa videret. Vlteriùsq; si quæras; Vndè ipsa tàm inuisa haberet? Dico, quòd tàm longinqua ab ipso est pœnarum inflictio, vt etiam si non à se, sed ab alio infligantur, illas quodammodò videre abhorret: idcircò ne videat, fascijs alligando contegit. Chrysostomum rem tetigisse existimo, verbis illis: *Iàm teguntur vulnera, quæ fuerant ante denudata.* Chrisost. Ecce tibi quòd mederi quidèm vulnera studebat Samaritanus; sed magis tegere satagebat: Cur autem hoc? Audi ipsum immediatè ante dicentem: *Samaritanus autem quidam trãsiens, solus dissimulare non potuit.* Et quidèm quonampactò plagas, & vulnera videre poterat ille, qui nil sibi sic contrarium putat, vt pœnarum inflictio? Christus plagas nostras infirmitis operit nè videat.

10 Solemnis nunc esset quæstio illa. Cur totiès Deus à Satana solicitatus vt manum in Iobum extẽderet, sicut videre est apud ipsum Iob cap. 1. vbi habetur: *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.* Iob. c. 1. & c. 2. Et cap. 2. vbi dicitur: *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem*; ipse tamèn neutiquàm id facere voluerit; sed semper Satanæ, vt per se, quod suadebat, efficeret, concedendum potiùs putauerit: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Ibidem. cap. 1. & postea cap. 2. ampliori licentia eum ditando, ait: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua*: nisi iuxtà communem omnium expositorum sentẽtiam, manum extendere in scripturis, idem esse ac plectere, haberemus: ex quo omnis cessat dubitandi ansa; Cur contra Iob quantumuis rogatus nunquàm manũ suam extendere voluerit? Quia cẽdendi actus quàm longissimi sunt ab ipso, qui nedùm ad iusti probationem, verùm etiam ad iniusti punitionem, eleuatum à iustitia brachium, potiùs ad condonandum retrahit, quàm ad puniendum extendit; vt igitur Satanicum obstrueret os, contra iustum iniustè oblatrans, ipsi, qui ab initio homi- Deus brachiũ ad cõdonandum, atq; donandi extendit, sed à puniendo retrahit.

micida fuit, vt per ſe id efficere poſſet, conceſſit. Viuat ſemper Origenis memoria, qui hanc mihi ſubtilitatem ſequentibus verbis ſuggeſſit, dùm in Dei perſona Diabolum hunc alloquitur in modum: *Cur tangam ò Diabole? ad delendum (ait) tange, ad interitum, ad exterminium, ad perditionem. Et quomodo, inquit, perdam, ò inimice omnium bonorum Diabole, ea, quæ creaui? Quomodo exterminē ea, quæ dedi? vel quomodò deleam ea, quæ ego feci? Ecce omnia, quæ habet dedi in manum tuam, quia hoc quæſiſti, vt ego manum meam mitterem, ideò ecce ego dedi omnia quæcumq; habet in manum tuam, & filios, & filias, & ſubſtantiam, & labores, & diuitias, & poſſibilitatem. Omnia quæ ſunt intra domum eius, vel extra, omnia quæcumq; habet nō defendo, neq; contradico. Omnia quęcunq; habet dedi in manum tuam, quæ iram, atq; gladium continet, quæ prælia, atque bella operatur, quæ perditionem, atque damnationem perficit, quæ doloribus non ſatiatur, quæ impietatibus inhiat. In hanc manum trado omnia, quæ ſunt illius*: hæc ipſe lib. 1. in Iob. Ecce tibi Dei, & diaboli manus deſcripta, ex qua deſcriptione quàm diſſimiles, diuerſæq; rationis ſint, facilè colligere poteris; nā quàm illa Dei, pietate, & miſericordia ſemper plena, etiam ab ipſa punitionis vmbra contrahitur; tam diaboli hæc, ſæua, atque crudelis; cùm ſanguine, & cædibus delectetur, ſemper ad puniendum, ad feriendum, ad delendum, atq; perdendum porrigitur, & extenditur.

Orig.

Manus Dei lenis, Diaboli vero ſæua nimis.

Nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Ioann. 2.

§. II.

Eccleſiaſticorum auaritia Deo admodùm inuiſa.

QVàm magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, & vir inſipiens non intelligit; Quarè cū ceteris peccatoribus mitius, quàm cum telonearijs hiſce agatur? Cur contra hos tantùm, verborum aſperitati, manus etiam tremenda addēda fuerit? Si quia publicos introducebant abuſus, Dei ædes negotiationis domum efficiendo? In quarto templi atrio (quod largè templi nomine vocabatur) illud ipſos feciſſe reperio. Dicente Gorrano: *Quatuor erant in templo atria. Primum erat Sacerdotū. Secundum mundanorum virorum. Tertiū mundanarum mulierum. Quartum immūdorum & gentilium, & quodlibet iſtorum largè appellabatur templum, & in hoc quarto inuenit animalia*: quod non parum culpam minuit, cùm vix impropriè templi vocabulo inſigniri poſſet locus ille, cuius ingreſſus nec ipſis gētilibus adeò Iudæis inuiſis prohiberetur. Si qua vſura illic exercebatur? Hæc adeò tenuis erat, vt dicat D. Bonauentura, non pecunias, nec munera, ſed parua tantùm munuſcula ipſos pro fœnore acceptaſſe. Sic ipſe ſuper verba illa: *Et nummularios ſedentes*. Ioan. ibid. *Scilicet, commodantes pecuniam ſub cautione: nam prohibitum erat dare ad vſurā. Tamen tales parua nummuſcula accipiebant, licèt non numeratam pecuniam, palliantes ſuam vſuram*. Rationabiliter igitur, cur illos tàm moleſtè ferret admiror, quod etiam Chryſoſtomū, Bonauenturam, Vgonem Card. Toletum, multoſq; alios in ſtuporem adduxit. Quamobrem horum primus homil. in Ioannem 22. vt rem mirabilem, difficultatem propoſuit hanc; dicendo: *Quæſitu dignum eſt, qua gratia adeò Chriſtus hic indignatus eſt, & maximè cùm aliàs iniurijs, contumelijſq; affectus, Samaritanus, & Dæmonium habens appellatus, nihil tale fecerit: nunc non cōtentus flagello, verbis etiam in eos ità inuehitur?* & licèt multas huius difficultatis ſolutiones tàm ipſe, quàm reliqui præfati afferant; ad propoſitum tamē noſtrum hoc vnum tantummodò mihi in mētem venit: quòd quia telonearij iſti Eccleſiaſticorum erant figura, vt ait Origenes tract. 15. in Matt. *Emētes, & vendentes in templo Dei ſunt Diaconi, qui non benè tractant Eccleſiarum pecunias, & diuites fiunt de rebus pauperum: ipſi ſunt nummularij pecuniarum menſas habentes, quas Chriſtus ſubuertit*;

Gorranus.

S. Bonau.

Vſura etiam minima Deo ſummè diſplicet.

Chryſoſt.

Orig.

Digitized by Google

propterea Christum sic indignatum, existimo; quoniam quantumuis parua Ecclesiasticorum auaritia magnoperè Deo intensa apparet. Quod, meo iudicio, Vgo asseruit Cardinalis, quando mensarum subuersionis rationem assignans, taliter inquit: *Mensas quoq; nummulariorum subuertit, propter auaritiam Sacerdotum*, qui quamuis paululum lucri ex hac negotiatione acciperent, multum nihilominus per hoc Deo inuisi reddebantur; quia si paruus nævus, qui alibi non valdè displiceret, in oculo tamen maximoperè displicet; sic auaritia licèt in omnibus vituperabilis sit, in Ecclesiasticis tamen, qui militantis Ecclesiæ oculi sunt, iuxtà illud Origenis: *Sacerdotes rationabiliter dici possunt Ecclesiæ oculus; quoniam, & speculatores habentur*, in Matt. cap. 15. tract. 5. super verba illa: *Si oculus tuus scandalizat te*. Et Gregorij: *Oculi quippè sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi prouidendi itineris officium susceperunt*. p. 1. Pastoral. cap. 1. plusquàm detestabilis, turpisq; apparet. Vndè Ouidius quoq; tametsi ethnicus, à templis attamen auaritiam auferre studens, hoc cecinit modo.

Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis vxor,
Et quæ turicolis semina tosta dedit
Et soror, & Progne, Terreusq; duabus iniquus,
Et quicumq; suas per scelus auget opes.

2. Pastor. Quibus carminibus, & præcipuè vltimo, quàm longè ab eius falsorum Deorum ædibus, vt illis summè inuisi auro inhiantes semouendi essent, ostèdit: quod si ipsum nō latuit, ne vltra demireris, sicut nec ego miror, quòd in telonearios hos plusquàm in quempiā aliū inuehatur Saluator; quia cùm Ecclesiasticorum diuitiarū cupidorum gestarent personam, Deo vt summoperè infensi, minis, flagellisq; à sacris laribus expellūtur. Hanc Ecclesiasticorum cupidinem Deo admodùm displicere, sequentia facis hodiè indicabunt.

1. Considerādo illa prò præsenti materia mihi primùm occurrit, Quæ te miserum furor, qui non vltrò,

Vgo Card.

Ecclesiasticorum auaritia super omnia Deo inuisa.

Orig.

Gregorius.

Sacerdotes Ecclesiæ oculi.

Ouidius.

sed citrà condignum semper punire decreuit, adeò quandoq; zelo feruerat; vt nedùm peccantes, verùm peccantiū etiam sobolē pro illorum scelcribus plectat, & perdat: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Exod. 20. si dicis, quòd non omnium scelerum adeò seuerus sit vindex, sed aliquod peculiare peculiariter puniat; quodnàm id hoc, inquiro: & licèt te cum Tostato respondere calleam, sōlā idololatriā Deum ad hanc iracudiā incitare solere. Vndè prædictus Tostatus quæst. 4. *Ego sum Deus tuus fortis, zelotes, visitans, &c. Ideò, non solùm punitus patres pro peccato suo, sed etiam filios pro peccatis suorum patrum: & hoc ad magnum terrorem pertinebat; nàm erant Hebræi proni ad idololatriam, & nisi magno terrore arcerentur, semper colerent idola: magnus autem terror erat, quòd non solùm peccantes puniantur pro seipsis, sed etiàm filij. Pro peccatis autem patrum filij nunquam puniantur æternaliter; sed anima, quæ peccauerit ipsa punietur.* Chrysostomum tamen alterius sententiæ fuisse reperi; nàm in epist. ad Corinth. summum hoc facinus Deo adeò inuisum, vt etiam à filijs exigatur, auaritiam esse sequentibus verbis declarat: *Valdè quidem est iustum, vt qui scelere, ac quæsita successit hæreditati, & si ipse nō respuit; habet tamen quòd raptum est, thesaurizet iram in die iræ: & tu peccatorum, & iræ hæres, & de ijs omninò pœna à te exigetur.* hæc ipse: Iuxtà cuius sententiam, magnæ diuinæ vltionis auaritia censenda est, nam quamdiù malè acquisita durat substantia; tandiù diuina extenditur ira; & propterea in tertiam, & quartam generationem parentum facinora se vindicare fatetur; quia scelere acquisitæ opes vlterius conseruari nequaquam solent; cui Chrysostomi sententiæ tanquam euidētissimæ maiorem minorem addo: quòd si Ecclesiastici à mundanis, sicut stellæ à puluere in perfectione distare debent, vt bene admonuit Rupertus lib. 5. in Genes. cap. 18. vbi subiungit dicens, Abrahæ etiam ideò quandoq; pulueri comparatum esse. *Facit*

Exod. c. 20.

Tostatus.

Scelus nullū adeò, vt idololatria punitum.

Chrysost.

Magnæ diuinæ vltionis, opes scelere acquisitæ.

Digitized by Google

Geneſ. c. 13 ... Quandoq; ſtellis: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes, & dixit: Sic erit ſemẽ tuum.* cap. 15. Quia per puluerem mundani, per ſtellas verò Eccleſiaſtici demonſtrabantur, vt tàm diſpari figura, quàm illos illi virtute antecellere deberent, oſtẽderet. Hæc Ruperti ſunt verba: *Nec verò pro ſola multitudine, vel numeroſitate, ſed & pro differenti claritate dixit, ſic erit ſemen tuum. Nam ſicut non ſolùm alia claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſed etiam ſtella à ſtella differt in claritate: ſic non ſolùm alia gloria Dei, & alia gloria Sanctorum Abrahæ filiorum, ſed etiam ipſi differentem ab inuicem diuerſis pro meritis ſuis gloriam habebunt.* Ergo intentior nimis Deo erit Eccleſiaſticorum, quàm mundanorum cupiditas: conſequentia, licèt de ſe clara ſit, cùm ſordes, quæ in cœno non apparent, in ſpeculo quantumuis paruæ ſatis claræ videantur; Deus tamèn per Ezechielem illam confirmare non deſijt, cùm ait: *Ecce complosi manus meas ſuper auaritiam tuam, quam feciſti.* cap. 22. *Loquitur ad Ieruſalem, ideſt, Eccleſiam,* ait Vgo Card. ergo ſatis probata, & confirmata remanebit cõcluſio, quòd nihil ſic Deo, vt Eccleſiaſticorum diſpliceat auaritia; nam ſi manum ad manum collidere maximi doloris indicium eſt; dùm pro hac tantùm manus complodit, hanc ei maximè diſplicere nulli dubium erit.

Ibid. c. 15.

Rup. Abb.

Puluerí cõparãtur mũdani, ſtellis eccleſiaſtici, & quare?

Ezech. c. 22

Nihil ſic Deo diſplicet, vt eccleſiaſticorum auaritia.

Vgo. Card.

3 Silendum prò præſenti argumento minimè exiſtimo. Cur Deus in os, & non in cor Balaam Iſraelitico populo maledicere cupientis ſua verba immiſſurum dixit; nam vbi noſtra vulgata legit: *Si vocare te venerunt homines iſti, ſurge, & vade cum eis: ità duntaxat, vt quod tibi præcepero, facias.* Num. 22 Septuaginta vertunt: *Verbum quodcumq; poſuero in ore tuo, hoc loqueris.* Si ſemper iuſto per os Salomonis dicere conſueuit: *Suſcipiat verba mea cor tuum.* cap. 4. Cur oppoſitum nunc cum Balaam exequitur, non in corde, ſed in ore eius verba ponens? an fortè, quia in cor illud, in quo auaritia locũ ſibi habere cœperat, Dei ſermo ingredi dedignabatur? Ità prorsùs ait Rabanus ſequentibus verbis: *Si non indignus fuiſſet, verbum ſuum Dominus non in ore eius, ſed in corde poſuiſſet; ſed quia in corde eius deſiderium mercedis erat, & pecuniæ cupiditas, verbum Domini non in corde, ſed in ore ponitur.* Quæ conuentio lucis ad tenebras; Chriſti ad Belial? Quæ pars (vt clariùs loquar) Dei cum auri cupidine? Si illi Eccleſiaſticorum præciſè auaritia ſemper fuit vehemẽtèr inuiſa; quonampactò in Balaami cor à diuitiarum concupiſcentia poſſeſſum Dei verbum immitti poterat? Optimè ergo dicitur, quòd nõ in corde, ſed in ore ponitur; quia ne auaritiã ſecum pateretur, cor quantùm poterat fugiebat.

Num. c. 22.

Septuag.

Sapient. c. 4

Rabanus.

Cor auari dedignatur Deus poſſidere, ne quid cũ auaritia cõmune habere videatur.

4 Tali odio virorum ſibi dicatorum auaritiam proſequitur Deus, vt omnibus diſſimulatis ſceleribus, hos dũtaxàt per antonomaſiam ſceleſtos, & impios appellet. Quam meam ſententiam, ipſemet Deus confirmare nõ dedignatur, dùm per Iſaiã ità fatetur: *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiã: in terra Sanctorum iniqua geſſit.* cap. 26. quia vbi nonnulli per impium hoc in loco Diabolum intelligunt, dicente Hieronymo: *Quidam impium, hoc eſt, Diabolum intelligi volunt, de quo in 9. pſalm. ſubditur. Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum delecti in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Alij malum religioſum, ſiuè Eccleſiaſticum ſub impij nomine ſignificari autumant, idq; ex verbis illis, *In terra Sanctorum iniqua geſſit*, ſatis rationabiliter colligunt. Vndè Hector Pinctus: *Exaggerat ſcelus impij, dicens eſſe inter viros ſanctos admiſſum. Vbi hac ratione vides deteſtabiliùs eſſe delictũ religioſi in Monaſterio, quàm laici in mundo*; iuxtà quam opinionem admiſſa, per impij vocabulũ malum importari Religioſum: vnum tantummodò eſſet probandum; quòd cupiditas, ſcilicèt, ſit iſtius impij impietas, per quam abſolutè impius appellatur: & hoc licèt ex ipſiuſmet ſceleris nomenclatura appareat, nàm impietas idem eſt ac crudelitas & feritas, nihilq; ſic ſæuum, atque crudelem hominem reddit, ac auaritia. Vnde S. Valerianus homil. 20. eius feritatem his verbis pertinxit: *Radix omnium malorum eſt cupiditas. Et verè ſi reſpiciamus ad ſingula, quibus ab initio vitæ ſuæ habendi ſtudio conditio humana*

Isaias. c. 26

D. Hieron.

Hect. Pinct.

Religioſi delictum deteſtabilius, q. laici.

S. Valerian.

Auaritia admodum crudelis.

constituit, nihil est malorum, quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut pascat, aut nutriat. Ex hoc, n. fomite videmus pullulare odiorũ causas, hinc enascire criminũ pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari? nihilominùs per Ieremiam declarauit Altissimus, cùm non de alio, nisi de Ecclesiasticorum auaritia conquestus describitur. *Egressa est à prophetis Ierusalem pollutio super omnem terram.* cap. 23. Quas Dei querelas explicans Vgo Card. super cap. Luc. 19. per pollutionem, auaritiam intelligit, dum dicit; *Ista auaritia sacerdotum quotidiè crescit, undè tota Ecclesia destruitur, & polluitur; Ierem. 23. A Prophetis Ierusalem, &c.* Itaque, si verum est, vt verissimam puto; per impium in terra Sanctorum iniqua agentem, virum Deo dicatum; & per impietatẽ auaritiam importari; Ecclesiasticum auarum, impium per antonomasiam appellari, satis congruum erit.

Ierem. c. 23

Vgo Card.

Ecclesiasticus auro inhiãs impius per antonomasiam condemnatus.

5 Patet nunc mihi aditus ad difficultatem illam. Cur in domo Pharisæi de vnguenti effusione murmurantibus cunctis: *Erant quidam indignè ferentes intrà semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Marc. 14. solùm Iudam carpserit Saluator? nàm vbi nostra vulgata habet, *Sinite illam*, Ioann. 12. aliqui textus, & præcipuè Græcus (vt benè annotat Toletus) in singulari loquitur, *Sine*, pro finite ponens; Quia reliquorũ discipulorum murmuratio ex quadã animi simplicitate procedebat: Iudæ verò quoniam ex auaritia, quæ apud Deum absolutè impietas existimatur, ortum habebat, ideò relictis illis, solus hic corripitur, & arguitur. Victor Antiochenus super præfatum Marci locum: *Solùm Iudam tamquàm auarum perstringit, veriùs quàm reliquos discipulos. Norat n. hos ex quadam animi simplicitate magis, quàm ex malitia mulieris factum improbasse.* Manifestiùs ac si diceret; quòd in Iudam solummodò inuehatur Saluator, ne miremini, quia solus Iudas nummorum cupiditate tenebatur; & contra hanc tantùm, impietatem per antonomasiam nuncupatam, singulare Christus assumit certamen.

Marc. c. 14.

Ioan. c. 12.

Toletus.

Vict. Ant. Singulare Deus cõtra auaritiã assumit certamen.

6 Indignè à Iuda, de quo fari cœpimus, me discedere existimarem, nisi priùs; Quisnam esset proprius ille Iudæ locus, de quo Petrus Act. 1. ait: *Prævaricatus est Iudas, vt abiret in locũ suum*, subtiliter inquirerem; nec si malam crucem iuxtà Eucumenij sententiam, dicentis: *In locum suum, hoc est, ad laqueum, quo se furto dignum reddidit.* locum illum fuisse asseres, à proposita difficultate absque vlteriori inquisitione discedam: Cur laqueo potiùs, quã alio mortis genere fur iste interire debebat: Si sui ipsius seuerus carnifex ipsemet esse volebat, cur mucrone non se iugulauit? Cur præcipitio non se collisit? Cur flammis non se donauit, quòd laqueo in aere tãquàm proprio in loco vitam se concludere debere existimauit? Bernardum ser. 8. in psal. 90. dixisse reperi, *In locum suum abijsse testatus est, quòd in aere crepuit medius aereum collega potestatum. Vt hunc proditorem nec Cœlum reciperet, nec terra sustineret.* Itaque quia Cœlo, Terræque erat inuisus, in aere locum suum habere debebat? prorsùs ità. At cur tàm vtrique infensus, quòd neutrò locum sibi vendicare meruit? Nùm ob infandam Saluatoris proditionem? & ob hanc quidèm: verùm ob auaritiam, à terra etiam, non minùs, quàm à Cœlo reiectum fuisse asserit Augustinus. *Quia hactenùs occupauerat alienũ, ex propriis demeritis locum suum effecit.* Sanè quàm Deo & creaturis Ecclesiasticorum displiceat auaritia, perspicis, dùm insensibilia ipsa Iudam socium habere renuerunt.

Act. Apost. c. 1.

Eucumen.

Bernardus.

Iudas cœlo, terræq; inuisus.

Augustinus.

Ob auaritiã nec cœlũ eũ recipere, nec terra sustinere valuit.

7 Stupet Cæsarius Nazianzeni frater dial. 4. Cur Petrus, qui Deum ergà se tàm pium senserat, mitemque expertus fuerat, in Ananiam, Saphiramque sic ipse sæuiret, quòd ambos in vna hora verbi gladio transuerberauit, ac occidit? Si illorum lapsus respectu negationis ipsius ferè nullus erat, cur misericordiæ oblitus, rigore tãtũ, & iustitia vti voluit? Verùm in Ananiam, & Saphiram Petrum desæuisse ego nequaquam miror, quia istorum scelus auaritiam fuisse reperio: & hæc si insensibilibus ipsis (si fas est dicere) displicet, quonampactò Petro, qui cũcta se reliquisse dicere consueuerat,

om-

omniſque terrenarum opum cupiditatis expers erat, vt bene annotat Balduinus à Tilmano in ſuis allegorijs citatus ſuper verba illa, *Argentum & aurum non eſt mihi*, dum dicit: *Digna vox principatu principis Apoſtolorum. Quid Petro & auro? Nonne Petrus dixit. Nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* poterat non diſplicere? Bene dicit Chryſoſt. hom. 12. ſuper citatum act. locum. *Facinus veniam non habet, excuſatione caret.* Si aliud fuiſſet peccatum, venia nequaquam adeò indignum fuiſſet; verùm quia auaritia erat, à Petro vt rem ſibi ſummè diſplicentem, ſine magno ſupplicio ferre nequaquam potuit. Quo forte exemplo Sancti illi Aegyptiarum ſolitudinum incolæ, vt ait Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. centum ſolidos cuiuſdam Monachi defuncti reperientes, conuocato Patrum concilio, communi conſenſu, diuino ſic ſuggerente ſpiritu, decreuerunt infodiendam cum Monacho eſſe pecuniam, dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Et dicit Hieronymus, *Nemo putet hoc crudeliter factum*; quia à Petro forte auaritiæ odio habendi exemplum acceperant. Et ſubdit: *Tantus timor per totam Aegyptum terror inuaſit, vt vnum ſolidum dimiſiſſe, ſit criminis.*

Baldinus.

Chryſoſt.

Cur in Ananiam & Saphirã adeò ſeuerus.

Hieronym.

8 Fidem an mihi ſis præſtiturus, ignoro, ſi audies: Adeò Deum virorũ ſibi dicatorum auaritiæ odio habere, vt malit ingentia operari miracula, quàm minimam in illis cupiditatem admittere: Ad cuius dicti probationẽ locum illum aduoco; *Nihil tuleritis in via, neq; virgam, neq; peram, neque panẽ, neq; pecuniã, neq; duas tunicas habeatis*, Luc. 9. Et, an diſcipulis ſic omnis ſecularis ſubſidij expertibus aliquid in via defuerit, non ſemel ſcrutatus ſum: & tãdem neceſſariorum ſaltem nil prorſus eis defuiſſe ex ipſorummet ore cõperi. nam à Saluatore interrogati: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22. reſponderunt, vt idem ſubdit Euangeliſta, *Nihil*. Quo autem pacto neceſſaria ipſis miniſtrata fuerint, explicat Gloſſa in ſenſu morali, dum miraculoſè eis à Deo prouiſum fuiſſe aſſerit: *Quando miſſi fuerunt Apoſtoli ad prædicandum ſine prouiſione aliqua neceſſariorum, fuit diuinitùs eis lautè prouiſum, quia nihil eis defuit, vt dicitur in textu.* At ſi miracula ſine neceſſitate Deus operari non conſueuit, cur hoc miraculoſè potiùs, quàm naturaliter efficere voluit? Si ſecum cibos ſaltem aſportantes abſque miraculo egeſtati conſulere potuiſſent, cur vetuit? Cur omni prorsùs ſubſidio carentes ad prædicandum mittere voluit? Ignorarem ſanè quid difficultati eſſet reſpondendum, niſi Toletus mihi occurriſſet, qui ſuper 9. Luc. dicit: Quòd Deus ne minimam terrenorũ curam in Apoſtolis videret, miracula potiùs operari voluit, quàm illam in Apoſtolis admittere. Verba autem eius ſunt: *Omnẽ temporalis victus ſolicitudinem eos deponere volens Chriſtus, prohibuit, ne peram portarent in via, ne panes aſſeruarent, cogitãtes de futuro vitæ tempore; ſed totam ſuæ vitæ curam diuinæ prouidentiæ relinquerent, quæ illis neceſſaria quando, & quomodo oportuerit miniſtrari faciet.* Ecce quomodo miracula operari maluit, quàm etiam neceſſariorum, paruam in Apoſtolis curam admittere, diuinitùs potiùs eorum egeſtati conſulendo, quàm aliquod ſecum aſportari ſinendo.

Luc. c. 9.

Gloſſa.

Non deſunt miracula, vbi voluntaria adeſt paupertas.

Toletus.

Miracula Deus operari maluit, quã minimã in ſuis temporaliũ curam admittere.

9 Quod ſi tibi inſufficiens apparet argumentum: Quo tempore ad Eliam Corui cibos allaturi venirẽt, in mẽtẽ redige; & niſi malè aduertes, bis in die, mane videlicet, & veſperi hoc effeciſſe reperies. *Corui quoq; deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi.* 3. Reg. 17. qua in re quidquid ſit; an veri corui eſſent, quod non ſine ratione probabilius exiſtimat Toſtatus quæſt. 15. An Angeli in Coruorũ figura: ſi cibi iſti, vt veriſimile idem putat Toſtatus quæſt. 16. vel à Deo creabantur, vel ab ipſo miraculoſè fiebant: Cur non ſemel in die, mane ſcilicet pro veſperi etiam cibos Deus mittebat? ſi ad miraculorum multiplicitatem vitãdam; eſcas abſq; potu mittebat, vt quæſt. 17. idem obſeruauit, qui dixit: *Poterant Corui portare panem, & carnem in roſtri, & tamẽ non poterant portare vaſa viuaria*, cur bis in die miracula operari volebat? Pro cuius difficultatis ſolutione ad 16. Exod. te mitto, ibique duo

3. Reg. c. 17

Corui ad Eliam miſſi, veros coruos fuiſſe nõ Angelos probabilius putatur.

Toſtat. q. 17

duo ad rem noſtram notatu digniſſima te reperturũ minimè ignoro. Primum, quòd populo deſerti vias teretì miraculosè quidem quotidiè, vt matutinum imbrem manna Deus deſcendere faciebat, verùm ne quid ex ea in craſtinum reſeruaretur expreſsè prohibuit. *Nullus reliquat ex eo in mane.* Secundum eſt, quòd non hora prãdij, ſed oriente die cœlitus miſſi cibi fieri debebat collectio. *Colligebant autem mane ſingulí, quantum ſufficere poterat ad veſcendum.* Primum Dei fuiſſe præceptum malẽtis per ſingulos dies miracula operari, quàm nimiam conſeruandarum eſcarum curam in populo admittere aſſerunt omnes, & inter cæteros Carthuſianus ar. 32. *Voluit autem Dominus vt ſine mundana ſolicitudine colligerent, vtpotè, tantum, quantum putabant ſibi ſufficere; ideò non licuit ſeruare in craſtinum, vt de Dei prouidentia eſſent ſecuri.* Et Toſtatus quæſt. 10. *Vt ergo tota cura eorum in Deo eſſet, qualibet die prò illa die ſolùm colligebant, vt ad aliam diem Dei largitatem certiſſimè expectarent.* Secundum verò ad meliorem ciborum apparatum ab Hebræis ipſis fuiſſe adinuentum aſſerit mòx allatus Toſtatus quæſt. 11. *Quia & ſi cœlitùs manna daretur, contuſum tamen & coctam magis ſapidam reddebant, & hoc ſine tempore fieri minimè poterat. In mane colligebatur, quia oportebat ad meliorem apparatum, vt confringeretur in olla, & ſic fierent ex eo tortulæ: ad hanc autem apparationem indigebant aliquanto ſpatio: ideò expediebat mane colligere, vt cibi parari poſſent ad congruam horam comedendi.* Itaq; vix pro ciborum apparatu cura aliqua concedebatur; pro eſcis autem in craſtinum aſſeruandis nulla prorsùs admittebatur. Audi nũc ſublime myſterium, cur Eliæ mane, & veſperi, immò hora prandij, atq; cœnæ panem, & carnes etiam ad comedendum paratæ afferebantur: quia Eliæ vt perfectiori, quod populo craſſiori cõcedebatur, negari debebat; nam cura illa, quę populo pro condiendis, aſſeruandiſque pro veſperi eſcis admittebatur, in Prophetà ſanctiſſimo ſatis indecora apparuiſſet, ad quas tollendas ſolicitudines, hora prandij, & cœnæ etiam parati afferebantur cibi.

Exod. c. 16.

Carthuſian.

Conſeruandarum eſcarum excludendi cauſa ſolicitudinem, mãna in craſtinũ ſeruari vetitum erat.

Toſtatus.

Idem.

Panes, & carnes cur non mane pro veſperi etiam, quòd potiùs bis in die Eliæ mittebãtur.

Viuat Carthuſiani memoriã, qui hæc mihi ſubtilitatem ſuggeſſit. *Cœli quoque deferebant ei panem, & carnes: Mane, hoc eſt, horæ prandij ſimiliter panem, & carnes veſperi, id eſt, horæ cœnæ, & vtì carnes aſſatæ ad edendum parata, ſanguis autem vorans aſſumi illa.* Audis quàrè bis in die cœli Eliæ miniſtrãti mitterentur, quia plus Deo prandarum, atq; conſeruandarum pro veſperi eſcarum cura in Prophetà, quàm miraculorum multiplicatio diſplicebat.

Carthuſian.

Comeſcionis tempore eſcæ paratæ Eliæ mittebatur, ne cura aliqua teneretur.

10 Silendum pro concluſione haud quaquam exiſtimo, nullum Deum, nullumq; peccatorem per brutorum os Deum redarguiſſe, ſi Balaam. *Aperuitque Dominus os aſinæ, & locuta eſt: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam terriè &c.* Numer. 22. Quem mirificum euentum Petrus mente reuoluens, ob prophetæ inſipientiam accidiſſe aſſerit. *Correptionem habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam.* epiſt. 2. cap. 2. Quæ autem fuerit inſipientia illa, quæ nedùm ab Angelo, verùm ab aſina etiam (quod nunquam alias factum legimus) coripi debebat; cupiditatem fuiſſe, clarè ex textu habetur: & talis quidem cupiditas, quòd nec tãti monſtri iniquitatem cor auaritia poſſeſſum aduerte re fecit, quàm rem ſupra modum ſtupens Gloſſa, ait: *Tanta cupiditate plenus ferebatur, vt nec tanti monſtri miraculo terreretur, & reſponderet quaſi ad hominem loquens; cùm Deus nõ aſinæ animam in naturam rationalem vertiſſet, ſed quod illi placuerat ex illa ſonare feciſſet.* Itaq; cupiditas fuit inſipientia illa, quæ etiã ab aſina coripi debebat, prorsùs ità: nec mirum, quia ſic Deo viri ſibi dicati auaritia diſplicebat, vt nouo, & prorsùs inſueto modo illã redarguere voluerit. Carthuſianus art. 2. ſuper citatã Petri locum. *Aſina quippe virtute diuina inſipientiam ipſius Balaam (qui fuit propheta aliqua ex diuina reuelatione pronuntiando) redarguit, & eum à cœpto itinere quantum in ſe erat, compeſcuit, dicens: Cur percutis me ecce iam terriè?* In poſterùm ſummè Deo eccleſiaſticorum auaritiam diſplicere quis negare poterit, ſi ad illam redarguendam

Petr. ep. 2. c. 2.

Gloſſa.

Aſinis ſtolidiores auari

Carthuſian.

Ad ſibi dicãtorum compeſcẽdã auaritiam, etiam iumẽtorum ora Deus aperire conſueuit.

dam etiam brutorum ora aperire nō dedignatur? Sed heu quot aſinorum ora noſtra hac tēpeſtate aperiri oporteret, ſi Deus omnes Balaami ſocios corripere vellet! nàm omnes à maximo vſq; ad minimum, à propheta vſq; ad ſacerdotem auaritiæ ſtudere perſpicio. Et quod, vt ſatis deteſtabilius, vix ſine lacrymis dicere valeo; quot (bone Deus) non paupertatis amore, ſed vt ortus ſui paupertatem fugiant, religiones virtutum gymnaſia ingrediuntur; ibiq; diuites eſſe cupiunt, vbi ab omnibus floccipendi diuitiæ debent. Vndè Hieronymus in epiſt. ad Heliodorum: *Sunt ditiores monachi, quàm fuerant ſeculares, poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete Diabolo non habuerant; & ſuſtinet eos Eccleſia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.* Iſti, iſti in tugurijs attegiſq; nati, non anguſtas tantùm faſtidientes domos, ſed ſuperba etiam multotiès dedignantes Palatia, deſtruendi, ædificādique finem ignorant, vt benè ſub ſui figura de talibus ad Nepotianū ſcripſit Hieronymus: *Natus in paupere domo, & tugurio ruſticano, qui vix millio, & pane cribrato rugientem ſatiare ventrem poterat, nunc ſimilam cum melle faſtidio.* De his tanquàm de nouis Domini ſui crucifixoribus conqueritur Bernardus in Canticis, cùm ait: *Quod ſine miſerabili gemitu non eſt, Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos, lanceam, Crucem, & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profligant in acquiſitione turpis quæſtus, & pretium vniuerſitatis ſuis marſupijs includere feſtinant; hoc ſanè à Iuda differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorū numero compenſauit, iſti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias.* Si vſque modò nullus fuit, ò vir Deo dicate, theſaurorum tuorum finis: ſi ſemper vlteriùs progreſſa eſt cupiditas: ſiſtat nunc, & hic vbi te Iuda peiorem intelligis, tumentes fluctus ſuos auaritia tua confringat. Capitis tui tonſura temporalium omnium abdicationem edoceat. Decaluare igitur, & tondere, vt ait Micheas, ſi verus religioſus vocari exoptas, vt te in allegorijs Tilmanni Stephanus Cantuarienſis Epiſcopus edocuit, cùm ait: *Decaluare, & tondere, hoc eſt, O tu clauſtralis, decaluare, ideſt, omnia temporalia pro Chriſto relinque, vt ſis filius Choræ, ideſt, Chriſti in caluaria crucifixi, qui nihil proprium habuit in terris, vnde: Vulpes foueas habent, &c. Dilata caluitium, ſicut faciunt boni Clauſtrales, qui omnia pro Chriſto relinquunt, quod & oſtendit tōſura capitis, quæ maior eſt in illis, quàm in Clericis, &c.*

Hieronym.

Qui in ruſticanis tugurijs vix angulum habere ſolebāt in ſeculo, etiā ſuperba palatia in religione dedignari non erubeſcunt.

Idem.

Bernardus.

Nimia Religioſorū poſſidendi cupiditas carpitur.

Stephan. Cantuarienſ. Epiſcopus.

Quid religioſorū tōſura edoceat, oſtenditur.

His qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Ioann. 2.

§. III.

Magnes amoris, Amor.

1 VAriè antehac diſtrahebar: Cur Chriſtus, qui contra cętera animalia ſeuerus nimis extiterat, aſperis flagellis illa de templo eijciēdo, erga columbas poſtea ſic piè ſe geſſerit, ac ſi omnis aſperitatis immemor, pietatiſq; tantummodo memor, de templo quidèm auferendas præcepit, ſed lenitèr quod præcepit alleruit, illis tantùm verbis vſus: *Auferte iſta hinc.* Si nedùm iumenta, verùm homines etiam ipſius manum, atq; flagella fuiſſe expertos non defuit ſententia, cur Columbæ tantùm omnis rigoris redduntur immunes? An quia præ cęteris animantibus hæ ſolùm felle carentes, & pietatis, amoriſque cùm ſint vmbræ, vt ait Vgo Cardinalis ſuper citatū Ioannis locum, *Auferte iſta &c. Columba non habet amaritudinem in hepate, māſuetudinemq; ſignificat*, pietatem, amoremq; merebantur? Prorsùs ità: nam nuſquam ſic ad ſe ferrum magnes attraxit, vt erga ſe amorem cōciliat amor: Cuius rei minimè ignarus Simocatta epiſt. 57. ad quendam, qui ſe non amari conquerebatur, dicere conſueuerat: *Si non amas, cur la-*

Ioan. c. 2.

Vgo Card.

Colūba felle carens pietatis figura.

Simocatta.

Digitized by Google

cymaris, & ingemiscis, si tibimetipsi spōtaneam tempestatem accersis? Falleris, ac si diceret, falleris certè, si non amando amari posse existimas, dùm nil amorem erga se nisi amor attrahere valet. Quod optimè noscens Ioannes Sarisberiensis, amoris tradidit institutum, cùm in Prolog. Policrat. cecinit.

Ioan. Sarisberiens.

Nemo sciens illum ladit, quem credit amicum.

Regula fida nimis; quisquis amandus, amet.

Amoris magnes, amor.

Nàm vt benè ait Ambrosius, & si quis de nō amando excusare fortè se possit, de non reamando excusationem habere nullatenus potest. Vndè ipse: *Non amare fortasse licet, non reamare omninò non licet*; quia vt optimè adnotauit Augustinus libro de Catech. rudib. cap. 4. satis inurbanus illius censendus est animus, qui amoris vices rependere negligit. *Nulla est maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando: nimis. n. durus est animus qui si vltrò dilectionem non vult impendere, etiam nolit repēdere.* Quam fortè inurbanitatis notam, vt nos fugère doceret Saluator cum Columbis tantùm, quia amoris symbolum, piè, humaniterque se gessit: Pro quo argumento plura subnectam.

Ambrosius

Augustinus

Prouocatio maxima ad amandū. præuenire amādo.

2 Antè alia diuini illius amoris excessus à Deo Patre in filij incarnatione ostensus, & à Ioanne descriptus, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* cap. 3. se mihi offert. & quod in modò dicta diuini amoris descriptione notatu dignū existimo, non est illud, *Sic*, excessum, & vehemētiam significās; quod Chrysostomum maximam in admirationem adduxit, qui ait: *Illud (sic) immensam amoris significat vehementiam.* homil. 26. in cap. 3. Ioann. nec quòd filium non alienum, sed suum, sibi coæternum, consubstantialem, atq; æqualem, non ex multis assumptum, sed vnicum, ac solùm pro vilissimi mancipij redemptione tradere voluerit; quod supra modum præfatū fecit stupere Chrysostomum, qui hunc ait in modum: *Vt filium suum vnigenitum daret. Nō seruum, non Angelum, non Archangelum, nemo vnquàm pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantam pro seruis, & ingratis seruis Deus*; sed quòd summo hoc diuini amoris descripto excessu nil de retributione pro tanta donatione dicat, nihilq; concludat, etiam Cęli obstupescere, & portæ eius desolari deberent vehementer: nam ex tali tantoq; diuini amoris excessu nullam consequentiā inferre, diminutus, plus, quàm ratio exigebat, videtur sermo. Verùm si Paulum consulere voluerimus ipse nos ab omni abstrahere poterit difficultate; nam Ephesios ad diuinum amorem vrgere volens, hunc ait in modum: *Estote ergò imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* cap. 5. Quibus verbis non ad æqualitatem, sed ad proportionem nos Deū amare debere satis apertè indicat, vt sit sensus: modis omnibus, quibus nos à Deo amatos fuisse agnoscimus, ijsdē prorsùs pro modulo nostro amore ipsū prosequi debemus, cùm amori nil nisi amor rependi debeatur. Vndè Bernardus: *Talis vniformitas meritat animam Deo: cùm cui similis est per naturam, similem se nihilominùs ipsi exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est.* Ecce tibi cur absq; conclusione aliqua suum dirimat sermonem Ioannes, quia in amoris gymnasio iuxtà diligētis normā dilectionis debent sequi exēpla. Et tandē vnico vt cōcludā verbo, ecce vbi aduerbium illud, *Sic*, à Ioanne ante prolatum, *Sic Deus dilexit mundum*, referri debeat, nempè, ad illud, sicut, non multò post à Paulo relatum: *Sicut & Christus dilexit nos*; vt versa vice, ordineque præpostero legi (meo iudicio) debeat, Sicut Christus dilexit nos, sic nos pro modulo nostro ipsum diligere debemus. Adamussim meum confirmauit cogitatum Petrus Chrysologus de mysterio resurrectionis Christi in allegorijs, & tropologijs Tilmanni, cùm ait: *In tātum nos amat, sicut ipse qui est sapientia Patris ait: Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Nobis est, fuit ante mortem, & in morte, & post mortem nobiscum est, & nunc, & vsq; ad consummationem sæculi, donec simus nos cum illo, qui semper cum Domino erimus. Ecce quantum amat Iesus. Neque mors, neq; vita poterit eum separare à nobis*

Ephes. c. 5.

Bernardus,

Maritat animā Deo vniformitas voluntatis cum illo.

Ioan. cap. 3.

Chrysolog.

Modis omnibus quibus à Deo diligimur, ipsum diligere debemus.

Chrysost.

Idem.

Digitized by Google

bis in charitate, quæ nos dilexit. Propterea neq; mors, neq; vita debet nos ſeparare à charitate ipſius. & vt cętera taccam: ſi non ſumus ingrati, & maligni hoc ſufficere debet, quòd ipſe nos diligit. Optima equidèm verba, & non ad inſipiẽtiam dicta; nam ipſis, & Deum ſicut nos ipſe dilexit, ſic eſſe diligendum oſtenditur; & cur diuini amoris erga nos declarato exceſſu nil ad noſtram ſubiungatur eruditionem, explanatur; nã ad noſtrum erga diligentem excitandum amorem cohortationes, & verba neceſſaria nullatenùs ſunt; ſed, *Si non ſumus ingrati, & maligni hoc ſufficere debet, quòd ipſe nos diligit.*

3 Argutiùs veritatem hanc, amori amorem rependi debere, oſtendit Ioannes, cùm Deum propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, à nobis ſummoperè eſſe diligendum verbis illis, *Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. c. 14. aſſeruit; nam ſecluſa ſumma Dei bonitate ob quam abſolutè ab omnibus coli, diligiq; debet, aliam addidit rationem: amorem, nempè, quo nos immeritos proſequi non eſt dedignatus. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos,* ac ſi diceret: omnibus alijs ſemotis rationibus, quis Deum non amabit, ſi ab ipſo amatum ſe ſentit? ſi amori amor rependendus eſt, diligentem non diligere nullatenùs licet. Chryſologus loco præfato: *Nihil .n. magis debetur amanti, quàm viciſſitudo amoris. Et qui amat, vult amari. Et hoc iuſtiſſimè quidèm. At qui amari vult, & amare non vult, mirum ſi vel iudicio ſuo abſoluitur ne iniquus ſit. Vero autem iudicio qui amantem non amat, & ipſe indignus eſt amari.* Hæc ipſe. Nos autẽ quia particulam tetigimus illã: *Ergo: ergo diligamus Deum,* vt illationẽ importaret, propterea appoſitam fuiſſe dicamus, vt ſit ſenſus: ſicuti ex veris, notiſq; præmiſſis ex ſe deducitur conſequentia, ſic conſequens eſt, vt poſito Dei amore, noſtra erga eum ſequatur dilectionis viciſſitudo. Vndè Auguſtinus lib. de gratia Chriſti c. 26. *Dilectio Dei dedit nobis, vt diligeremus eum.* Et hæc meo videre eſt ratio; cur totiès in ſacris paginis diuini amoris erga nos declarantur exceſſus, vt amãti amoris viciſſitudo redderetur. Vndè Bernardus: *Cùm amat Deus, non aliud vult, quàm amari, qui ad hoc tantũ amat, vt ametur.* Bernardus.

4 Difficilè nunc mihi minimè apparet: cur Paulus ſuam erga Deum deſcribere volẽs dilectionem per particulam, ergo, ſit exorſus dicendo: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? &c. Sed in his omnibus ſuperamus.* ad Rom. cap. 8. Quia ſi illud, *ergo*, ſemper aliud ſupponere eſt neceſſe, aliud ipſe cùm ſic fari cępit, ſupponebat: ſi quid ſit illud inquires, diuinum erga ſe amorem tunc contemplatum fuiſſe reſpondebo, & ex illo veluti ex veriſſimo, notiſſimoq; antecedenti, neceſſarium (vt ità dicam) deducebat conſequens, quòd & ipſe ardentiſſimè Deum diligere debebat. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed Theophylacti aientis: *Cùm demonſtraſſet infallibilem dilectionem Patris, & Filij, & Spiritus ſãcti erga nos, veluti iàm diuino numine afflatus exclamat: Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* quibus ex verbis facillimè, cur per particulam, ergo, ſuum erga Deum amorẽ ſit explanare exorſus Paulus, apparet; quia dùm ſe ſummè amari agnoſcebat, ſummoperè amare ſe debere non ignorabat. Vndè Cornelius à Lap. ſuper citatum Pauli locum in perſona eiuſdem hunc loquitur in modum: *Cùm Chriſtum in Cruce intueor, & lego purpuratos toto corpore amoris mei characteres, libet exclamare: Veni inedia, veni dolor, veni Crux, venite leones, vos ambio, vt amorem meum in Chriſtum oſtendam, vt amorem amori rependam.* Optima ſane verba, ſed præcipuè illa, *Vt amorem amori rependam*, noſtrũ probant inſtitutum; quòd dilectione dilectio compenſari debet. Theophyl. Cornel. à Lap.

5 Auribus meis ſponſæ verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. pro præſenti inſonant argumento, & non abſque admiratione audio, quòd & ſi ſponſo ſe ipſam offerret, id tamẽ nequaquàm prior efficere voluit, ſed poſtquam oblatum ſibi ſponſum agnouit, tunc ſe ei viciſſim obtulit, quod apertè verborum ipſius indicat Cant. c. 2.

1. Ioa. c. 14.

Chryſolog. apud Tilmannum.

Nil magis amanti debetur, quã amoris viciſſitudo,

Auguſt.

Amori amor eſt rependendus

Digitized by Google

series. At cur hoc? cur saltem vrbanitatis causa non ipsa præuenit? an fortè quia nullus venit ad Christum, nisi Pater ipsius traxerit eum? ità quidē: Verùm si altiori indagine rem librare voluerimus, quid sit amare perquiramus, & Chrysost. si consulere voluerimus, facilè ipsum respondere audiemus: amare, & capere, siuè captiuare idem prorsùs esse, nam vbi Paulus dicit: *Capite nos.* 2. Corinth. 7. legit ipse: *Diligite nos*: & rationem talis versionis assignat, quia insolubiliter ligat, qui amat, vndè subdit: *Captiuat .n. qui amat, blando quidèm, sed insolubili amoris nexu illigat, quem diligit.* Quod plusquam verum cùm sit, omnis desinit admirationis ansa; cur non prior, sed posterior se sponso sponsa obtulerit, quia multotiès anima in sponsæ persona figurata Deum sponsum non tàm ob summam illius bonitatem, vt fas esset, quàm ob illius erga se amoris ostensiones dilectionis vinculis irretita amore prosequitur. Quod præfatus Cornelius à Lap. super allatum Canticorum locum in sponsæ persona confirmauit, cùm ait: *Quia Christus dilexit me prior vt sponsam, hinc ego vicissim diligo eum vt sponsum, immò dilectio eius præuenit meam, eiusq; est causa: ideò .n. ego diligo ipsum, quia ipse prior me diligēs sunum mihi inspirauit amorem:* Hæc ipse. Ante quem paucioribus, sed ponderibus plenioribus verbis Bernardus de sponsa hunc loquitur in modum: *Nō dubitat se amari, qua amat.* Quia præterquàm Dei amor, vt immediatè idē subdit Bernardus, amorem parit, etiam vniuersaliter loquēdo amorem amori propterea repēdi consueuit, quia non reamare omninò non licet.

2. Corinth. c. 7.

Amare, & captiuare idē prorsùm sunt.

Cornel. à Lap.

Non valet nō reamare amatus.

Bernardus.

6 Inestimabilis pro hoc de quo loquimur instituto, locus est ille Ioannis 13. *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quia si per ly, in finem, non amoris terminus, vt inter cęteros ait Augustinus, sed amoris importatur excessus: vndè Chrysost. in catena relatus: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, hoc est, nihil dereliquit eorum, quæ eum qui valdè amat, decens est facere.* quæri non immeritò potest, cur maiora dilectionis indicia, maximaque charitatis argumenta in fine potiùs tradere voluerit, quàm aliàs? si in ipso surgentis Ecclesiæ ortu tenerior erat discipulorum fides, cur nō ipsam tunc maiori charitatis pinguedine firmiorem reddidit, quòd in fine quādo roborata iàm minori indigebat substentaculo, maiora accepit dilectionis incrementa? Inextricabilis planè difficultas: sed si ad quid præcipuè in fine talis sit reseruatus charitatis excessus consideretur, facillima difficultatis apparebit solutio: meo autē iudicio, & quidèm ad discipulorum fidei roborationem, sed magis ad eorum amoris incremētum præcipuum dilectionis excessum in fine seruatum, existimo; nàm immediatè post ipsum Iudæ describitur proditio, *Cùm diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas*, paulò post Christi de nouo dilectionis mandato sequitur sermocinatio: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*; & tandem Petri prædicitur amoris infirmitas: *Quò ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea.* Itaq; decrescente discipulorum amore, Christi crescebat dilectio? prorsùs ità. Audi nunc sublime mysterium cur non aliàs quā in fine charitatis ostendatur excessus: quia in fine ob pastoris percussionem dispergendæ erant oues, & ob magistri mortem veluti frigidam ob tempestatem frigescere debebant discipuli, ne penitùs eorum extingueretur charitatis igniculus, sed potius vt magis, magisq; incresceret, igniſque magnus efficeretur, magna ostendit charitatis indicia. Ità Chrysost. hom. 64. in Ioann. qui super allata iàm verba: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*, post quæstionem à semet motam *Cur à principio hoc non fecit?* Respondet, *Maiora posteriùs reseruat, vt eorum in se charitatem augeret.* Aurea prorsùs verba, quibus satis clarè propterea amoris excessum in fine fuisse seruatum ostenditur, vt amore amor accenderetur: cùm nulla maior ad amandum prouocatio reperiatur, quàm præuenire amando.

Ioan. c. 13.

Chrysost.

Chrysost.

Maximus amoris excessus cur non aliàs quā in fine ostēdere voluerit saluator, demōstratur.

7 Libentiùs nunc audirem, quàm dicerem, cur Christus maiora Thomę incre-

incredulo, quàm diſcipulis credentibus, & Magdalenæ adnodùm dilectæ amoris ſigna oſtendere voluerit; nàm illis videndum ſe quidèm præbuit, tãgendum autem nequaquàm, dicente Ioann. *Cùm ergo ſerò eſſet die illo vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: Venit Ieſus, & ſtetit in medio, &c. Oſtendit eis manus & latus.* cap. 20. & ab hac iuxtà ſepulchrum vix agnitus ſtatim omnem ſe tangendi facultatem ademit. *Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.) Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondùm .n. aſcendi ad Patrem meum.* ibid. Thomæ verò vltrò ſe tangendum obtulit. *Dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meũ.* ibid. quod certè maioris dilectionis indicium fuit, vt benè adnotauit Toletus, qui de Thomę perfidia, & Chriſti clementia hunc loquitur in modũ: *Magna pertinacia fuit, & incredulitas Thomæ, ſed maximus extitit Saluatoris amor: propter vnum .n. & hunc incredulũ, & pertinacem iterùm dignatus eſt apparere eademque, immò maiora ſuæ reſurrectionis argumenta facere. Manus n. fuit digitum Thomæ in loca clauorum, & manũ eius in latum mitti, quàm totum ſe exhibere videndum.* Si diſcipulis non fuerat conceſſum, & Magdalenæ apertè negatum extiterat, quia nondùm ad Patrem aſcenderat, cur Thomæ ante aſcenſionem fuit permiſſum? Si dices, quòd vt increduli incredulitatis curaret vũlnera, vulnera tangẽda exhibuit, adhùc in quæſtione eſſe, an ipſa tetigerit, reſpondebo; nam multorum fuit ſententia, quòd & ſi vulnera tangenda oblata fuiſſent, Thomas autem timore, reuerentiaq; correptus ea minimè tetigerit, quod ex Chriſti verbis, *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*, colligi videtur, cùm non de tactu, ſed de viſu loquatur Saluator. Quæ igitur talis ſpecialis tangendi facultatis ſiuè de facto tetigerit, ſiuè non, alteri nequaquam conceſſæ cauſa extiterit; eam (meo videre) fuiſſe exiſtimo, quia præ cęteris diſcipulis ſpecialem quendam amoris actum oſtenderat Thomas, tunc, ſcilicet, quando ad Lazari reſurrectionem trepidantibus cunctis adire, ſolus ipſe impauidè mortem cùm Chriſto ſubire non timuit. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, vt moriamur cùm eo* Ioann. 11. Quæ verba quidquid dicant multi, non ex imbecillitate & timore; ſed ex fortitudine, & amore procedebant. Vndè Gloſſa Interlinealis: *Ecce verus amãtium affectus, vel cum eo viuere, vel cum eo mori.* Et Toletus particulam illam, *Ergo: Dixit ergo Thomas*, perpendens, ait: *Particula illa, ergo, illationem indicat, quæ ſit partim ex verbo Chriſti, eamus ad eum, partim quia ægrè ferentes, & tardos condiſcipulos videns hæc protulit: eamus & nos. Verba ſunt dilectionis erga Chriſtum, & fortitudinis: dilectionis quidẽ, quia ſine Chriſto vitam contemnebat propriam: fortitudinis, quia periculo, quod animo conceperat, non retardabatur, quominùs ſequeretur magiſtrum* propter hunc; ergo (ni decipior) ſpecialem actum amoris, ſpecialis ei aliqua debebatur dilectionis oſtentio: & quia præ cęteris diſcipulis mortem pro Chriſto non timuit, præ cęteris Chriſtus ei poſt mortem ſe tangendum offerre debebat, vt ſingulari dilectioni, ſingularis concederetur facultas. Rem Chryſoſtomum ſuper citatum Ioannis locum, *Infer digitum tuum huc*, tetigiſſe exiſtimo verbis illis: *Non expectat ab illo rogari, neq; audire quid tale, ſed nihil dicente illo, complet quæ deſiderat.* Manifeſtiùs meo iudicio dicere volens: expectent diſcipuli, roget iuxtà ſepulchrum Chriſti contactum Magdalena; quia quod illis expectantibus; huicq; petenti negatur, Thomæ nihil dicenti conceditur, & non ob aliud fortè, niſi vt ſingulari amori, ſingularis rependatur dilectio.

8 Mulieris primæ quotiès tentationis reminiſcor, totiès obſtupeſco; Quid Serpens, immò diabolus in ſerpente per verba illa, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Geneſ. 3. ſuggerere voluerit? ſi mortalium nullus theſaurum diuinæ ſapientiæ eſt ingreſſus: ſi Dei conſiliarius nullus fuit, quonam pacto iuncti ſibi præcepti cauſam ſcire poterat mulier? Si dices, quòd vt ipſam ad præcepti tranſgreſſionem induceret,

hæc

Ioan. c. 20.

Ibid.

Ibid.

Quod nec diſcipulis, nec Magdalenæ fuit cõceſſũ, Thomę non fuit negatũ.

Toletus.

Thomas an Chriſti vulnera tetigerit. explicatur quæſtio.

Ioan. c. 11.

Gloſ. Interl.

Toletus.

Thomas an cęteris diſcipulis imbecillior.

Chryſoſt.

Cur Thomę Chriſti Domini vulnerũ concedatur contactus?

Geneſ. c. 3.

Digitized by Google

hæc ſciſcitabatur tentator: in aſtutia ſua abiſq; dubio cõprehẽdebatur; nam quò ſtrictius vetitum fuiſſe reminiſcebatur, eò fortius eius repelli ſuggeſtio debebatur: quid igitur per præfata verba ſuggerere intendebat? An fortè tentare cupiebat, ſed tentationis initia inuenire ignorabat? Nequaquã certè ait Vgo de S. Victore, nàm callidus, veternoſus, ac verſipellis inimicus fortiſſimum per præfata iam verba tentandi adinuenit modum, qui alius ſanè non erat, niſi diuinum erga protoplaſtos amorem minorem quàm par erat oſtendere, dùm tàm bonæ arboris fructum prohibuerat: & hoc non ob aliud ſanè, niſi quia optimè noſcebat ſceleſtus, nihil ſic hominem captiuare, nihilq; ſic indiſſolubiliter animũ irretire, atq; illigare ſicuti amorem: vt ergo blãdos hos amoris nexus diſſolueret, protoplaſtoſq; minus amantes redderet, Deum non plenè diligentem oſtendere moliebatur. Præfatus Vgo: *Cautè ſe fingit dubitare, vt Deum qui tã boni ligni fructum prohibuit, oſtendat non tantum eos diligere, quantũ oportebat.* hæc ipſe: Ex quibus omnibus cũ ſatis conſtet nil ſic amorem conciliare, vt amorem, ad alia me verto.

Vgo à S. Vict. apud Tilmannũ.

Quid p verba illa, *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradiſi.* Gen. 3 declaratur.

Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Ioann. 2.

§. IV:

Aperto Marte in illicitè negotiantium cateruam irruenti Saluatori ſe opponere auſus eſt nemo; quia nequitia cùm ſit timida, & iuſtus, & iuſti vmbra ei timorem incutit.

VErbis laceſſiti, verberibus cæſi, & non ſine magno dedecore de templo illius profanatores eiecti, ſix tandèm non in querimonias, ſed in ſupplices petitiones iam antea obſtructa ora laxare quiuerunt; dicẽdo: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Ioann. 2. Quid eſt hoc? vbi eorum eſt liuor? quò abijt furor? quomodo tã citò ingens eorum animus puſillus euaſit? nunquid armatorum aliquam aciem contrà ſeſe irruiſſe viderunt, ac proindè timuerunt, animoque defecerunt? nequaquam certè; ſed eos ſolum modò vnus, inermiſq; agreſſus eſt Saluator: Vndè ergo ad reſiſtendum imbecillitas tanta, & tàm magnus ad reſpondendum timor, quòd vix hiſcere valuerunt? Hinc Rupertus Abbas in Ioann. c. 3. lib. 3. *Quamdiù Cælum detonuit, ranæ tacuerunt, quamdiù diuinitas fremuit, de illo carnis ſuæ habitaculo proclamans: auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, tamdiù Iudæi conticeſcentes, & in palude ſilentij ſui ſe contra hiſcere nihil auſi ſũt. At vbi tonitruum quieuit, rurſus prorepentes, adhuc tamen quaſi iracundo timore, timidaq; iracundia trementes, & palpitantes: quod ſignum, inquiunt, oſtendis nobis?* Stupet hoc Carthuſianus, qui art. 7. ſuper citatum Ioannis locum, hunc dicit in modum: *Satis mirandum videtur, quomodo Chriſto hoc faciente, qui non dum miraculis multis coruſcauit, neq; fama magna innotuit, nullus Iudæorum præſumpſit reſiſtere?* Et quamuis diuinæ poteſtati hoc ipſum tribuiſſe non ignorem, dùm ſubdit: *Reſpondendum, quòd Ieſus diuina ſua virtute potuit corda eorum terrere, quos alloquebatur. Potuit quoque ex vultu, & oculis ſuis igneum, ſplendidũque, ac Dei formem fulgorem, ſeù radios luciformes emittere, quo omnes videntes eum, timore concuſſi ſint:* Tamen culpæ etiam, cùm præcipuè virtuti opponatur, talem, tantùmq; timorem aſcribere non incongruum duco; nàm vt Tullius ait: *Timidum non facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia mala;* quæ conſcientia mala cùm nuſquam ſibi magis innoteſcat, quàm cùm virtutem conſiderat, vt benè ſuper verba illa Iob: *Reſpiciet homines, & dicet: peccaui, & verè deliqui, vt dignus eram, non recepi.* cap. 33. annotauit Antonius de Padua verbis illis: *Quare nos cæci defectus noſtros non videmus, niſi quia claram ſanctorum vitam*

Ioann. c. 2.

Ruper. Ab.

Carthuſ.

Cur templi corruptores dum à Chriſto vapulabant, nullus ei reſiſtere valuit?

Tullius.

Iob. c. 33.

Anton. de Pad. Dom. 12. poſt Trin. Proborum vita, improborum correctio.

nõ perſpicimus? Aiebat Iob: Reſpiciet homines, & dicet: Peccaui. nũquam magis timent, tremuntq; iniqui, quàm cùm iuſtos præſentes conſiderant: tunc veniunt in cogitatione peccatorum ſuorum timidi: tunc turbantur timore horribili: tunc deniq; timor, & trèmor veniunt ſuper eos. Clare fuit hoc probatum in Attila illo Hunnorum Rege ſæuiſſimo, quem nõ hoſtium agmina, neq; illorum acutiſſima tela, ſed ſola magni Leonis Pont. Max. præſentia terruit, Italiamq; deſerere, & in Pannoniam cum regredi fecit. Soldanum etiam barbarorum copijs ſtipatum, quis adire auſus fuit niſi humilis Notter S. P. Franciſcus de Aſiſio? Qui nõ armis, ſed virtutibus munitus talem ei timorem incuſit, vt etiã ſibi, eiuſdẽq; Ordinis Fratribus ad eum accedẽdi, libereq; prædicandi facultatem conceſſerit; vt videre eſt in vita eiuſdem D. Franciſci cap. 9. Quis tandèm Ecelinum Tyrãnum ex voraci, cruentoq; lupo mitiſsimam ouem effecit, niſi magni Antonij Paduani ſanctitas? Quæ eum ſupra omnium hoſtium vires perterruit, vt in eiuſdem Antonij vita cap. 22. habetur: *Cum didiciſſet B. Antonius Ecelinum multam hominum cædem Veronæ feciſſe, intrepidus ad eum acceſſit, atq; his verbis compellauit: Imminet ceruici tuæ, Tyranne ſeuiſſime, & rabide canis, horrenda ſententia Dei Quouſque non temperabis tibi à fundendo inſontium hominum ſanguinem? pluraque his ſimilia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui vero aderant, nil expectabant aliud, niſi illum more ſuo iuſſurum vt trucidaretur, ſed ſecus euenit; nàm omni poſita feritate, inſtar ouis ad collum ſuſpenſa zona, coràm viro Dei humi proſtratus, culpam ſuam humiliter dixit, omnemque pro illius arbitrio promiſit emendationẽ; adiecitque: Viri commilitones, nõ mirum vobis iſtud videatur; nam reuera diuinũ quendam vidi fulgorem ex eius vultu vibrari, qui adeò me perterruit, vt me repente in terram demerſum iri vererer.* Quæ ſi de Sanctis iuſtè ſcribuntur; quis Chriſtum Sanctorum ſanctum terrorem Iudæis impræſentiarum iniecciſſe mirabitur? *Iudæi autem*, ait Euthymius, *neque ijs quæ fecit, exaſperati ſunt: ſiquidem arguebat illos conſcientia, ac confundebat, oſtendens quòd iuſtè hæc, & feciſſet, & dixiſſet.* Hæc ipſe: Nos autem quàm iuſtos iniqui pertimeſcãt, fuſius oſtendemus.

Sæuiſſimo Attilæ, quẽ Italorum arma minimè terruerunt, ſola Leonis Pont. Max. præſentia terrorem incuſſit.

S. Franciſcus de Aſiſio Soldanum, quẽ omnes pauebãt, ipſe impauidè adijt.

Antonij Paduani ſanctitate perterritus Ecelinus ex cruẽro lupo, mitis ouis efficitur.

Euthymius.

2 Ioannes Ferus ſuper verba illa Saluatoris: *Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* Matt. 26. quibus armis fultus, in armatam hoſtium turmam ſe immiſerit Saluator, haud perfunctoriè inquirit, & tandèm poſt aliqua: omnis materialis armaturæ omninò expertem; ſed ſola oratione, patientia, charitate, alijſque virtutibus munitum contra illos proceſſiſſe, ſequentibus verbis aſſeruit: *Habemus nũc quomodo Chriſtus in pugnam proceſſerit, & quidem aduerſaria pars multitudine, potentia, & armis munita erat: Chriſtus autem paucos ſecum habebat, & eos inſtruit quidem ad bellum, ſed non armis. Surgite, inquit, eamus. Immò arma ipſis ademit. Mitte, inquit, gladiũ tuũ, &c. Sola deniq; patiẽtia, & charitate erga Iudam, beneficentia erga Malchum armatus procedit.* Hæc ipſe, quibus ego minimè contentus ſcitor: num virtutibus arma vinci poſsint? Et ſtatim difficultatem citatus Ferus ſoluit, cùm ſubdit: *Impij tu. vincunt quidem, ſed gladio, ſtrepitu, & clamore*, quod ſi verum eſt, cur bone Domine, ad bellum vadis prorsùm inermis? Si gladijs, lignis, & fuſtibus hoſtes contra te venturos prænoſcis; cur gladiorum apparatum fieri vetas, quòd dicentibus diſcipulis, *Ecce duo gladij hic.* Luc. 22. illos ſufficere dixiſti? An quia vt iniquorum victoriam timori maximo admiſceri oſtenderes, ad bellum ſic imparatus accedis? Ita ſanè; nam vt diſcipulis, mundoque toti notum faceres, quòd licèt iniqui exterius vincere tandèm videantur iuſtorum corpora perdendo; intus tamẽ vincuntur, cum illi ſine comparatione magis horum perhorreſcãt virtutem, quàm illorum hi timeant arma. Diſertiſſimè rem confirmant Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, vbi de S. Agnete ſermonem habens, hũc dicit in modum: *Hæc inter truentas carnificum impauida manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mineroni militis totum offerre corpus, mortẽ adhuc neſcia, ſed parata, vel ſi ad aras inuita raperetur;* & paulò infra: *Quamo-*

Nihil ſic timidum facit animũ, ſicuti reprehenſibilis vitæ conſcientia mala.

Matt. c. 26.

Ioan. Ferus.

Quibus armis munitus cõtra hoſtes Chriſtus proceſſerit, ouẽ ditur?

Idem.

Luc. cap. 22.

Ambroſ.

ter-

terrore egit carnifex, ut timeretur? Sic Virginis fortitudinem, qua Tyrannos, & eorum arma, immò mortem ipsam floccipendebat, describit. Quàm viceuersa ob virtutes Virginem perhorreret carnifex, elegantissimis subdit verbis dicendo: *Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dexteram, pallere ore alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo.* Aurea prorsus verba, quibus suprà quàm desiderari potest diserte, iustos reuera non vinci, sed vincere ostenditur, dùm in ipsa sui corporis occisione, non ipsi tyrannos, atque carnifices; sed hi eos ob solum virtutum fulgorē adeò formidant, vt non illi, sed ipsi letho addicti videantur: quo ex discursu, cur inermis contra armatos hostes procedere voluerit Saluator satis liquidò constat, quia nihil sic iniquos terrificare sciebat; sicuti sanctitatem, atque iustitiam; propterea non armis, sed patientia, charitate, alijsq; virtutibus munitus persecutores appetijt, quos quanto terrore affecerit explicat Ioannes cap. 18. *Vt ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*; nec mirum, nā vt bene asserunt Chrysolog. serm. 75. *Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, & impellit reatus*; manifestius ac si ad rem nostram diceret: non immeritò nudus ab armis hostes aggreditur Saluator, quia iniquos iustorum præsentiam haud ferre posse sciebat: vt ergo eos non arma, sed virtutes perhorrescere ostenderet, virtutibus non armis eos aggrediendos existimauit.

Idem.

Morti exposita B. Agnes summū carnifici incutiebat timorē, & quare?

Ioan. c. 18.

Chrysolog.

Christus inermis armatā satellitū cateruā strauit; quia eius virtutum fulgorem ferre nequibant.

3 Patet nunc mihi aditus ad difficultatem illam, quonampacto duo tantùm gladij ad resistendum saltem satis essent, quòd dicētibus discipulis: *Luc. c. 22.* *Ecce duo gladij hic*; Lucæ 22. respondit magister: *Satis est*; quia non armis, nec viribus inimicos horrificare, illorūq; furorem frangere debebant; sed vitæ probitate, morumq; ingenuitate perterrendi, prostrandiq; erant: *Theophyl.* *Quia duo sunt*, ait Theophylactus, *omninò multi sunt*, nàm non his, sed gladio verbi, mucrone timoris Dei, tormento bellico charitatis, alijsq; armis ex armario Dei assumptis, de quibus Paulus: *Accipite armaturam Dei*, illos non solum terrere, sed sternere, atq; omninò superare debebant, propterea gladiorum apparatum fieri prohibuit.

Virtutibus nō armis in quos vincere debemus.

4 Cæterùm quia paulò superius verba illa Saluatoris, *Quem quæritis?* Ioan. 18. tetigimus; cur si optimè persequentiū corda Christus scrutabatur, & renes, hoc interrogauerit, librādum existimo: & ante me difficultatem mouisse, illiq; Ioannem Ferum præcitatum occurrisse reperio; qui propterea Saluatorem percontatum fuisse putat, vt tacitè persequentium irrideret timorem, ac si diceret: num vnum, & inermem; tot, ac sic armis onusti perquiritis? Si idcirco, vt bene nosco, venistis, quonampacto vestra imbecillitas, timorq; vester non vos pudore, ac rubore suffundit, dum tot, ac talibus armis stipati, vnum, & hunc inermum timetis? *Christus irridet*, ait præfatus Ferus, *unum eorum apparatum, immò timorem: quem, inquit, quæritis? ideſt, quid opus armis? quem timetis? Num me inermem? num meos, & ipsos inermes?* & subdit: *Non tamen statim à principio dicit: ego sum, quem quæritis, cum sciret eorum conamen, sed primum interrogat, ut ex eorum responso occasionem habeat ipsos confutandi, & ut toti mundo manifestum fiat, tātam multitudinem ob unum hominem exijsse, quemadmodum & ipsimet fatentur, se unum tantùm quærere.* Ecce quomodo proprio ipsorum ore ipsos confundit, mortalibusq; cunctis ostendit, propterea tot simul armis multis munitos ad vnius comprehensionem exijsse, quia vix omnes simul ob virtutis præstantiam vnius iusti præsentiam ferre valebant.

Ioan. c. 18.

Ioan. Ferus.

Proprio ore peccatores iustis resistere non posse confitentur.

5 Vlterius quia Christi comprehensionem modo præ manibus habemus; quid est, quòd duobus rubiginosis gladijs solummodo tantum armatorum cuneum aggredi non timuerūt discipuli? *Videntes hi, qui circa ipsum erant, dixerunt: Domine, si percutimus in gladio?* Luc. 22. *Quomodo Apostoli formidolosi audebant hoc dicere?* ait Carthusianus super citatum Lucæ locum art. 48. *Vnde confidebant se id facere posse, cum turba illa armata esset tam magna?* Et postea, quod maiori stupore dignum censeo: cur innasi satellites

Luc. c. 22.

Carthusianus.

non

non ſeipſos defendunt; vel ſaltem Petrum percutientem non capiunt? *Quarè non comprehenderunt Apoſtolos, & maximè Petrum, qui percuſſerat gladio?* ait Gorranus ſuper cap. Matt. 26. Gorranus.

Primæ difficultati ad rem noſtram idem occurrit Carthuſianus dicendo: *Reſpondendum quòd Apoſtoli viſa turbę derectione, & quòd quũ ſurrexiſſet à terra, adhuc tremula ſtaret, ac perturbata, ſumpſerunt audaciam.* Carthuſian.

Cur Petrus armatam ſatellitum cateruam inuadere non metuit?

Clarè, ni fallor, dicere volens: quòd tàm fortes, tãtoq; animo præditos præ ſe tulerint diſcipuli; timor, & tremor, qui ex ſolo ſanctiſſimi Domini conſpectu ſuper ſatellites venit, in cauſa fuit; nam illos adeò territos facilè omnes trucidare poſſe exiſtimabant. Secundæ autem quæſtioni & ſi ſolam Dei virtutem illos detinuiſſe communiter reſponderi non ignorem: vndè inter cęteros propoſitæ ſuæ quæſtioni reſpondet Gorranus: *Reſpondeo, quòd nihil eos detinuit, niſi virtus diuina*; quod ſatis apertè ex verbis illis Saluatoris, *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*, Ioann. cap. 18. colligi poteſt, nam illis ſe quidem, nõ diſcipulos capiendi facultatem conceſſit. Aliam nihilominus rationem ſi liceret afferre, eam ſanè fuiſſe iudicarem; quia diſcipulorum quidem, ſed maximè magiſtri viſa virtute, talis fortè, tantuſq; timor eos inuaſit, quòd nec ſe defendere, nec diſcipulos capere permiſit: Ac tunc (meo conſilio) ſteterunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos, qui ſe anguſtiabant, qui ipſos videntes ob virtutum ſplendorẽ turbabantur timore horribili. Gorranus.

Percuſſo Malcho, cur Chriſti comprehenſores Petrum non cęperunt?

6 Vtinam impræſentiarum Saulẽ alloqui fas mihi eſſet, vt diſcere ab eo poſſem: An Dauidem timuiſſet, ſi minimè cum eo Dominum fuiſſe exiſtimaſſet, ſacra dicente pagina; *Timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet?* 1. Reg. cap. 18. Cuius difficultatis reſponſum, quia ab ipſo nullatenùs audiri conceditur, ſaltem mihi dicere liceat: quòd illum nequaquam timuiſſet. Et talis dicti rationem ſi quæres, iniquos non ſui ſimiles, ſed iuſtos timere reſpondebo; quia non culpa, ſed virtus eis contraria eſt; in eorum perſona dicẽte Sapientia: *Circumueniamus ergo iuſtũ, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & impropերat nobis peccata legis. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndum; quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius*, cap. 2. ſi verò à Dauid Deus diſceſſiſſet, minimè ei, vitæq; ipſius contrarius extitiſſet; ex quo nec ei ad videndum grauis, nec viſus timorem incuſſiſſet. Toſtatus quæſt. 20. ſuper citatum locum: *Quia Dominus erat cum Dauid, & receſſerat totaliter à Saule, timebat eum nimis: ſciebat.n. quòd Dominus receſſiſſet à ſe, & eſſet cum Dauid.* Hucuſq; Toſtatus; tu autem aduerbiũ illud; quia, *Quia Dominus erat cum Dauid*, perpende, & cauſam indicare videbis, vt ſit ſenſus: non quia Dauid, non quia hominem, nec quia fortem; ſed quia iuſtum, quia ſanctum, quia à Deo cõiunctum illum metuebat Saul; ſecus autem ſi ſibi ſimilem illũ agnouiſſet, nequaquàm timuiſſet. Quod in Herode apertius patuit, de eo ſacra dicente pagina: *Herodes.n. metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum.* Marc. 6. quibus verbis liquidò colligere licet, propterea ipsũ timuiſſe, quia iuſtum, & sãctum; aliter autem ſi fuiſſet, timore eum minimè affeciſſet. Toſtatus. Iuſtus, iniuſtis etiam ad videndum grauis. Toſtatus. Dauidis ſanctitas Sauli timorem incuſſit. Marc. c. 6.

7 Si poſteà vndè Saul à ſe Dominum receſſiſſe agnoſceret, inquires: cum eodem Toſtato reſpondeo, quia à timore magno ſe inuaſum ſentiebat, & quoniam, ſi inter cętera, Domini ſpiritus fortitudinem tribuit, dicente Iſaia 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis*; timore ſe non dominico, ſed humano repletum ſentiens; fortitudinem, & per conſequens, ſpiritum Domini dantem illam à ſe diſceſſiſſe, ſatis rationabiliter arguebat. Prędictus Toſtatus quæſt. 36. ſuper idem: *Quæritur vlterius, quomodò ſciebat Saul, quòd Deus receſſiſſet ab eo?* Reſpondet; *Sciebat.n. hoc, quia nũc euenerat ei timor terribilis, qualis nunquam ei euenerat: prius autem in omnibus periculis erat confidens, quia Dominus fuerat ei ſpiritus fortitudinis, quandiù bonus fuit: nunc autèm erat timidus; ideò apparebat, quòd ſpiritus fortitudinis receſſerat ab illo, qui erat ſpiritus* Isaias. c. 11. Toſtatus. Iniqui cur ſemper pauidi?

Reg. 1. c. 18.

Sapien. c. 2.

Digitized by Google

Dei. Vides quomodò ab anima recedente Deo timidus fit peccator, quia spiritu fortitudinis amisso, nil nisi pauor in conscientia remanet: & hæc potissima est ratio, cur tàm pusillo animo sint peccatores, quia per peccatum amissa gratia fortitudinem largiente, timor in eis, & tremor succedit.

8 Non te fugiat Iudas, qui magistrum prodere, ac in manus iniquorũ tradere volens, nec solus, nec malè comitatus, sed secum satellites multos, & hos omni armorum genere fultos habere voluit: *Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Principibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Ioan. 18. quem bellicũ apparatum præallatus Ferus considerans quæritat Nunc ad se defendẽdum, an ad magistrum capiẽdum proditor illum fecisset? Si ad sui defensionem, quis eum persequebatur? Si ad Christi comprehensionem, à quo se defendebat, si tanquam ouis ad occisionem duci voluit, obmutuit, nec aperuit os suum? Et tandèm ad sui præsidium potius id à Iuda factum fuisse affirit, quàm ad capessendum Christum. Audi ipsum: *Multitudine se munivit, & vtraque potestate, hinc Romanorum, inde Pharisæorum: his fultus præsidijs sperabat se securum. Verùm ò stultum hominẽ! Nolite, inquit, confidere in principibus, nec in filijs hominum in quibus non est salus.* Ioan. Ferus. Aſt quem (bone Deus) timebat, quòd tot viribus, & armis fulciri voluit? Si magistrum in pedum lotione mitissimum erga se nouerat: si condiscipulos imbelles, atq; inermes sciebat, vndè timor, vndè pauor, vndè animi pusillitas tanta? Difficultati idem Ferus respondet immediatè antè allata, dicendo: *Perdita pace conscientiæ externis armis, & multitudine se munivit, quod signum timoris est.* Idem. Scire ergo si cupis; cur externis armis fulciatur Iudas? Quia ob sua scelera à spiritu Dei, qui est spiritus fortitudinis derelictus, vltrà quam dici potest timidus effectus, magistri tantùm obtutum absq; armis ferre nequibat. Iudas perdita conscientiæ pace armis multis munitur.

9 Vsq; modo dictis ne vtiquam contentus; talem addo improborum esse timorem, vt probos non viuos tãtùm, sed mortuos etiam horrere videantur. Herodes mendacem assertorem me esse non sinet, qui Christi miracula audiens, Ioannis timore affectus, hunc clamauit in modum: *Ioannem ego decollaui: Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* Lucæ 9. Quæ verba formidinis fuisse nullus expositorum dubitat. Euthymius nihilominus acutius modò dicta Herodis verba considerans, stupet amentiam, quòd mortuum timeret: Si iam defunctum dicebat, quonampactò illum timebat? Quis vnquã occisum occisori horrorem incutere vidit? Quid igitur scelestus iste pauebat? Optimè difficultati respondet Euthymius super caput Matt. 14. *Vide rem admirabilem, is, qui intercmerat, timet interemptũ: talis enim est, qui iniquus est, vt & mortuos timeat: & talis est, qui virtutem colit, vt pauorẽ etiam post mortem immittat viuentibus.* Ecce tibi cur Herodes nedum viuum Ioannem pertimescebat, dicente Marco: *Herodes, nimebat Ioannem.* cap. 6. sed etiam mortuũ perhorrebat; quia, *talis est, qui iniquus est, vt & mortuos timeat*, secus autem, *talis est qui virtutem colit, vt pauorem etiam post mortem immittat viuentibus.* Nec mirum quòd de Herode, & Ioanne hæc dicantur, quia non viuus solummodo, sed etiam mortuus hic iustus viuum impium condemnabat. Lucæ c. 9. Euthymius. Etiam mortuus iustus, viuo impio timorem affert.

10 At quid sanctos etiam mortuos, scelestos formidare dico? Dicã, & meliùs: quòd non solum iustus siuè viuus, siuè mortuus viuos impios cõdemnãdo illos terrore afficiat; verùm adeò timidam esse malitiam, vt nec iusti membrulum, seù digitum solummodo absq; timore, & tremore multo videre valeat: Aureus est pro re hac locus ille Daniel. cap. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciẽbat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renũ eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Magna sanè turbatio! ingens timor! At cur conuiuæ timore eodem affecti non describũtur, quòd vix infrà, iterum regis declarato ti- Daniel. c. 5.

Ibid. timore: *Rex Baltaſſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt*, ibid. ipſorũ aliqualis deſcribitur turbatio? *Sed & Optimates eius turbabantur*, quæ fortè non tàm vera, quàm nè à rege diſcordare viderentur ſimulata fuit: Sicuti Ieroſolyma, vt aiunt nonnulli, vt Herodi turbato aſſentaretur, ſe turbatam oſtendit; quod ex eo id maximè colligo, quia vxores, & concubinas ſexu fragiliores, naturaque timidiores nequaquàm timuiſſe dicuntur: ſed quidquid ſit de re hac; penè nullã reſpectu illius regis, optimatum fuiſſe turbationẽ ex ſcriptura ſatis habetur, cùm vix ipſos turbatos enarret: *Sed & Optimates eius turbabantur.* Si dices, vt communiter reſponderi ſolet, propterea minus turbatos fuiſſe Optimates, quia ſcriptura in ſuperficie aulæ regię apparendo, ad regem pertinere videbatur: eſtò, ſed cùm penitùs ſcripturæ interpretatio ignoraretur, quis eos ſecuros reddebat? Si ſacrilegij conſortes extiterant, pœnæ etiam participes ſe futuros exiſtimare meritò poterant. Difficultati Vgonem Cardinalem reſpondiſſe reperio, qui non tàm ſcripturam, quàm digitos timoris cauſam fuiſſe aſſeruit: quod etiam ex verbis illis, Ibid. *Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis immutata eſt, &c.* colligi videtur: & quia digitos, vt incommune tenetur, Rex tantùm vidit, non optimates, neque concubinæ, ideò Rex præ cęteris terrore correptus fuit; quæ reſponſio maiorem ſanè mihi difficultatem ingerit: quomodo, ſcilicet, Rex tàm fortis, & præpotens, qui hoſtium vires, & arma floccipendebat, paucos timebat digitos, quòd tot, tantaq; de eius timore ſcribuntur? Pro cuius difficultatis plena ſolutione cuius fuiſſent hi digiti, qui terrore tali, ac tanto Baltaſſar affecerunt, inquiramus; & præfatum Vgonem angelico miniſterio, virtute, atq; potentia digitos hos fuiſſe formatos aſſeruiſſe reperiemus: ex quo, licet corporis expers ſit Angelus, ipſius tamen quodammodò dici poterant digiti, dùm ad viſibiles caracteres ſcribendos, viſibiles ab eo formati fuerant. Quo ſuppoſito, cur præ cęteris timeret Baltaſſar, audi ſi libet; quia præ cęteris ſolus ipſe digitos intuebatur, qui cum Angelici dici quodãmodò poſſent, quia ab ipſo formati, ab eoque ad viſibiliter ſcribendum aptati; videri à ſceleſtiſſimo abſque horrore magno nullatenùs poterant; quia non tantùm plenam iuſti corporis effigiem, ſed digitum etiam videre non valet iniquus. Allatus Vgo: *Fortè* *Vgo Card.* *venera manus erat, quam ſibi Angelus ad hoc opus agendum coaptauerat. Dicitur autem quòd Rex ſolus viſionem manus vidit, litteras autem ſcriptas alij viderũt. Et compages renum eius ſoluebantur nimio terrore.* Nota quæſo verba illa, *Dicitur autẽ quòd Rex ſolus viſionem manus vidit*; nàm apertè indicant, quòd eodem affecti fuiſſent timore optimates, quo Rex, ſi vix digitum iuſti vidiſſent.

Non iuſtus tantùm, ſed iuſti membrulum, imò ſiq; digitus peccatores terrore magno afficit.

11 Ne viuam, niſi vltra ſanctum, ſanctiq; fruſtulum, ſpeciem etiam ſãcti in mente tantùm repræſentatam paueant peccatores: Pro quo argumento ſufficeret ſanè illa Hectoris Pinci obſeruatio, quòd vbi Iſaias ait: *Erit terra Iuda Aegypto in feſtiuitatem.* *Iſaias.c.20.* cap. 20. Hieronymus in primis commentarijs pro feſtiuitate, *Timorem*, legendum putat, vt dicatur: *Erit terra* *Hieronym.* *Iuda Aegypto in Timorem.* Quod etiam Aquilæ arriſit, qui ex Græco, *In pauorem*, vertit, vt ſecundum eum legi debeat: *Erit terra Iuda Aegypto in pauorẽ*, quod propterea ſic verſum exiſtimat Pinctus, vt nomen tantummodò Iudæ Aegyptijs timorem incuſſurum fore, oſtenderetur. Vndè ipſe in prophetæ perſona: *Tàm fragiles erunt Aegyptij, vt etiam vocabulum Iudæ eis ingerat pauorem. Veniet. n. tempus, ait Propheta, quando Aegyptij non poterunt ſine timore audire nomen Iuda, in quã ego hæc vaticinatus ſum.* Hæc ipſe: Quæ & ſi optimè noſtrum probent argumentũ, nempè, iuſtorum nomina iniquis pauorem afferre: Ego nihilominus Herodis, totiuſq; Ieroſolymitanæ Ciuitatis turbatione rem apertius confirmo: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* *Matt. c.2.* Matth. 2. quia turbationem hanc alio ex capite ortam minimè putat Paulus de Palacio, niſi quia etiam Saluatoris nomen ſalutem ſpernẽtibus timorem

Hect. Pinct.

Nomina ſolùmodo Sãctorum peccatores terrefaciunt.

Digitized by Google

asserebat. Audi ipsum quæstionem mouentem: *Turbantur igitur in aduentu Christi & gentes, & Iudæi. Sed cur?* Audi nunc illam soluentem, *Ratio est, quam Paulus in epistola ad Romanos epistola docet. Equidem si gentilium professio gentiles suos iustos effecisset, ipsi iusti iustitiam Christi latè suscepissent: & similiter, si per legem esset iustitia, ij quos lex iustos reddebat, iustum Christum vultus expositis amplecterentur. Porrò cùm nec Philosophia, nec antiqua lex aliquem ad perfectum adduxerint, sed omnia veniente Christo erant sub peccato conclusa, necesse est peccatum gratia veniente turbari.*

Paulus de Pal.

Aduenien'e Christo cur turbetur Herodes? Et cũ eo omni. Ierosolyma?

Claudat hanc materiam Iudas, qui idcirco, iuxtà Sancti Maximi sententiam, argenteos ex magistri venditione acceptos proiecit. *Proiectis argenteis in templo, recessit:* quia per illos semper in eius memoria magistri viuebat imago, quam cùm præ timore nimio pati nullatenùs valeret, citò, quòd tã auidè concupierat, & propter quod nec magistrum prodere eum puduerat, proiecit. Citatus Maximus: *Vide quanta vis sit dominicæ pecuniæ, quam inde Iudas reiecit, hinc Pharisæi in loculos non reduxerunt: iusti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere.* Magnus prorsus culpæ timor! Ingens pauor! qui etiam iuuti nomen, & speciem horrere facit.

Matt. c. 27.

D. Maxim.

Argenteos ex Christi venditione acceptos; cur apud se Iudas retinere non valuit?

Digitized by Google

FERIA TERTIA DOMINICÆ QVARTÆ

Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit. Ioann. 7.

§. I.

Væ regno ac Reipublicæ cuius princeps inconsultus regit, quia citò ruet: habit autem, & crescet, si regei consulius.

Ioannes Sarisberiens.

IN illam Ioannis Sarisberiensis sententiam, *Impossibile est, vt salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientiæ*, lib. 5. Policratici cap. 5. quandoq; incidens, quòd. s. semotis consiliarijs infallibiliter principem in regimine errare asserat, obstupui: cùm multos ingenio sublimes, doctrina præditos, ac virtutibus non vulgaribus fuisse imbutos tàm sacræ, quàm profanæ describant historiæ: Quonam igitur pacto hos etiam administrationi impares vocaret, haud facilè capiebam. Verùm Philonem posteà casu percurrens, admirari aliquantulum destiti: quia ipse propterea principes quamuis ingenio perspicaces, & viribus fortes, impares tanto muneri censendos existimat, quia negotiorum multitudine, alijs super alia affluentibus, minor fit multoties intellectus, minores ad singula vires: *Vnus enim non sufficit*, ait allatus Philo, *quamuis alacer, fortisque corpore sit, & animo instanta male negotiorum, ac multitudine, quotidie alijs affluentibus super alia: proindè assumendi sunt optimates electi, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, substantiæ, pietatisq; incorruptæ, & ante omnia infensi superbiæ: nàm huiusmodi viri maximè idonei sunt ad subleuandum ope sua bonum honestum.* lib. de creatione Principis. Et hæc (vt sentio) potissima semper extitit causa: cur natura omnes quidem, sed principes maximè amicos habere docuit, quia in his præsertim sub ponderibus populorum gemens, alios inuocat. Ita Synesius: *Hunc igitur natura defectũ supplens, amicos eiusdem naturæ assciscit, vim quodammodo suam multiplicans: ita enim fiet vt omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniumque animis in vnum consentientibus cõsilium capiat.* Qui si desint, nec ipsos orbẽ portare, nec vrbes stare posse videbis. Nil aliter Salustius ad Cæsar. cùm ait: *Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, & nationes vsq; eò prosperum imperium habuisse, dùm apud eos vera consilia valuerunt. Vbicumq; gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulò post imminutæ opes, deindè ademptum imperium, postremò seruitus impasita est.* Hinc Isocrates vtillimam reipublicæ partem consiliarios appellat, dùm dicit: *Bonus consultor res est omnium vtilissima, & potentissima.* Immò Arist. lib. 4. Polit. cap. 4. nedùm potissimas, sed absolutè necessarias reipublicæ partes consiliarios esse cõsendos existimat. Et deniq; Homerus, quàm in rebus omnibus conficiendis vtile, atq; efficax sit consilium, pluribus exemplis docet in Iliade.

Philo.

Amici à principibus quare assumẽdi?

Ablq; sapietum cõsilio salubriter principatũ disponere impossibile.

Pars reipublicæ admodum necessaria consiliarius.

Syneſius.

Eos natura ipsa inuocat

Saluſtius.

Iſocrates.

Ariſt.

Homerus.

Consilio sanè multo, quàm robore præstat
Hirsutam quicumque parat succidere siluam.
Consilio rursum Nauclerus in æquore nigro
Dirigit vndiuagam nauim raptantibus austris;
Consilio auriga, aurigam vincitque, præitque.

Quæ omnia, quis scit si verbis prothemate assumptis confirmare voluerit Saluator dicendo, *Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit?* Ioann. 7. ac si diceret: præsules, atq; rectores vt hominum aucupentur opinionem ex

Ioann. c. 7.

seip-

seipsis loquuntur, suoq; solo marte faciunt; hinc est, quòd nec sibi, nec alijs prosunt, cùm regnorum vniuersorum ruina ex alio nũquam ortum habuerit, nisi ex consiliariorum neglectu:

Carthusian. *Qui à seipso loquitur, hoc est, proprias adinuentiones*, ait Carthusianus art. 19. *gloriam propriam quærit, hoc est, operatur amore priuato, cupiens ab hominibus honorari.* Quę concupiscentia simul cum rectis, rectores etiam perdere consueuit. Quod vt præsules, qui spreto sapientum consilio à seipsis loqui, & agere volũt, addiscant, potiora aliqua coaceruo.

2 Creaturarum omnium completa productione ad hominis plasmationẽ procedere volẽs Altissimus, his verbis antequam illam aggrederetur, ipsum vsum fuisse reperio:

Genes. c. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Genes. cap. 1. Quę verba considerans Gregorius Nyssenus lib. de opificio hominis cap. 3. & 4. à se prorsùs egreditur, quòd nulla alia creatura nisi homo consilio præcedente, sit condita:

Greg. Nysse. *Rem*, inquit ipse, *admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodemq; pacto Cœlum, quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest, ad solius hominis fabricationem Creator ille quadam cum consideratione accedit.* Et licet non tàm ad conditoris deliberationem ostẽdendam, quàm ad conditi dignitatem declarandam præcedentia dicta autument multi; quod sentire videtur Gregorius

D. Greger. lib. 9. moral. cap. 27. cùm dicit: *De solo igitur homine dictum est, faciamus, cùm de alijs creaturis legatur; dixisse Deum vt fierent, & facta sunt: & hoc quia rationalis creatura condebatur, vt cum consilio facta videretur.* Rupertus tamẽ lib. 2. in Genes. cap. 1. oppositum sentire videtur, dùm in re ista non tàm hominis præstãtiam, quàm Dei exaggerat consilium verbis illis:

Rupertus. *An tibi videtur parum consilium his paucis Sanctissimæ Trinitatis dictiunculis esse significatum? Magnum planè consilium in illo sapientiæ consilio, in illo talium personarum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non tàm senatu, quàm soliloquio veneranda de nobis peccatoribus habitum est.* Hęc Rupertus, quæ si vera, vt verissima sunt, non immeritò quòd solus homo tàm magno consilio sit creatus, obstupescit Nyssenus: verùm difficultatem ipsemet soluit cùm præallatis immediatè addit:

Greg. Nysse. *Naturam condidit velut instrumentum quodam regno administrando idoneum;* Quod idem erat ac dicere: nõ tàm ad ostendendam hominis præstãtiam, quàm ad illius eruditionem illũ tanto consilio produxit, vt ex hoc, nedùm animantibus, piscibus, & volucribus præsidendo, verùm regnis etiam postea imperando, aliorum consilio vti addisceret. Quod Cornelium à Lapide super verba illa:

Eccle. c. 32. *Fili sine consilio nihil facias.* Ecclesiastici 32. clarius dixisse reperio, cùm ait:

Corn. à Lap. *Hac de causa Deus hominem creaturus consilium iniit inter tres Sanctissimæ Trinitatis personas. Ait enim: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; quod erat dicere: Creemus hominem capacem consilij, cum consilio; vt ipse à nobis, immò à sui creatione discat omnia agere cum consilio.* Hactenus ipse, quem præfata verba ex cap. 3. & 4. Gregorij Nysseni de opificio hominis magna ex parte sũpsisse, existimo.

Cur homo præcedente deliberatione sit conditus?

3 Ex modo dictis satis mihi patet aditus ad difficultatem illam: Cur inter cętera excellentiæ nomina Christo nascituro imponenda Admirabilis primum, Consiliarij fuit secũdum.

Isai. c. 9. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius* Isaiæ 9. quia ipsa connectere, nisi dedecet, hic erat admirabilis ille consiliarius, qui cum Patre, & Spiritu sancto non sententiarum varietate, nec vocum discretione, sed soliloquio ineffabili (vt supra allati Ruperti verbis vtar) de creatione hominis inierat consiliũ: vt igitur illũ à suo creationis exordio de modo se gerẽdi in regnorum administratione edoceret, admirabilis consiliarius in hominis renouatione vocari debebat. Seuerianus in Catena Græca:

Seuerianus. *Admirabilis certè consiliarius ad quem respexisse videtur, cùm dicit: Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Quia doctrinam illam, nihil incõsultò efficiendum, per præfatum verbum, *Faciamus*, in creatione traditam ab omnium, & præsertim à præsulum memoria iam delapsam videbat; vt igitur in reparatione denuò in illam

Christus cur Consiliarius appellatus?

reuo-

Hominis præ cęteris creaturis præstantia.

reuocaret, magni conſiliarij aſſumpſit vocabulum.

4 Magno illo Moyſe quis mitior? Quis prudẽtior? Quis ſanctior? Deoqs ſua tẽpeſtate quis carior? Qui ſuperbiſſimi Pharaonis elationem non armis fregit, ſed virga, quem tandẽ vna cum exercitu ſuo ma inis inuoluit vorticibus. Cui elementa parebant, aſtra obediebant, Cęlum obtemperabat. Cuius potentiam vltra homines, volucres, & iumẽta, ac inſenſibilia ipſa quodammodo ſenſerunt: ſenſit (ſi loqui ſic licet) terra quando leuiter percuſſa ex ſuo puluere, iuxtà iubentis præceptum, Ciniphes inſurgere fecit: ſenſerunt flumina cùm aquam in ſanguinem verterunt: ſenſit mare, tunc ſcilicet, quando ad leuis virgæ contactum ſciſſo ſinu veluti inter montium concaua ſecuram illi, omniq; populo gradiendi præbuit facultatem. Quem deniq; nunc diuino ore omnium mitiſſimum, nunc ſuper omnes Deo dilectum, nunc Pharaonis Deum vocatum ſacra narrat hiſtoria, & tamen talis, tantuſq; cùm eſſet vir, vt ipſum negotiorum multitudine obrutum vidit Iethro ſocer ſuus: *Altera autem die* Exod. c. 18. *ſedit Moyſes vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſq; ad veſperã. Quod cùm vidiſſet cognatus eius, omnia, ſcilicet quæ agebat in populo.* Exod. 18. non fucato ſermone, nec obſcuris verbis, ſed ſatis clarè, atq; apertè fruſtra ipſum laborare aſſeruit: quia & ſi magnus, tamen tanti populi pondus, abſq; ſocijs, atq; conſiliarijs portare nec poſſibile erat, nec tutum: *Non bo-* Ibid. *nam rem facis: ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt: vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* ibid. Hinc Chryſoſt. de ferend. reprehenſ. capta anſa principes carpit illos, qui ſolo ſuo marte populos ſe regere poſſe exiſtimant, dùm impares tãto oneri etiam Moyſi vires Iethro apparebant: *Etiam* Chryſoſt. *ſi perfectus ſis*, ait ipſe, *opus eſt tibi conſiliario, & aliquo, qui te arguat; nempè* Nullus & ſi magno Moyſi par, ſine conſiliarijs populũ regere valet. *Moyſi facilè par non fueris, qui erat mitiſſimus, Dei amicus, in extrema philoſophia bene inſtructus, & non minus ſpiritualium intelligentiæ inſignis. Conſiliarijs omnes opus habent, etiam ſi Moyſe con-*

ferri poſſint, multa n. ſunt, quæ magni, & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui, abiectique ſcire ſolent. Sic Moyſi pares conſiliariorum expertes (ne correctionis vocabulo vtar) alloquitur Chryſoſt. quid minoribus (vt imperitos, & imperfectos taceam) diceret, tibi excogitandum relinquo.

5 Satis iuſtè ſtultorum ſtultiſſimum voce cęlitus delapſa diuitem illum vocatum fuiſſe iudico, de quo Lucas cap. 12. loquitur, quia vt benè annotauit Baſilius ſuper verba illa: *Cogitabat intra ſe, dicens: Quid fa-* Luc. c. 12. *ciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* non ſtulto, ſed ſtultiſſimo conſumebatur labore, dũ ſeipſum, vt domeſticis conſuleret neceſſitatibus, conſulebat. *Ex teipſo captas conſilium?* Baſilius. ait præfatus Baſilius, *Planè impudenti veteris conſiliario.* Homil. 6. Non miror, quòd deſtruere potius, quàm conſtruere ſtudeas dicendo: *Hoc faciam, deſtruam horrea mea*, quia ſemper ad deſtructionem tendunt regna, & reſpublicæ, quorum principes à ſeipſis tantùm conſilia captant.

Ad deſtructionem sẽper tendunt imperia, quorum principes non ab alijs, ſed á ſe ipſis tantùm conſilia captant.

6 Ieruſalem in ſcelerum omniũ barathrũ lapſuram prophetico oculo prænidens Iſaias, iuſtum ſuper eam lamentum ſumpſit dicendo: *Quomodo* Iſaias c. 1. *facta eſt meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* cap. 1. Quid eſt hoc, bone Deus? Vnde tot ſcelera? Ex quo originem ſumpſit iniquitas tanta? Deniq; quonam pacto de ſummo virtutum culmine, in imam ſcelerum omnium foueam tã citò Ciuitas iſta prolapſa eſt? Num forte quia conſiliarij defuerunt? Ita ſanè; nam ipſis poſtea vt prius reſtitutis, in ſtatum priſtinum reducenda erat & ciuitas. *Reſtituam Iudices tuos* Ibid. *vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus: poſt hæc vocaberis Ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* ibid. Carthuſianus ibid. art. 4. *Reſtituam principes tuos, vt fuerint* Carthuſian. *prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus: ideſt, poſt tuam purgationem dabo tibi iudices, & conſiliarios tales, videlicet iuſtos, ac ſanctos; qualis Apoſtolos, & ſucceſſores*

Summa Ciuitatum iactura conſiliariorum amiſsio.

fores eorum; quales antè, seù antiquitus habuisti, vtpotè quales fuerunt Moyses, Iosue, Samuel, Dauid, & cæteri principes iusti. Post hæc vocaberis Ciuitas iusti, vrbs fidelis, idest, cùm restituti fuerint tibi ò Ierusalem, & Iuda consiliarij tales, quales olim habueras, tunc diceris, & eris Ciuitas iusti, vrbs fidelis. Ecce quomodo ex concessione, vel ablatione consiliariorum ciuitatis huius deiectio, vel erectio: scelera, vel virtutes pendebãt.

7 Hinc dicere nequaquã metui, nulla maiori clade Deum respublicas punire consuciisse, quàm cum ab eis consultores aufert: ab Isaia hoc accepi, qui cap. 3. iustissimam Dei iram super Iudam, & Ieruſalem ob eorum scelera venturam describere volens, *Isaias. c. 3.* hunc ait in modum: *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iuda, &c. consiliarium, & sapientem, & de architectis, & prudentem eloquij mystici*; & ex hoc quid euenturum esset, statim subdit: *Et irruet populus, vir ad virum, & vnusquisq; ad proximum suũ; tumultuabitur puer cõtra senem, & ignobilis contra nobilem*. nec miror si ciuitatibus his consiliarijs destitutis tot hominum cædes, totque defectiones imminerent, quia, vt Salomon ait: *Prou. c. 15.* *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium: vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur*. Prouerb. cap. 15. Hieronymus super modo tactum Isaiæ locum. *Hieronym.* *Græci poetæ laudabilis illa, & admiranda sentẽtia est: primum esse beatum qui per se sapiet, secundo qui sapientem audiet, qui autem vtrumq; careat hunc inutilem esse tàm sibi, quàm omnibus.*

Nusquã sic Deus se iratum ostẽdit, quàm cùm consiliarios aufert.

8 Tostatus quæst. 1. super verba illa, *Fecit Ioas rectum coram Domino cũctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos.* 4. Reg. 12. An Ioas post Ioiadæ obitum probè se gesserit, inquirit, & tandem illo mortuo ad idola declinãsse concludit. *Ioas inuenitur quòd mortuo Ioiada malus fuerit, & verum est, quia declinauit ad idola in tantum, vt iusserit occidi Zachariam filium Ioiadæ, quia increpabat eum*: quod præterquam allatus scripturæ locus innuere videtur, dùm usquè eò ipsum recta fecisse asserit, quò vixit Ioiadas; habetur etiam expressè ex 2. Paralip. c. 24. vbi dicitur: *Postquam autem obiit Ioiada ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem; qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq; lucis & sculptilibus, &c.* At vndè tàm citò post Ioiadæ mortem vero Deo relicto, ad idola deflexerit Ioas, sequentibus verbis ostendit Lyranus: *Per hoc habent principes exemplum habendi bonos consiliarios, qui doceant eos, & dirigant in exercitio bonorum.* Quod à probitate ad improbitatem nulla interposita mora ex iſte ceciderit, boni consultoris obitus in causa fuit, nàm ipso vigente rectum fecisse narratur, vix postea illo mortuo statim ipse vna cum populo post idola cucurrit: ex quo vix euoluto anno supra Ieruſalem, & Iuda venit excidium.

Tostatus. *2. Paralip. c. 24.* *Lyranus.*

Quousq; durant cõsiliarij principũ durat probitas, illis deficientibus deficit hæc.

9 Deinde vnde tot virorum millia Dauidis tempore Dei iram incurrisse putas, quòd sue iuxtà vulgatam editionẽ tribus diebus, vel vt septuaginta vertunt, paucis solummodo horis Angeli gladio à Dan vsque ad Bersabeæ septuaginta millia interfectos fuisse habeatur, nisi quia inconsultè Dauid populum numerare fecit? *Dixitq; Rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsq; Bersabee, & numerate populum, vt sciam numerum eius.* 2. Reg. cap. 24. Si prophetam accersisset, si alium quempiam prudẽtem, Deumq; timentem consuluisset, qui regiæ cupiditati (vt fas erat) restitisset, nequaquam certè vna cum populo Dei iram incurrisset: verùm quia Ioab vt regis caperet beneuolentiam secus effecit statim subdendo: *Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum*. ibid. tantæ cladis, tantiq; excidij causa extitit, & origo. Ambrosius de pœnitentia c. 9. *Dauid contra interdictum, mandauerat numerari populum, & voluerat nosse sancti exercitus quantitatem. Obsecundatum est voluntati regali, atq; inclytæ. Cœpit scire quid nouit.* Vtinam, vtinam Leonis Imperatoris dicti, *Consultores autem adhibe experientes rerum, prouidos, perspicaces, arumnarum, ac prosperitatis tuæ socios, ad excogitandum solertes, fideles; qui neq; tibi ad gratiam obtemperabunt, neq; illi qui rei susceptor exiſit, neq; sibi mutuè, sed qui quod cogitant dicunt,*

2. Reg. c. 24.

Ibid.

Ambrosius.

Dauid incõsultò agẽdo magnam populo cladem attulit.

Leo Imper.

Digitized by Google

eunt, qui ſimplici, & incorrupto aĩo ſunt, nullumque ex ijs rebus lucrum quærũt, ſed eo ipſo tẽpore quid maximè vtile ſit, explorant. de re militari. cap. 1. n. 6. præſcius fuiſſet Dauid, quia non Ioab ad gratiam obtemperantem, ſed conſiliarios, qui ei in facie reſtitiſſent vocaſſet, ſicq; nec ipſe, nec populus in talem, tantamq; Dei iram incidiſſet.

Ruinę ideõ modi, & cædes ex conſiliorũ neglectu ſequntes, deſcribuntur.

10 Qualia incommoda, qualeſq; cædes, atq; ruinæ ex conſiliorum neglectu varijs temporibus acciderint in cap. 56. bibliæ pauperum deſcribit D. Bonauentura: Qui propterea Iudã Machabæum cum multis alijs cecidiſſe aſſerit, quia amicorum conſilium ipſum auertentium, atque dicentium:

1. Mach. c. 9 *Liberemus animas noſtras modò, & reuertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus* 1. Machab. cap. 9. reſpuit verbis illis: *Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus*

D. Bonau. *ab eis. Iudas.* (ait præfatus Bonauentura) *noluit acquieſcere amicorum conſilio, & in bello cecidit, & cæteri fugerunt.* De Nabuchodonoſore etiam, quia ſapientiſſimum illud Danielis conſiliũ:

Daniel. c. 4. *Conſilium meum placeat tibi, ò Rex: peccata tua eleemoſynis redime, &c.* c. 4. neglexit, propterea in beſtiã verſũ aſſerit, cũ ſubdit: *Cõſiliũ meũ, &c. ait Daniel Nabuchodonoſor regi Babilonis, qui nõ acquieuit, & mutatus eſt in beſtiã.* De ſuperbiſſimo poſteà Holoferne, qa Achior contempſit conſilium dicere non

Idem. omittit: *Bonum, & fidele conſilium dedit Achior Holoferni, quod ille cum ſuperbia, & indignatione contempſit, qui poſt paululum fuit occiſus, & exercitus cum damno, & confuſione fugatus.* Experimẽto deniq; fratres Ioſeph quid ſibi ex Ruben conſilij neglectu acciderit didiciſſe, his verbis aſſerit: *Ruben bene conſuluit fratribus ſuis, vt Ioſeph redderetur patri Gen. 37. qui non acquieuerunt ei, & idcircò venit ſuper eos tribulatio.*

Cato maior. Hæc ipſe, antè quẽ dixit Cato maior: *Maximè reſpublicæ per adoleſcentulos labefactatæ, à ſenioribus ſubſtentatæ, & reſtitutæ ſunt. Cùm n. ad gubernacula reipublicæ temerarij, atque mendaces homines accedunt, maxima, atq; miſerrima naufragia fiunt.*

11 Ex quatuor beſtijs, quas intempeſta nocte Danielem ſper viſum vidiſſe reperio, duas ad rem noſtram pertinère exiſtimo, primam nempè, & vltimam; de prima ſacer ait textus: *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ.* cap. 7. de vltima ſic concludit; *Beſtia quarta terribilis erat, atq; mirabilis & fortis nimis;* & poſt pauca: *Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* ibid. Daniel. c. 7.

nã per primã, quæ ſuos naturales impetus cohibere non valet, ſed ſemper pertinacior inuenitur, illos qui omnium aliorum reiecto conſilio pertinaciter in proprias ſentẽtias ruunt ſignari exiſtimat Riccardus de S. Laur. dùm dicit: *Nota quòd non leoni, ſed leænæ aſſimilatur: quia hic ſexus impetus ſui vehementia proteruior, & pertinacior inuenitur.* Riccard. à S. Laur.

Peruicaces leænæ comparati, & quare? *Vide ergo quàm beſtiale, & verè leænæ ſimile ſit, nullius conſilio, nullius acquieſcere præcepto; ſed in temeritatis ſuæ audacia pertinaciter perdurare.* Nec vacat myſterio etiam alatam leænam præfatam deſcribi: quia adeò in proprias ſententias præceps huiuſmodi hominum genus eſſe ſolet, vt ac ſi pennigeri ad temerarias exequutiones volare videantur. Secunda verò beſtia ideò fortis, & terribilis, & loquens ingentia deſcribitur, quia illos eccleſiaſticos, qui ſub virtutis nomine propriam ſectantur opinionem non obſcure ſignificat: hi fortes, & terribiles in proprio iudicio, omni ſemper reiecto conſilio, à Deo ſolummodò ſe dirigi poſſe, atque debere exiſtimant. Hos in perſona Annæ pontificis reprehendit Ieſus, cùm de doctrina, & de diſcipulis interrogatus dicit: *Interroga eos, qui me audierunt.* Ioann. 18. temerarium (ac ſi diceret) eſt diuinas expectare reuelationes, vbi humana valent adeſſe conſilia: *Iſte pontifex,* ait Vgo Card. *nolebat hoc ſcire niſi à Chriſto, ſic multi indignantur ab hominibus diſcere, omnia volentes inuenire, quaſi Dominus omnia debeat eis inſpirare.* Hæc ipſe, qui ad talium proteruorum capita omninò quaſſanda ſuper verba illa: *Dixerunt ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis, &c. Dixit ergo eis Ieſus: Tempus meum non dum*

Ioan. c. 18.

Vgo Card.

Superbi à Deo inſtrui vellent, ab hominibus vero dedignantur.

Ioan. c. 7.

Digitized by Google

aduenit. Ioan. 7. hunc dicit in modum:

Idem. *In hoc docemur non indignè ferre si viles existant, qui consiliantur nobis: si.n. Christus humiliter sustinuit consiliantes, quæ non oportebat; qua fruemur venia nos terra et cinis ad eos, qui consiliantur vtilia graues existentes, sicut multi, de quibus dicitur Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta: et loquentem perfectè abominati sunt.* Hactenus Vgo. Et antè ipsum Cassianus de discretione colla. 2. cap. 14. adolescentum præsertim quorumdam temeritatem redarguēs, qui seniorum reiecto consilio diuina tantùm cupiunt dirigi inspiratione, puerum Samuelem à Deo vocatum, & ad Heli currētem eis anteponit dicendo:

Cassianus. *In tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, vt etiam in scripturis sacris hanc eandem institutionem non otiosè reperiamus insertam, ita vt puerũ Samuelem indicio præelectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel et iterum pateretur ad senem Heli; eumque quem ad suum vocabat colloquium, etiam illius, qui offenderat Deum, dummodò senioris, doctrina vellet institui; et quem sua vocatione dignissimũ iudicauerat, senioris mallet institutione formari* Et loco præfato c. 15. non à Christo immediatè edoctũ, sed ad Ananiã Paulũ missum considerans, sic subdit:

Etiam à se vocatos seniorum doctrina instrui vult Deus.

Idem. *Paulum quoquè per semetipsum vocans, et alloquens Christus, cùm posset ei perfectionis viam reserare confestim, dirigere ad Ananiam maluit, et ab eo iubet viam veritatis agnoscere, dicens: Vade ingredere Ciuitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oportet facere. Mittit itaque et hunc ad seniorem, eumq; illius potius doctrina, quàm sua censet institui: nè scilicet quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dùm vnusquisq; sibimet persuaderet, simili modo se quoq; debere Dei solius magisterio atq; doctrina potius, quàm seniorum institutione formari.*

Dei solius magisterium nõ expectet, seniorum institutione formari qui potest.

12 Illud tandèm pro huius instituti conclusione tibi suadendum censeo, vt sibi malè consulentes nequaquam consultores adhibeas: quia, qui sibi nequã est, haùd facilè tibi bonus esse poterit. Quod Ambrosij fuit consilium, qui lib. 2. off. c. 12. hæc habet,

An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi? cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia subinget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodò consilij locus, vbi nullus quæti? Admirandus mihi est suscipiendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offensus abstulit. Verba equidem omni pretioso lapide pretiosiora, sed illa vltima maximè, *Admirandus mihi est suscipiendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offensus abstulit:* nàm ipsis adeò necessariam reipublicæ partem consultores esse ostenditur, vt nulla ei maior accidere possit iactura, quàm consultoribus à Deo priuari, vt paulò superius me dixisse minimè fugit. Hos igitur aduocatos cõsule, vt vrbs fidelis, & ciuitas iusti, in qua per gratiam iustorum iustus inhabitare non dedignatur, voceris.

D. Ambros.

Nulla maior reipublicæ iactura, quàm consiliariorum amissio.

Dæmonium habes: Quis te quærit interficere? Ioann. 7.

§. II.

Linguæ iacula, iaculis omnibus diriora.

1 AVgustinus tract. 30. in Ioannem verba pro themate assumpta: *Dæmoniũ habes: quis te quærit interficere?* Ioan. 7. æqua lance mucronem, & murmurationem perpendens, nimis leuia respectu istius, illius vulnera esse censenda autumat: *Turba turbata videte quid responderit? Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? quasi non peius fuit dicere dæmonium habes, quàm eum occidere.* Sic ipse loco citato. Nec miror; quia machæra carnem quidē transuerberare potest, animam autem nequaquam, murmuratio autem neglecto corpore, vt viliore, animam ipsam (vt ita dicam) pungit, & ferit. Quod ni fallor, & sub carnis, & ossis nomine significare voluit Ecclesiast. 28. cùm dixit: *Flagelli plaga linorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.*

Augustin. *Ioan. c. 7.* *Eccle. c. 28.*

Vbi

Vbi S. Antonius de Padua in myſtica expoſitione: *Plaga flagelli exterius liuorem facit, ſed plaga linguæ detractoris oſſa virtutum comminuit.* Et Vgo Card. *Peior eſt plaga linguæ, quàm plaga flagelli, quia flagellum corporis oſſa lædit; ſed lingua oſſa animæ cõminuit.* Et apertius iuxtà multorum expoſitionem hoc inſinuauit Simeon verbis illis ad Virginem Deiparam dictis: *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Luc. 2. ſuper quæ Origenes in catena: *Nulla docet hiſtoria Beatam Virginem Mariam ex hac vita gladij occiſione migraſſe, præſertim cùm non anima, ſed corpus ferro ſoleat interfici, vndè reſtat intelligi gladium illum de quo dicitur: Et gladius in labijs eorum.* Apertiſſimè autem antè hos omnes, quàm mucronũ vulneribus murmurationum vulnera præſtent, nouit Pythagoras, qui dicere conſueuerat: quòd gladius corpus, liuor animam vulnerat. Ex quo quis ſcit, ſi canendi accepit anſam Camerarius:

Ant. de Pad.

Vgo Card.

Luc. c. 2.

Origenes.

Blaſphemię in Chriſtũ, gladius Virginis animã tranſuerberans.

Camerarius

Sæua venenatæ cantus fuge ſpicula linguæ,
Plus ea, quàm ferro vulnera facta dolent.

41. cant. 4. Et Nanzianzenus.

Greg. Naz.

Quas animus miſit, volitant, ferimtq; ſagittæ
Vivos victuros, cum ſuperiſq; homines.
Hac aque incantos, et eantos figit, amicos
Atque hoſtes, pravos vulnerat, atque bonos:
Vivos, procul, et poſitos, ac deniq; nil nox.
Qui domat hanc, ſophia culmina prima tenet.

Linguę vulnera omnibus vulneribus ſæuiora.

carm. 54. de ſilentio ieiunij tempore. Sic linguæ iacula deſcripſere præfati. Super omnes autem eorum ſæuitiam expreſſit Eccleſiaſticus cùm dixit: *Mors illius, mors nequiſſima: et vtilis potius infernus quàm illa.* cap. 28. Vbi Vgo Card. *Illa, ideſt, quauis pœna grauiſſima minor eſt, quàm plaga linguæ.* Pro quo argumento audi ſi libet.

Eccleſ. 28.

Vgo Card.

2 Ioſepho filio ſuper cæteros dilecto, eiuſque virtutibus vt Canorus Cygnus morti propinquus panegyricon canens ſanctiſſimus Iacob, hæc inter alia ipſum dixiſſe, *Inuiderunt*

Geneſ. c. 49.

illi habentes iacula, ſacra narrat hiſtoria Gen. 49. quæ verba quonampactò de Ioſephi fratribus intelligi poſſint, haùd facile capio, cùm ipſos non bellatores, ſed paſtores fuiſſe ex ſacris paginis habeatur; Verùm Dauidem poſtea quoties de detractore dicẽtem audio: *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum: et ipſi ſunt iacula.* pſal. 54. facilè quod non capiebam, percipio; nam ſermones detractorios iacula vocat, vt bene ſuper citatum pſalmi locum annotauit Vgo Card. verbis illis: *Molliti ſunt ſermones eius in adulatione, quam faciunt in præſentia eius, cui adulãtur: & ipſi ſunt iacula in detractione in abſẽtia illius, iuxta prouerb. 25. Iaculũ, & gladius, & ſagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum ſuum; talis eſt detractor.* Et quia liuore tabeſcentes cõtra Ioſephum pluries fratres eius fuiſſe loquutos non ignorabat Iacob: propterea non inuidiſſe tantùm, ſed etiam iacula habuiſſe aſſerit, quia liuorem murmuratione euomuerunt: *Habentes iacula*, ait Lyranus in ſenſu mor. *ideſt, verba pungitiua, vocãtes eum falſum.* Et Pererius: *Iacula appellat verba mortifera, quibus illum confodere, & perimere valuerunt.* Quæ verba ſi benè perpendes, non immeritò iaculis fratres Ioſeph armatos fuiſſe dices, dùm illos detractionum ſpiculis Ioſephum configere ſtuduiſſe audis.

Pſal. 54.

Vgo Card.

Inſtar arcus detractoris lingua detractionis ſpicula mittit.

Lyranus.

Fratrũ Ioſephi iacula deſcribũtur.

Pererius.

3 Nec linguæ ſpicula iacula ſimpliciter nũcupare ſatis eſſe exiſtimes: quia ſi omnium ſęuiſſima appellabis, non à vero deuiare videberis; quod tibi ex eo maxime ſuadere poteris: quia ſi lancea, quæ Saluatoris latus aperuit dira ſemper ab Eccleſia eius ſponſa vocata eſt: *Mucrone diro lancea*, nõ tàm quia in mortuum deſęuit, nec quia duos ſimul vnico ictu cõfodit, filium, ſcilicet, & matrem, quia ſi anima magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, cũ ardentiſſimo amore erga filium incẽderetur Virgo, eius anima magis in Chriſti corpore, quã in proprio erat, & ſic lanceæ ictum vterque ſuſtinuit, nempè mater, & filius: quàm quia vltra corpus, animam etiam (quod omni materialium armorum generi repugnare videmus) trãſuerberare auſa eſt, iuxtà illud Simeonis: *Tuam ipſius animam*

Luc. c. 2.

animam doloris gladius pertransibit. Luc.2. nam cum per amoris excessum, vt modo dixi, Virginis anima magis in filij corpore, quàm in proprio esset, quod in carne sustinuit ille, in anima pertulit ipsa: diriora ob id linguæ spicula, quibus nõ vna anima, sed tres simul penetrantur, immò perimuntur (si dicere sic licet) nuncupari debẽt. quod si asseres, tuum non existimes, sed Bernardi, qui de triplici custodiâ manus, linguæ, & cordis hunc ait in-

D. Bernard. modum: *Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum, quæ tam lethaliter tres inficit flatu vno. Numquid non lancea est lingua ista? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. lingua inquit (psalm.56.) eorum gladius acutus: gladius equidem anceps, immò tum ceps est lingua detractoris.* Hæc ipse, à quo Bernardinus Senens. tom.2.ser.4. post 3.Dom.Quadrag. ser.29.de odibili, & execrabili detractione art.1. cap.3. inter Christi lanceam, & detractoris linguam comparationem face-

D.Ber. Sen. re didicit, dicendo: *Gladius triceps lingua detractoris, nec huiusmodi linguam mucrone illo, quo Domini latus confossum est, crudeliorem dicere verearis: Fodit hic Corpus Christi, hæc non iam exanimè fodit, sed exanime facit.* Sic tibi & quàm, & cur Christi lanceæ sæuitiam linguæ spicula superent suadere facilè poteris.

4 Mirabile nunc mihi minimè apparet, quòd huius lanceæ sæuitia, mortales cunctos terrore semper affecerit, si mucrone illo, qui Saluatoris latus aperuit dirior est. Huius sæuitiã perhorrescens Salomon in prouerbijs, iaculum, gladium, & sagittam detractoris linguam appellat; *Iaculum, &*

Prou. c.25. *gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* cap.25. quia, vt Vgo Card. ait non vnius animam, sed trium simul vno ictu interficit: *Tria dicit*, ait iam allatus Vgo, *Iaculum, gladius, & sagitta, quia omnis detractor vno ictu tres interficit, sicut dicit Isidorus. Se, & illum cui loquitur, & illum cui detrahit cùm ad illius notitiam pervenerit.* Huius rei gratia vrsus quidam tres dentium ordines habens, qui non arborum, nec terræ fructibus, sed carnibus multis vescitur à Daniele iuxtà eiusdem Vgonis expositionem murmurator appellatur: *Ecce bestia alia similis vrso, ex parte steterat, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* cap.7. quia iuxtà dentium ordines nõ trium carnes, sed animas (si sic loqui licet) simul vorare consuevit: *Detractor significatur per illam bestiam, quæ similis erat vrso, qua tres ordines dentium habebat in ore, & in dentibus.* Allatus Vgo supra verbo illa Ieremiæ 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Huius denique cruenti inexplebilisq; vsi dentes, siue vt aptius ad rem nostram loquar, huius horribilis lanceæ ictus vt emergerent primi illi surgentis Ecclesiæ discipuli, statim Apostolorum sententia de septem virorum, ministerio quotidiano proficiendorum delectione acquieuerunt, dicente Scriptura: *Placuit sermo coram omni multitudine.* act.6. vbi Carthusianus ait: *Placuit sermo coram omni multitudine, quia malum murmurationis optabant extinguere, & boni filij patrum suorum consilio tam rationabili, ualenter acquieuerunt.*

Daniel. c.7.

Idem Vgo.

Vrso illi similis, qui tres dẽtium ordines habebat, & quare?

Ierem. c.9.

Act.c.6.

Carthusian.

5 Nec mirum susurronum linguas semper exterruisse mortales, si Angelos ipsos in illis paucis vix momulis nil tàm (vt ita dicam) timore affecit, quàm Satanæ detractio, post cuius casum exultantibus cœlis, vocem hanc se audisse testatur Ioann. *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* Apoc.12. Quę verba lætitiæ, & exultationis fuisse inter cæteros asserit Cornelius à

Apoc. c.12.

Corn à Lap. Lapide: *Est Angelorum, & beatorum celeusma, est exultatio, et cõgratulatio exultantium de prostrato, & profligato dæmone.* Cur autẽ in Satanæ casu adeo gauderent Sancti Angeli, eadem subtidit vox: *Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos in conspectu Dei nostri die, ac nocte, etc. Propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis.* Quod idem erat ac dicere: lætentur cœli, & exultent incolæ eius, quia proiecto Satana, defecerunt detractionis spicula. Præfatus Cornelius: *Quia proiectus est accusator, id est, obloquutor, calumniator, detractor, et accusator, qui calumnijs, et falsis criminibus Sanctos apud*

Apoc. ibid.

Idem.

Deum

Detractor ictu vno tres interficit.

Angelos ipsos vitæ tempore nil vt detractionis timore affecit

Bonus accusabat, vt olim accusauit Seruum Iob. Sic Angelos ipsos vitæ tempore detractores quodammodò timuisse apparet.

6 Quibus omnibus haùd quaquã contentus addo, Christum ipsum, cui spinæ flores, verbera blanditiæ, & mors dulcis apparuit, detrahẽtium linguas vt nimis sæuas declinasse multoties: Ex illo Ioa. 7. *Vos ascendite ad diem festũ hunc, ego autem non ascendo, &c. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto,* veritatem hanc colligo, ex eo, quia occultè ascendisse humanitatem, infirmitatemq; ostendit, vt ait Gorranus: *Ideò in occulto, vt humanitatis ostenderet infirmitatem.* At cur hoc? Nùm mortem quã semper optanerat formidabat? Nequaquam sanè, sed vt murmur illud, de quo idem Euangelista loquitur: *Murmur multum erat in turba de eo. Quidam.n. dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Nõ, sed seducit turbas* (si dicere fic licet) declinaret, quod ex verbis illis Psalm. 30. *Muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & abusione,* satis apertè deduco; quia si in ipsis per iustum antonomasticè Christus intelligitur, iuxtà illud Isaiæ 57. *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo,* per abusionem, verba detrahentium, cum seductorem vocantium intelligit S. Bruno, dùm dicit: *In abusione cùm ad eius detractionem falsis vocabulis abutebantur, dicentes eum, qui iustus erat, & innocens, peccatorem, & seductorem.* Dùm igitur Christus muta fieri labia dolosa, quæ in abusione loquentia se seductorem vocant, expostulat: murmur illud, de quo hic Ioannes loquitur, præ oculis habebat, cũ fortè nullibi tàm clarè falsis vocabulis malus, & seductor vocatur, quàm hic: ex quo satis patet, cur non manifestè, sed quasi in occulto ad diem festum ascendit, quia non insectantium minas formidabat, nec mortẽ; sed labia aduersus iustum in abusione obloquẽtia ferre, ni decipior, non valebat.

Ioan. 6. 7.

Gorranus.

Ioan. ibid.

Psal. 30.

Isai. c. 57.

S. Bruno.

Detractiones Christus declinat, qui plusquam libenter morti occurrit.

7 Oculos adaperias obsecro; & inuenies Christum, qui dempto loco illo Pauli: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* ad Hebr. cap. 5. nunquam in passione ploraſſe dicitur, in Lazari resurrectione, & lacrymatũ fuisse, & infremuisse, & turbasse seipsũ inuenies. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsũ, &c. & lacrymatus est Iesus.* Ioann. 11. Quarè hoc? Si quia vnum solummodo ex tot suscitare debebat, vt ait Chrysologus: *Non potest non fremere, qui singularem de hoste rapit victoriam;* Inviduæ filij suscitatione planctum non prohibere, sed præcipere debebat, cùm singularis etiam esset ad vitam reuocatio. Si quia formam compassionis præbebat, vt ait Carthusianus ibid. art. 28. satis poterant esse lacrymæ; cur ipsis & fremitum, & turbationẽ, licet voluntariè assumptam, adiecit? Si vt dilectionem suam ad Lazarum, eiusq; sorores ostenderet, vt idem subdit Carthusianus: vtiquè vberioribus lacrymis Baptistæ cædem plangere debuisset, pro qua nec suspirium emisisse habemus. Si tandem iuxtà Hieronymi sententiam propterea in Lazari resurrectione fleuit, quia ad vitæ ærũnas illum reuocabat, idipsum quoque efficere in cæterorum resurrectione debebat, cuius tamen oppositum tàm in viduæ filij, quàm in Archisynagogi filiæ suscitatione reperimus, cùm in vtraque, nedum ipsum non ploraſſe, verùm planctum etiam prohibuisse testetur Lucas cap. 7. & 8. cur igitur hic plangit, se turbat, & fremit? Numforte propterea tot doloris hic edidit signa, quia Iudæos obtrectantes audiebat? Ita Lyranus, & Ferus, quorum primus: *Indignatur contra malitiam iudæorum de factis suis iniquè murmurantium.* Secundus verò super illud: *Iterum fremens. Hoc secundo fremitu exprimit indignationem animi in iudæorum malitiam, & improbitatem, qui non desistebãt iugiter calumniari opera eius.* Itaq; non tàm ob amici obitum, quàm ob inimicorum detractionem plangit, se turbat, & fremit: & sic doloris signa, quæ in passione non edidit, cùm vix ex Paulo in Cruce ploraſſe colligatur, in murmurationis susurro ostendit; vt atrocius linguis, quàm spinis, & clauis se configi declararet.

Ad Hebræos c. 5.

Ioan. c. 11.

Chrysol.

Christus in Lazari resurrectione cur plangat.

Lyranus.

Atrocius linguis, quam clauis configitur Christus.

Ioan. Ferus

8 Antequam muto cuidam affatum redderet Saluator, oculos ipsum

Digitized by Google

sum cum gemitu ad cælum leuasse scribit Marcus cap.7. *Suspiciens in Cælum, ingemuit*: quod quidèm magni doloris indicium esse, ipsa indicat experientia; at cur nusquam in alterius curatione huiusce modi doloris signa ostēdit nisi in istius? An fortè quia linguæ vinculum hic soluebatur? Ita planè; præuidebat, vtpotè, atrocius linguis, quàm alio quouis armorum genere se fore vulnerandum, iuxtà illud Ierem. cap. 18. *Percutiamus eum lingua.* ideò linguæ vinculum soluere volens, cælum suspiciens ingemuit. Vndè Gilibertus: *Horret Christus magis asperitatem morum, & lingua stimulos, quàm spinarum aculeos*; ac si diceret: quòd in linguæ tantùm curatione gemat, eius sæuitia in causa est; quia ipsa sæuius, quā clauis, & lācea se vulnerādū agnoscebat. Vnde ex Chrysostomo Incognitus super illud psal. 21. *Omnes videntes me, deriserūt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput*, taliter inquit: *Notat hic Chrysostomus ad iudæorum crudelitatem, quòd non fuerunt contenti Christum crucifigere, sed etiam cùm ipsum denudassent, & crucifixissent, vltra procedunt; quia in cruce nudum videntes affixum, exprobrabant ei dicentes: Vah, qui destruis templū Dei.* Hæc ipse, quibus satis apertè murmurationis fusurrum morte ipsa sæuiorem Saluatorem existimasse, declarat.

Mare. c. 7. Ierem. c. 18. Gilibertus. Plus Christus linguæ stimulos, & spinarū horret aculeos. Psal. 21. Incognitus.

9 Silendum minimè existimo, quid est quòd damnati in lingua potius, quàm alibi puniantur, dicente Ioan. Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore*, & licet p. 1. fer. 5. Dom. 2. §. 3. propterea Epulonem in lingua maximè excruciari me dixisse non lateat, quia peccati instrumētum maioris semper punitionis solet esse obiectum: hic tamen Sacramentum magnum dico, damnatorum quorūnam linguas præcipuè torqueri, quia æquum est, vt id maximè puniatur, quod maximè alios afflixit, & quia nil vt lingua homines cruciat, cùm contra eos soluitur, nil vt ipsa in tormentorum loco puniri debet. Meum non est hoc, quod dico, sed Diui Bonauenturæ qui tom. 1. opusc. lib. 3. pharetræ cap. 3. §. de murmuratione, sic ait: *Iustè ignis vltionis in futuro illos excruciat, qui lingua inflammata gehēna murmurant, & detrahunt.* Desæuiant in linguas sæuas damnati eas cōmanducando, vt iustas pœnas linguæ luāt, quæ multos fugere fecerunt.

Apoc. c. 16. D. Bonau.

10 Cæterum qui iustas has linguę pœnas subire renuerint, concidant aratra sua in gladios, & ligones in lanceas, hoc est, non aliorum virtutes veluti glebas murmurantis linguæ aratro terant, & tundant; sed sua scelera confessionis gladio scindant, vt ait Antonius de Padua: *Gladios, & ligones in lanceas concidunt, qui linguam detractionis, qua velut aratro vitam aliorum sulcare solebant, vertunt in gladios confessionis, et propriæ accusationis.* Non fici fructus exquirant, hoc est, eloquentiæ fœcunditate contra proximum vtātur, sed stercora proprię cognitionis circa ipsam mittant, dicente eodem: *Circa hanc ficum debemus stercora, ideſt, confessionem peccatorum ponere, vt virtutem suam, scilicet confessionem, valeat dare.* Linguæ vinculum soluant, sed loquātur rectè; nam vt ait Salomon: *Qui recta loquitur, diligetur.* Prouerb. 16.

D. Ant. de Pad. Verba illa: *Cōcidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas.* Ioel 3. Quomodo intelligenda? Idem. Prou. c. 16.

Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quęritis interficere? Ioann. 7.

§. III.

Fere communis hominum huius ætatis est error, sic in aliorum errata æstuare, vt æsurire videātur, & sitire iustitiam: se autem grauioribus implicitos, inaniter, leniterq; palpare.

1 HAud quaquam nobiliori semita gradi poterimus ad suadendum, huius ęui viros acerrimos esse aliorum scelerum vultores, propriorum autem adulatores potius, quàm animaduersores: quàm si sedulò perscrutemur, cur humani corporis forma

ma ſic à Deo ſit diſpoſita, vt ex capite elato veluti lingula, & ex duabus manibus hinc inde, nil ſecus à calculis pendẽtibus, ſtatera formata videatur; vndè Oſeæ 12. *Chanaam, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit*: nam ſi Diui Laurentij Epiſc. Nouarienſis homil. de eleemoſ. percurrere voluerimus, propterea id factum videbimus, vt æqua lance tàm aliorum ſcelera, quàm propria pẽſitet homo, ſi iuſtum Dei iudicium effugere cupit. Audi ipſum loco citato: *Habet iudex iſte ſtateram in manu ſua, in qua perpendit inter duo pondera; vnum meriti, & vnum peccati: præuide te homo: ſenti pondus tuum, antequam veniens ille in ſua ſtatera te ſuſpendat: conſidera ſtatum tuum, & eſto tu tibi ipſe ſtatera: ſit tibi de corpore tuo ſtatera. Duæ manus tuæ, duo ſunt calculi hinc inde in ſtatera pendentes. Vides quomodo ipſe tibi es ſtatera? Perpende cor tuum, & conſcientiam: Perpende animam tuam, membraque ipſa in ſtatera.* At nũquid hac vtuntur ſtatera huius tempeſtatis viri? Audi regiũ prophetam, qui non ſine cordis dolore clamat: *Mendaces filij hominum in ſtateris*. pſal. 61. ac ſi diceret: quomodò veraces dici poterunt filij Adam, dùm aliorum exaggerant crimina, propria autem extenuant: quonampacto iuſta vocari poterit ſtatera, quæ aliter propria, aliter aliena ponderat. *Filij hominum*, ait Ambroſius ſuper citatum Dauidis locum, *videntur ſibi ponderare æquitatem, & grauitate ſeuerioris iudicij examinare iuſtitiã, duri alijs, remiſſi operibus iniquis, ſermone cenſores. Tales ſcribæ iudæorum ſunt, qui onera grauia alijs obſeruantiæ durioris imponunt, non habentes rectum iugum animæ ſuæ, ſed propenſa iniquitate curuati*. Quis varios, atque mendaces hos hominum filios non vocabit, qui quàm aliorum peccatorum acerrimi vultores, tàm propriorum ſcelerum ſunt palpatores? Benè de talibus dixit Lorinus ſuper citatum pſalmi locum: *Sunt aliqui, qui alia pro ſe lege, pro alijs alia vtuntur, non contenti, vt qua menſura menſi fuerint, remetiatur eis, qui aliena exaggerant, ſua minuunt peccata*. Horum mendacem ſtateram pertimeſcebat ſanctiſſimus Iob, quando tactus dolore cordis intrinſecus clamabat: *Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam*. cap. 31. Quaſi diceret: tu Domine, mea trutina delicta, non homines; quia tua, non horum eſt iuſta ſtatera: hi enim trabem in oculo ſuo non videntes, ex alterius autem feſtucam non ſine magno dolore eijcere conantur. Hos etiam, ni decipior, timebat Horatius cùm cecinit. 1. ſerm. Saty. 3.

Cùm tua peruidetas oculis mala Lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tàm cernis acutum?

Hos ſanè vellicat D. Bonauentura in Regiſt. nouitiorum cap. 12. ſequentibus verſiculis:

O qui feſtucam fratris concernis ocello,
Quæ tua conturbat lumina tolle trabẽ.

Hos tandem carpit in præſenti Saluator, quòd cùm Moſaicæ legis eſſent tranſgreſſores, ipſum iuſtiſſimum, atque ſanctiſſimum paralytici curationis criminarentur, atq; occidere vellent, dùm dicit: *Nonnè Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* ſuper quæ Cyrillus: *Magna voce clamare videtur: ego in die ſabbati ab incurabili morbo miſericorditer hominem liberaui, & his meis meritis vos incitati, turpiter me perſequimini, et vita priuare vultis: quæ igitur ſupplicia ſcelere veſtro condigna reperientur? Peſſima profectò res eſt, iudicium efferre de alijs: nàm in quo aliũ quis iudicat, in eo ſemetipſum cõdemnat*. Pro quo argumento non deerunt ſcripturæ ſubtilitates.

2 Sat eſſet pro præſenti inſtituto parabola ſerui illius, qui verbis paucis magni debiti remiſſione obtenta, ergà conſeruum minimæ ſibi debentem adeò ſe crudelem oſtendit, vt in eum manus immittere parum exiſtimaret, niſi in carcerem etiam vſq; ad totius debiti ſolutionem detrudendum tradidiſſet: *Tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens cõſeruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autẽ noluit: ſed abijt, & miſit in carcerem, donec redderet debitum*. Matt. 18. quod conſiderans Chryſoſtomus hom. 63. in citatum Matthæi cap. clamat: *Vidiſti humanitatem et miſericordiam Domini,*

Oſeas. c. 12.

D Laurent.

Humani cor poris forma ſtaterã prætẽdere videtur, & quatè?

Pſal. 61.

D. Ambroſ.

Quis in ſtatera mendax ſit, explicatur?

Lorinus.

Iob. c. 31.

Horatius.

Aliorum vitia facilè, propria autem difficile videmus.

Ioan. c. 7.

Cyrillus.

Eadem menſura qua alios metimur, fere nullus ſibi remetiri patitur.

Matt. c. 18.

Chryſoſt.

Digitized by Google

ni, vide hîc inauditam ſæui crudelitatem. Ne verba quidem ipſa veritus eſt, quibus ſalutem acquiſiuit: his .n. ipſe dictis mille talentorum debitum euitauit. Ita nec portum quidem agnouit, quo tutatus à naufragio euaſit, nec modus ipſe ſupplicationis ad miſericordis Domini memoriam eum reduxit: ſed omnia illa, crudelitate oblitus, omni fera ſæuius in cõſeruũ inſiliebat. Aſt hac parabola, vt vulgariore compẽdioſè deſcripta: Dauidis lapſum, eiuſq; correctionem per aliã parabolam à Nathan propoſitam, tuam in mentem redigo: fuit autem de diuite quodam, qui egenum oue, præterquam aliud prorſus non habebat, priuauerat, vt amico hoſpitio recepto conuiuium pararet, qua re audita, zelo feruens DD. reſtitutionis, & mortis ſentẽtiam protulit:

2. Reg. c. 12 *Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Quem reddet in quadruplum.* 2. Reg. 12. terribilis prorſus ſententia! quæ omnem legis rigorem excedebat. Vnde Chryſoſtomus hom. 1.

Chryſoſt. ſuper pſal. 50. ſic ait: *His auditis ira incenſus eſt Rex: ac inſtam ſententiam admodum clarè pronũciauit. Gladio, inquit, moretur: atq; ouem in quadruplũ reddet. Nec verò hoc ex legis conſcripto imperauit: Lex .n. furem id, quod ſurripuit in quadruplum reddere iubet: ipſe autem legis terminos exceſſit. Iubet .n. & ipſum morte affici, et damnum illatum in quadruplum reſtitui. Sententiam extulit, ac iudicium numeris omnibus abſoluit.* Seuera equidẽ ſententia! terribilis iudex! At vndè terribilitas tanta? Eundem audi Chryſoſtomum immediatè antè præfata: *Ira*

Idem. *incenſus eſt iudex, exiſtimabat ſe alienam litem diſceptare.* Proh quàm facilè ſeuerè alios iudicamus! At quid ſi ſemetipſum reũ audiſſet, ipſumq; diuitem eſſe illum, qui ouem rapuerat intelexiſſet, numquid ſi non eamdem, cùm nemo ſuimet interfector exiſtere debeat, ſaltem diram aliam protuliſſet ſententiam? Minimè certè; verùm (ſi dicere ſic licet) hoc odorato ſatis ſolummodò peccatum cõfitendo, ſemet plexiſſe exiſtimauit: nec mirum, quia iuſtitiam, quam erga alios mundani exercere ſolent; in ſemetipſos prorſus exequi contemnunt. Adſit Bernardus:

D. Bernard. *Quidam tàm vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videantur eſurire, et ſitire iuſtitiam, ſi eſſet apud eos de ſuis quoq; peccatis idem iudicium: nam contra alios tàm inaniter, quàm impudenter, æſtuant: ſeipſos tàm inſipienter, quàm inutiliter palpant.* ſer. 4. de Aduentu.

Iuſtitiã, quã erga alios exercere ſolent mundani, contra ſe exercere cõtemnunt.

3 Quis poſtea ſententiam à Iuda contra Thamar nurum ſuam prolatã; eo quod à viri obitu multo euoluto tempore eius intumuiſſet vterus, non præcipitem, atq; ſæuiſſimam fuiſſe iudicabit? *Nunciauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua, et videtur vterus illius intumeſcere. Dixitq; Iudas: Producite eam vt comburatur.* Gen. 38. Præcipitẽ equidẽ dico; quia nullo præuio delicti examine capitalem ſententiam protulit: ſæuiſſimam, quia ſi filius patris iniquitatem portare non tenetur, ſed anima, quæ peccat, ipſa mortis luere debet pœnas, partum expectare debebat, poſt quem nurum morti addicere poterat, vt etiam Imperatorum leges faciendum ſtatuerunt, atq; ſanxerunt. Patet lege 28. in titulo de ſtatu hominum Digeſt. lib. 1. & lege 3. in titulo de pœnis lib. 48. digeſt. in hanc ſententiam. Quo inſtituto Athenienſes, Romanoſq; vſos fuiſſe teſtatur Clemens Alexandrinus lib. 2. ſtromatum. Tandem ſi vt prodidit Dionyſius lib. 57. execrãda fuit Claudij Imperatoris crudelitas, eo quod nec à prægnantium mulierum ſupplicio abſtinuit, quonampactò à ſæuitia excuſabitur Iudæ ſententia, qua capitaliter prægnans damnabatur? Vndè Lippomanus: *Non hic opus eſt, Iudam excuſare: vt peccauerat aliàs crebro; ſic nunc peccat præcipitando ſententiam ſeueram nimis.* Verum hic non ſiſtamus, ſed quam vt ſe ſceleris participem ſenſit in ſeipſum ſententiam protulerit, videamus: *Agnitis muneribus, ait: Iuſtior me eſt; quia non tradidi eam Sela filio meo.* ibid. & vbi rigor, vbi zelus, vbi mortis ſententia ò Iuda? Sì Thamar quia prægnans capitali pœna plectenda eſt, qui eam grauidauit nõ nè eadem puniri debet? Ita certè: an tantummodò illam te iuſtiorem vocando ſatis te ipſum caſtigaſſe exiſtimas? Ita ſanè: *Prius*, ait Seraph. *quando*

Mulieres prægnãtes nullo pacto ante partum morte plectendæ.

Lippoman.

Geneſ. ibid.

Seraphinus.

Iudas

Digitized by Google

Satis aliud eſt contra alium, & cõtra ſe iudicare.

Iudas ſe credidit innoxium à cognitione ipſius Thamar, ipſam ad mortem, & iuſtè quidem damnauit: poſtea quando agnouit ſe cognouiſſe ipſam Thamar, & conſequẽter ſe eandem ſententiam ſubiturum, ſi ita iuſtè procederetur: ſententiam mutauit. En totius rigoris, remiſſionisq; origo; quia ſe eam agnouiſſe ſenſit, quia criminis conſortem ſe intellexit: & cùm valde differat inter alium, & ſeipſum iudicare, idcircò nè eandem teneretur ſubire ſententiam, illam mutauit.

4 Alium Iudam, proditorem nẽpè, principes ſacerdotum ſemel adiiſſe, ipſiſq; ſuæ proditionis ſcelus, proditiq; innocentiam, atq; ſanctitatem

Matt. c. 27. aperuiſſe, ſcribit Matth. cap. 27. *Videns Iudas, quòd damnatus eſſet, pœnitentiæ ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus: dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum:* qua peracta confeſſione, illicò ipſos reſpondiſſe ſubdit Euangeliſta, *Quid ad nos? tu videris.* Si vendere, & emere mutuus eſt contractus, quonampacto emptores ſe criminis expertes vocantes, vendentem ſolum criminoſum

D. Ambroſ. exiſtimant? *Quod erat crimen tradentis, quomodò non ſuſcipientis, cum ſcelus ſceleri ſit adiunctum?* dicit Ambroſius ſuper pſal. 71. Nec mirum, quòd Iudã ſceleſtum, ſe autem innocentes appellent ſacerdotum principes: quia ſicuti iuxtà Philoſophi doctrinam 2. de anima ſenſibile ſupra ſenſum poſitum

Erga proximorum delicta nullus nõ oculatus, erga propria nullus non cæcus.

non facit ſenſationem, vt conſtat de quacumque re corporea poſita ſuper oculũ, à quo ſic poſita videri nequit, at in debita diſtantia bene videtur; ſic vitia aliena, ac ſi debitè diſtãtia, optimè perſpicimus, propria autem nequaquam: Vndè Titelmannus in perſona principum Iudæorum ad Iudam

Titelmann. reſpondentium ait: *Quid tu egeris noſtra nihil refert: bene tu, an malè egeris, ipſe videris: Nos quid egerimus, ſcimus, neq; mali vllius ſumus nobis conſcij.*

5 Antehac demirabar non parum, quòd Nathan Dauid adulterij, homicidijq; volens arguere, parabola illa ſuperius allata de diuite pauperis ouem rapiẽte vti voluerit, cùm apertè illum increpare potuiſſet; verùm nunc omnis mè definit admirationis anſa, nàm niſi debitum in alio contemplatus fuiſſet, in ſe minimè vidiſſet Dauid: quia ſicuti ait Rupertus Holchot lect. 26. ſuper caput Sapiẽtiæ 2. oculus facilè alia à ſe videt, ſe autẽ videre niſi in ſpeculo nullatenus poteſt, ſic erga aliorum errata oculatus, erga propria cæcus vnuſquiſq; eſſe conſueuit: *Hæc eſt conditio oculi,* ait allatus Rupertus, *quòd optimè videt alia à ſe, quæ idcircò opponuntur: ſed ſeipſum nullo modo videre poteſt; ſed indiget ſpeculo repreſẽtãte ſe: Et ita eſt de nobis, alienos defectus optimè notamus, proprios non videmus, niſi fortè per ſpeculum.* Et hæc eſt ratio, cur erga alios ſeuerus quiſquam exiſtat, erga ſe autem nequaquam: quia aliorum ſcelerum grauitatem facile percipit; ſuorum verò niſi induſtriè in parabolis, veluti in ſpeculis repreſentata, non videt.

Rupertus Holchot.

Cur Nathã vt Dauidis peccatũ corrigeret, parabola vti voluit?

6 Tantillum mellis quantum virgæ ſummitas ex fauo extrahere potuit, contra patris edictum vice quadã guſtauit Ionathas, quo tandem à patre comperto, omnis carnis, & ſanguinis poſt habita ratione, capitalem cõtra ipſum ſententiam protulit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* 1. Reg. 14. hæc in capite iſto: in immediatè vero ſequenti alterius tranſgreſſionis fit mẽtio; nam Saul, & Agag regi Amalec pepercit, & optima quæq; contra expreſſum Dei mandatum ſeruauit; verùm quàm erga ſe ſententiam proferat audiamus: Peccaui (Dixit ad Samuelem:) *Sed nunc honora me coràm ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.* cap. 15. Proh nefas! honorari cupit, qui Deum inhonorat, qui filium quia hominis præceptum (& inſcienter etiã tranſgreſſus fuerat) morte afficiẽdum cenſebat, ſibi Dei mandatum temerè tranſgredienti pro pœna gloriam affectabat, & laudem: *Qualiter in alienis vides tàm parua,* ait Chryſoſtomus citatus ab Vgone ſuper cap. Marth. 7. *& in tuis tàm magna tranſcurris? Si te magis diligis quàm proximum, quarè ipſum procuras, & non magis teipſum? ſi autem teipſum contemnas, manifeſtum eſt quòd non eſt procuratio, quòd ipſum iudicas. Sicut hydropicus corripit eum cui digitus tumet, & ipſe ſui ventris immemor eſt.* Pro qua re videndus eſt idem Chry-

1. Reg. c. 14

Ibid. c. 15.

Pro delictis mundani vice pœna gloria affectãt.

Chryſoſt.

Digitized by Google

Alteri ascribere quod ipse facis, diabolicum est.

Talem erga proximū se iudicē quis prebere debet, qui leuiū aliis ex peritis in se.

Vera iustitia cōpassionē habet, falsa indignationem.

Sostomus homil. 52. super verba illa
Matt. c. 15. Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Quare & vos, &c.* vbi inter cętera dicit: *Non reliquit eis, neq; causam discipulorum dixit: sed statim recriminatus est, vt audaciam eorum reprimeret, atque ostenderet non oportere illos, qui delinquunt in maximis, pro paruis aliorū criminibus adeò moueri, vt exactiori eos trutinæ subijcere velint, Cùm oporteret, inquit, vos reprehendi, audetis etiam alios ipsi reprehendere?* Nec
Idem. omittendus est S. Thomas super illud:
Matth. c. 7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non videsi?*
D. Thomas. Matth. 7. *Sæpe namq; qui grauia peccata committunt, reprehendunt eos, qui leuia, sicut contigit in iudicando religiosis, cùm aliqui qui grauia faciunt, quæ vident leuia in religiosis, iudicant grauia: sed absorbentur illa sicut vna gutta aquæ in multitudine vini. Contigit etiam quòd aliquis ex infirmitate peccet leuiter, & malè affectus vellet punire illum ex odio, considerat festucam in oculo illius, non autem trabem in oculo suo.* Nec tandem inultus relinqui debet Feras super illud Matth. 12.
Matt. c. 12. *Ecce discipuli tui faciunt, quòd non licet facere sabbatis,* namibi post multa con-
Ioan. Feras. cludit: *Vides igitur quòd peccatum iudicabant, vbi peccatum non erat, & è contra. Vnde de ipsis Ezechiel ait: Viuificant animas, quæ non viuunt, & occidunt animas, quæ non moriuntur.* Sic allati patres & scriptores, cęteriq; breuitatis causa omissi mundanam deseribunt iniustitiam, quæ aliter alia, & aliter propria videt, & punit.

7 Quod diabolicū potius, quàm humanum esse declarat locus ille
Matth. c. 8. Matthæi 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* quia vt benè annotauit Chryso-
Chrysolog. logus ser. 16. cùm ipsi, vt omnem explerent sæuitiam, antè tempus homines sepelirent, dum non mortem expectabant, sed viuos in sepulchris reludebant: Saluatorem, qui in temporum plenitudine venit, antè tempus venisse conquerentur: *De tempore sic quærūtur, quasi ipsi cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in sepulchris.* Allatus Chrysologus loco cit. Ecce tibi quomodo diabolicum est alteri ascribere, quod ipse facis, iustitiamq; pro altero, non pro se velle. Sanè pondus, & pondus: vtrumq; abominabile est apud Deum. Quid igitur in tanto iudicandi discrimine, vt rectè iudicemus sit agendum, docet Gregor hom. 34. in Euang. vbi veræ, falsæq; iustitiæ indicia tradit dicendo: *Vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem: quamvis & iusti soleant rectè peccatoribus dedignari: sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantes: perfectionem commonent, sed amantes: quia & si foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant. Præponunt sibi in animo ipsos plerūque, quos corrigunt & meliores existimant eos quoq; quos iudicant. At contra hi, qui de falsa iustitia superbire solēt, cęteros quosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt: & eò se peccatores esse non credunt, eò deteriùs peccatores fiunt.* Hæc Gregorius. Quā eādem iudicandi formulam optimè
Gregorius. seruabat Dauid, quando pietate plenus populum sibi præponebat, dum gladium illum percutientem humiliter contra se vertere conabatur: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, qui vero isti quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.* 2. Reg. 24. quam Dauidis petitionem admiratione dignam censet
2. Reg. c. 24 Theodoretus in glossa, & quidem ita est, cùm contra aliorum mortem in populum pium, erga se acrem offenderet: *Digna sunt admiratione ipsa verba Regis. Ignorans causam, suum peccatum vocauit quod fuerat factum: et vt in suum genus iusta ferretur sententia supplicauit, vtens verbis boni pastoris, imitans filium suum, et dominum, qui animam suam posuit pro ouibus suis.* vndè contigit, vt nec contra se, nec contra populum
Theodoret. diuina vlterius procederēt indignatio. Hinc Ambrosius: *Quàm illud etiā admirabile, quòd Angelo ferienti plebem se obtulit. Hoc facto, statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione existimabatur indignus.* Apologia de Dauid
Ambrosius. cap. 7.

8 Secus

Digitized by Google

8. ſecus ſi fiat, etiam ſi iuſto, ſancto, Deiq; zelo quis moueatur, expers tamen rigoris non erit, qui in proximũ nimis acer exiſtit. Toſtatus quæſt. 17. ſuper 3. Reg. cap. 17. Quæſtionem mouet; Cur Deus, qui panes & carnes coruorum miniſterio Eliæ præbebat, vinum non mitteret? Reſpondetque: *Quia corui ferebant cibos Eliæ, & ipſi poterant portare carnem in roſtris, & tamẽ non poterant portare vaſa vinaria. Si autem eſſent Angeli in ſpecie coruorum, poterant quidem ferre vaſa vinaria, etiam magna, & tamen non expediebat, quod ferrent. Cauſa huius eſt, quia ſi Angeli latèrent in ſpecie coruorum; hoc fieret, vt non putaret Elias ſibi miniſtrari ab Angelis, ſed à coruis, vt non reputaret ſe magnæ dignitatis, ſed ſi portarent illi corui vaſa vinaria in roſtris, vel vnguibus, cognoſceret Elias, quod non erant iſti corui, quia non poterant hoc facere corui, ideo putaret illos eſſe Angelos, & hoc Deus volebat euitare, ideo non debuit portari vinum Eliæ per coruos, vel Angelos, & iſta fuit cauſa potiſſima,* de quo quidquid ſit; nam fortè nil de ſe maius ſenſiſſet Elias, ſi Angelos ſibi miniſtrantes agnouiſſet, cùm nec aliqui noui teſtamenti virtute præditi per ſimilia Angelorum miniſteria ſuperbierint, immò humilius per hoc de ſe ſenſerint: Verùm me magis vexat, quòd ille, qui populo ex Aegypto fugienti aquã ex petra ſcatere fecit, nedùm idem pro Elia operari renuit, verum torrentem etiam ex quo propheta ſitim extinguere conſueuerat, exiccauit: *Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens.* 3. Reg. 17. Nunquid ſiti eum interficere volebat? Abſit; cur ergo potum ei omninò negabat? An quia, qui nimio exæſtuans zelo ſiti alios affligebat, ſiti & ipſe angi debebat, vt zelum pietate temperare addiſceret? Ita Chryſoſtomus ſerm. in Eliã tom. 1. *Prophetam vna cum populo punit, vt dum etiam ipſe ſupplicio comprehenditur, aliquid miſericordiæ in relaxãdo ſententiæ ſuæ iuramento addiſcat.* Diſce qui legis accingere gladio tuo ſuper femur tuum: quid ſuper femur dico; ſuper caput tuum, & ſuper barbam tuam gladium acutum pilos radentem duc; hiſque peractis ſtatera ponderis pilos affectionum, culparumq; tuarum prius, quàm aliorum, pondera: & proprius non te fallat amor, ſed pro certo habeas, quòd eadem omninò menſura, qua proximo metiris, remetietur tibi.

Toſtatus.

3. Reg. 6, 17.

Chryſoſt.

Nimius zelus quamuis iuſtus, à Deo tamen probari non ſolet.

Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus: quia non dum venerat hora eius. Ioan. 7.

§. IV.

Horam expectat, qui tempus condidit, non quòd tempori ſubiaceat, ſed quia ordine delectatur.

1 NAnzianzenus ille, qui tàm ingenio, quàm eloquentia ſuis coæuis excelluit orat. 9. de Deo ſic fatur: *Non eſt diſſentionis, & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis.* Et quidem ſatis iuſtè tali vocabulo illum appellat: nàm ipſum ſcholaſtici acutè ſpectantes, ordinem mirum in actibus intellectus, & volũtatis ipſius aſſignãt. Scotus præſertim in præfatis actibus in eodem æternitatis inſtanti ſimul exiſtentibus dupliçẽ naturæ ordinem; alterum primarium reſpectu obiecti ſimpliciter primi, primitate omnimodæ perfectionis, & adæquationis in mouendo, & terminando: Alterum ſecundarium comparatione ſecundi obiecti in terminãdo tantum, eſſe conſiderandum exiſtimat, & in vtroque ordine plura docet rationis inſtantia cum fundamento in re ordinatæ conſiderari debere: quę rei tractatio cùm impræſentiarum ſatis incongrua ſit, videndus eſt ipſe in 2. diſt. 1. quæſt. 1. Primum poſtea, ſecũdum, & tertium in diuinis ſuppoſitis; & ſi ad vitandum hæreticorum fallaciam, qui dicta ſerie diuinæ naturæ diuiſionem inferre, perſonarum æqualitatem tollere, & æternitatem negare

Greg. Nanz.

Digitized by Google

ſtudent, minimè admittendum eſſe cenſuit Iſidorus lib. 2. epiſt. 129. de Trinitate verbis illis: *Nec prius, nec poſt; nec primum, & ſecundum, & tertium admittit.* Scholaſticorum tamèn loquendi modus, qui docet vt Pater prima dicatur perſona, Filius ſecunda, quia eſt à prima, & Spiritus ſanctus tertia, cùm ſit à prima & ſecunda, quid aliud oſtèdit, niſi ordinem mirum originis? Et denique vt ſcholis ſcholaſtica linquam. Patrem prius origine lapidem intelligere, quàm filium, cùm Pater intelligat à ſe, Filius non à ſe, quoniam hoc habet à Patre; & Spiritus ſanctus poſterius origine vtroque, cùm hoc habeat ab vtroque, ordinem oſtendit mirabilem. Ad extra poſtea, quo ordine creaturas condiderit, docet Ariſtoteles, qui ens omne ad decem illa capita Subſtantiam ſcilicet, Quantitatè, Qualitatem, Relationem, & ſimilia reuocandum exiſtimat, nec confuſim, ſed diſtinctiſſimè coordinat omnia: nèc mirum, nàm vt benè cecinit Anonymus, ordine ſeruatur orbis. Vnde ipſe:

Ordine ſeruato mundus ſeruatur, at illo
Neglecto peſſum totus & orbis abit.
Machina perpetuò cæleſtis ab ordine pendet.

Et Boetius Metro 6. lib. 1.

Sic quod præcipiti via
Certum deſerit ordinem.
Lætos non habet exitus.

Vnde Xenophon. cap. 14. lib. 7. *Nihil eſt autem, mea vxor, in rebus humanis, vel vtilius, vel pulchrius ordine.* Quem ordinem vt in præſenti ſeruaret Saluator, mortis præfinitum tempus horam ſuam vocat, quia vt Theophylactus ait, ordinatim curſum ſuum cõplere diſponebat: *Quod autem*, ait mox dictus Theophylactus, *non dùm venerit hora eius, dixit, non quòd temporibus eſſet obnoxius, ſed quòd omnia tempore opportuno, & hora conuenienti faceret. Quandò enim tempeſtiuum exiſtimauit, quod pateretur, tunc & crucifixoribus ſe permiſit. Omnia.n. temporibus opportunis, & accommodis facit, & moderatur; ſicut & legem dari conueniebat tempore congruo, ita ſimiliter & prophetas, & Euangeliũ: Vnde nomen horæ oſtendit euidentem prudentiam, & ſapiẽtiam Saluatoris.* Hactenus ipſe, tu autem ſequentia nè graueris percurrere.

2 Si Geneſis primordia ſpectes, non vno, ſed ſex diebus mundialem hanc machinam fuiſſe conditam reperies, dicente Moyſe ibid. cap. 2. *Compleuitq; Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat*, qui dies ſiue fuerint naturales, & materiales, qui per ſpatium, & durationem vnius primi mobilis fierent, vt communior tenet opinio, ſiue diuerſæ fuerint Angelorum cognitiones, vt non impoſſibile fuiſſe aſtruit Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 11. cap. 6. quidquid de hoc ſit: te in ſtuporem adducere debet; quòd Dei potẽtia, ſummaq; illius ſapientia non omnia ſimul, ſed ſucceſſiuè producere voluerit? an inops erat Creatoris manus, quòd paulatim producere cogebatur? Abſit huiuſmodi fateri ſtultitiam! Cur igitur nõ vnum, ſed plures dies in rerum creatione aſſumpſit? Difficultati occurrit Chryſoſtomus homil. 3. in cap. Gen. 1. ſuper verba illa: *Factum eſt veſperè, & mane dies vnus*: vbi dicit, non ob omnipotentiæ defectum (quùm producta ſimul cum producibilibus, ſi actu producerẽtur, nedũ nõ eius exhaurirent potẽtiã, verũ nec ei cõparari valerent, cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio) ſed propterea id factum fuiſſe, vt Deum ordinis non confuſè, ſed ordinatè cuncta produxiſſe, pateret: *Finem diei* (ait ipſe,) *et finem noctis vnum ſignanter nominauit, vt ordinem aliquem, & conſequentiam ſtatueret viſibilium; nullaq; fieret confuſio.* En quomodò non ex defectu omnipotentiæ, ſed ex amore ordinis ſucceſſiuè, non ſimul: non vno, ſed pluribus diebus mundialis hæc machina eſt producta. Quod ſueta eloquentia fuſius confirmauit Nanziãzenus orat. 26. dùm ait: *Ordine omnia concinnata et diſtincta ſunt, et quidem concinnatore Verbo; non quòd, vt vna res, ita omnes ſimul produci non poſſent (nàm qui ea, quæ non erant, in ortum produxit, produciſq; formam et ſpeciem dedit, idem profectò nequaquam infirmitate prohibebatur, quominus omnia in lucem ederet, et exornaret) verùm ob hanc cauſam alia prius,*

Iſidorus.

Primum, ſecundum, & tertium in diuinis quonam pacto admittendũ?

Anonym.

Ordine ſeruatur orbis.

Boetius.

Xenophon.

Ipſo pulchrius nihil.

Theophyl.

Creationis dies an naturales?

Chryſoſt.

Confuſio ſit per Deo inuiſa.

Greg. Nanz.

Mundus cur non vno, ſed diebus pluribus conditus?

Digitized by Google

num, aliud ſecundum, et tertium numeratur, ac ſi deinceps, vt ſimul cum rebus creatis ordo ſtatim ingrediatur. Sic ipſe, qui ſtatim in ordinis laudem ſubdit: *Ordo caleſtia, & terreſtria continet. Ordo in ijs, quæ ratione, & animo intelliguntur, locum habet: Ordo in ijs, quæ ſenſibus percipiuntur: Ordo in Angelis: Ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & ſplendore.* Et concludit: *Quid autem ſingula commemorare attinet? Ordo omnium rerum pater, & præſidium eſt.*

Ordinis laudes,

3 Dictis nequaquàm officit, infernum abſq; ordine fuiſſe creatum iuxtà illud Iob 10. *Vbi nullus ordo,* ex quo non omnia ordinata, & diſtincta, vt aiebat Nāziāzenus, producta videntur; nā in dānatorū potius apprehēſione quàm in re, præfata erit confuſio. Vndè Gloſſa ſuper citatū Iobi locū: *Vbi nullus ordo, &c. Non q Deus non ordinet tormenta ſecundum merita ſingulorum, quia & ſi vna ſit gehenna, non tamē omnes vno modo ſentient eam, ſicut nec modo homines calorem Solis: Sed in mente damnatorum per præmiſſam vmbram excitatis magna erit confuſio, quæ intus eos cruciet, ſicut flamma foris.* Manet itaq; ordine miro cuncta fuiſſe creata.

Iob 6. 10.

Gloſ.

In inferno ordo, an confuſio,

4 Nobilem ſemper exiſtimaui quæſtionem illam; Cur Deus Abelis admiſſo ſacrificio, illud Caini reſpuerit: *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Gen. 4. ſi iure geniturę ſacerdos erat Cain, & primus offerēs, cur oblationem illius acceptā voluit habere, iſtius autem nequaquam? Cuius difficultatis rationem Paulum reddidiſſe me non latet, cùm ait: *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo.* ad Hebr. 11. Verùm hæc Pauli ſolutio maiorem ſanè difficultatem mihi ingereret, quid per iſtam plurimam hoſtiā intelligere voluerit Paulus, niſi Gloſſa Interlinialis, quam ſequuntur Vgo Card. Carthuſianus, multiq; alij vice plurimæ diceret; *Acceptabiliorem, ideſt maioris pretij.* itaque Abelis hoſtiam plurimam dicendo, idem erat, ac prætioſiorem appellare: & quia ſatis prętioſius diuinis oculis apparebat ſacrificium in fide conditoris, & redemptoris oblatū ſicuti fuit illud Abelis, qui propterea de gregibus obtulit, quia cùm nō tātùm Deo, vt Creatori; ſed etiam vt futuro redemptori ſe deuinctum exiſtimaret; grandi, viuaque fide pro agno illo, qui in cruce erat immolandus, agnum obtulit: quàm illud Caini in fide tantùm Creatoris exhibitū; ideo Abelis ſacrificium hoſtia plurima, hoc eſt, acceptabilior, & prętioſior vocatur. De qua re videndus eſt Salmeron. At hæc Apoſtoli ratio quamuis ſit optima, ad rem tamèn noſtram ſi aliam plus facientem optares: cur ſcilicet Abelis ſacrificium prætioſius illo Caini diuinis oculis apparuerit, illum pſalmi locum tuam in mentem redigerem, *Qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* 49. & omiſſa Incogniti expoſitione (qui propterea teſtamentum ſuper ſacrificia ordinari exiſtimat, quia Euchariſtiæ ſacramētum, teſtamentum à Domino vocatum, ſuper omnia ſacrificia extollendum eſt, cuius verba ſunt: *Hic ergo per teſtamētum in ſingulari; accipe ſacrificium vnicū Euchariſtiæ noui teſtamenti: de quo dixit Chriſtus. (Hic calix noui teſtamenti. Illud ſacrificium ordinauerunt Sancti patres tā antiqui, quàm noui teſtamenti: quia ipſum extulerūt ſuper omnia ſacrificia.)* Philippi de Greue cancellarij Pariſienſis opinionem admitto, aſſerentis: ordinare teſtamentum ſuper ſacrificia, nil aliud eſſe, niſi plus Deo ordinem placere, quàm ſacrificia: *Sancti, & ſpirituales viri* (ait ipſe) *dicuntur ordinare teſtamentum, iam dictum ſuper ſacrificia; quia prædictam ordinationem obſeruare, plus placet Deo omni ſacrificio.* ſer. 102. qua admiſſa ſentētia, audi ſi libet, cur Abelis non Caini ſacrificium hoſtia plurima, hoc eſt, prætioſior dicatur: quia Cain ordinem, quem Abel in offerendo ſeruauit, nequaquàm ipſe ſeruare voluit, dùm non cor ſuum antè munera obtulit, ſicuti Abel, cuius prius perſonam, quàm ſacrificia Deū acceptaſſe ſcriptura declarat verbis illis: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius;* ſed omnium ſceleſtorum ſceleſtiſſimus anteà fructus, quàm cor; immò nuſquam cor, niſi fictè Deo dicauit: non ergo mirum ſi Abelis non ſua plurima dicitur hoſtia:

Genes. c. 4.

Hebr. c. 11.

Verba illa, *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* ad Hebræos c. 11. quomodo intelligenda?

Pſal. 49.

Abelis oblatio cur Deo exactior, quā Caini?

Incognitus.

Euchariſtiæ Sacramentū ſuper omnia ſacrificia extollendum.

Philipp. de Greue.

Digitized by Google

stia: quia plus Deo ordo, quàm oblatio placuit. Apprimè Rupertus: *Nō rectè vterq; diuisit, nàm ille, Cain scilicet; cùm Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena: huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe inquit fili cor tuum: at ille vt iam dictum est, cor sum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit. Porrò Abel primo cor suum, deindè rem suam offerendo, plurimam (vt iam dictum est) hostiam per fidem obtulit, quàm Cain.* lib. 4. in Genes. cap. 2. Liquet itaq; cur Abelis, non Caini sacrificium Deo gratum fuerit, quia ille in sacrificando ordinatè processit, non iste: & cùm super sacrificia Deo placeat ordo, meritò hostia plurima, hoc est, prætiosior illa Abelis, dùm post cor, vt fas erat, Deo dicata censetur.

Rupertus.

Sua non se Deo dicare, vanum.

5 Ille qui Israeliticum populum duriſſimam Aegyptiorū seruitutem fugientem in deserto cœlesti pauerat cibo; illorum soboli, alio tamen in deserto, idipsum præstare non est dedignatus; tunc videlicet, cùm post spirituales doctrinæ epulas, turbas famescentes videns, corporali refecit cibo, dicente Ioanne cap. 6. *Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.* Verùm quod in hac re prætereūdum minimè existimo, est, non anteà Saluatorem largitatis sinum aperuisse, quā discipulis, vt turbas ordinatè accumbere facerent, præcepisse, nàm vbi Ioannes Saluatorem apostolis dixisse refert: *Facite homines discumbere*, ibidem: Marcus dicit: *Præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœnum.* cap. 6. quod ob aliud factum minimè puto, nisi quia plus ordine delectabatur Saluator, quàm cibo famescentes turbæ. Titelmannus super citatum Ioannis locum: *Ad miraculum se Dominus accingens, ait discipulis: Curate vt in certos ordines digesti, atq; compositi homines isti discumbant: & ego illis cibū apponi curabo.* Quod fortè idē sonat, ac: fas non est quòd ipsi soli manducent, iunctim epulemur omnes; ipsi cibo à me apposito, ego ordine in ipsis viso reficiamur.

Ioan. c. 6.

Ibid.

Marc. c. 6.

Titelmann.

6 Sententiarum pelagus insurgit super verba illa Ioan. 13. *Venit ergo ad Simonem Petrum*, à quo. s. pedum lotio inceperit? Augustinus tract. 56. in Ioa. asserit, à Petro ablutionis initium esse cœptum, illumq; antè omnes lotum fuisse: *Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit, sed quòd ab illo cœperit; quando ergo pedes discipulorum lauare cœpit, uenit ad eum, à quo cœpit, id est ad Petrum.* Quam sententiam sequitur Beda tom. 7. homil. 40. Bernardus serm. 2. de Cœna Domini, Cyrillus, Incognitus, Brugensis, Glossa Interlin. Lyranus, Gorranus, Carthusianus, alijq; non pauci. Origenes postea tom. 32. in Petro ablutionem desijsse asserit, idq; ea ratione suadet, quia semper medici periculosiori morbo laborantibus inuigilant quàm alijs, qui in minori versantur discrimine, sic Christus ab illis qui magis lotione indigebant, incipere debebat. Verba autem eius ex S. Thomæ catena assumpta, sunt hæc: *Sicut medicus plurium ægrotorum intentus curæ: ab his qui magis indigent propriam curam incipit, sic & Christus, qui fœdos abluit pedes discipulorum, exordiatur ab his, qui magis erant fœdi, & sic vltimò venit ad Petrum, quasi minus alijs indigentem lotura pedum; vnde dicitur, Venit ergo, &c.* media inter hos via incedendo Chrysostomus homil. 69. nec Petrum primò, nec vltimò, sed post Iudam, qui solita impudentia ante omnes pedes lauandos obtulit, lotum fuisse existimat. Sic ipse loc. cit. *Arbitror ante omnes proditoris pedes lauasse, inde venisse ad Petrum, à qua, & cæteri admoniti sunt, quid esset faciendum. Quod enim alium quempiam antè lauerit, constat cùm dicit: Venit ad Petrum. Id enim verbum, Capit, alium antè lauasse significat: quod & si Petrus primus erat, credibile tamen est, proditorem impudenter antè Apostolorum principem discubuisse.* Quam opinionem sequitur Theophylactus, mordicusq; defendit Toletus annot. 11. Secùs autem Ioannes Ferus, qui primæ inhærendo sententiæ, (quæ mihi etiam inter cæteras magis arridet) Petrum propterea antè omnes lotum affirmat, nè ordo inuerteretur, eū omniū esset primus. Audi ipsum:

Augustin.

Origenes.

In lotione à Ioanne c. 13. descripta à quo ablutionis fit cœptū initium, plurimorum asseruntur sententiæ.

Chrysost.

Sunt

Ioan. Ferus. *Sunt qui putant Christum à Iuda incepisse, & sic accendendo, tandem & vltimo perueniſſe ad Petrum: Hoc tamen alij reprobãt, hac ratione permoti, quòd & ſi Iudas inuerecũda fronte hoc Chriſti miniſterium ſuſtinuiſſet, alij tamẽ diſcipuli non tacuiſſent. Veriſimilius igitur eſt, quòd à Petro inceperit, qui prior inter Apoſtolos erat: non vocatione (nàm Andreas antè ipſum ſecutus eſt Chriſtum) ſed electione in Apoſtolatum. Illic.n. Petrus primo loco ponitur.* Liquet planè quomodo humilitatis magiſter licet tunc maximè exemplo ſuo humilitatem doceret; tamen vt ſe ordinis Deum oſtenderet, ordinem nequaquam peruertere voluit.

Nunquam Chriſtus ordinem inuertere voluit.

7 Et vt breuitatis cauſa plura coagmentem: nonnè virtutes in ordine collocauit? Immò charitatem ipſã virtutũ reginã nõne ordinatam in nobis videre exoptat, dicente ſponſa: *Ordinauit in me charitatem*: cant. cap. 2. Quod conſiderans Gerſonius tom. 3. ſuper cant. 6. hunc dicit in modum: *Concluſa ſunt tandem omnia in ordine, ſeù coordinatione charitatis, quoniam prius dictum erat: ordinauit in me charitatem. Conſiſtit autem ordo amoris ad Deum, ad ſe, & ad proximum, de quo nihil dico, niſi quòd generalis iſta poteſt regula dari, quòd nihil abſq; ordine pulchrũ eſt, nihil placens, nihil ſtabile.* Hæc ipſe, quibus ſatis apertè docet, nec charitatem ipſam abſq; ordine Deo pulchrã apparere. Militantem Eccleſiam nonnè adeo ordinatè diſpoſuit, vt propterea caſtrorum aciei ipſam comparare conſueuerit, iuxtà illud cant. 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Ita Rupertus de Trinit. & operibus eius cap. 3. lib. 1. in Numer. *Ergo non ſolum dicta ratione, ſed & hac præeunte auctoritate, prædictum ordinem caſtrorum in figura diſpoſitum fuiſſe credamus ſanctæ Eccleſiæ. Quid .n. pulchrius, quid rationabilius ſecundum viuificantem ſpiritum tali caſtrorum ordine?* Hactenus Rupertus. Verùm ſi huius ordinatæ aciei principes, & Tyrones, Anteſignanos, & Dupliciarios, Duces, & Milites agnoſcere cupis, orationem 26. Nanzianzeni percurre, ibiq; ipſum diſertè nimis dicentem reperies: *Ordo in Eccleſijs quoq; conſtituit, vt alij oues ſint, alij paſtores, alij præſint, alij ſubſint, ac pareant; alius velut caput ſit, alius pedes: alius manus, alius oculi: alius aliud quodã corporis membrum ad totius Eccleſiæ cõcinnitatem, & vtilitatem vel inferius, vel præſtantius.* Et infra: *Propterea quoſdam quidem, vt inquit Apoſtolus, poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio paſtores & doctores. Hunc ordinem reuereamur, ò fratres, hunc tueamur.* Ipſam tandem Eccleſiam triumphantem numquid ordinis expertem conſtructam exiſtimabis? Nequaquam ſanè. Audi Carthuſianum ſuper verba illa Iſaiæ 54. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos*, dicentem: *Porrò ſi iſta de Eccleſia triumphante exponantur, per lapides iſtos intelligendi ſunt Beati in diſtinctis manſionibus, diuerſiſq; gradibus gloriæ conſtituti, qui in conſtructione ſuperna Ieruſalem ordinatiſſimè, ſecũdum exigentiam meritorum ſuorum ſternuntur.* Sic ipſe art. 82. Quibus omnibus vltra virtutum ordinem militantem ſimul cum triumphante Eccleſia ordine miro compactam fuiſſe declaratur.

Cant. c. 2.

Gerſonius.

Omnia in ordine ſunt concluſa.

Cant c. 6.

Rupertus.

Eccleſia militans ordinatè conſtituta.

Greg. Nanz.

Iſai. c. 54.

Carthuſian.

Triumphãs ordine miro compacta.

8 Nunc me omnis linquit dubitandi occaſio, cur vt ordo ſeruaretur, tàm ſedulò ſemper ſancti viri inuigilauerint: quia quàm ordine Deus ordinis delectaretur, agnoſcebant. Magnus ille Ioſeph, qui Beniamin ſupra cæteros fratres amore maximo proſequebatur, in accubitu, non in primo, ſed in vltimo loco eum ſedere fecit: *Sederunt coràm eo, primogenitus iuxtà primogenita ſua, & minimus iuxtà ætatem ſuam.* Gen. 43. Si ſupra cæteros illum amabat, cur antè cæteros ipſum ſedere non fecit? Si in ferculorum diſtributione illum omnibus præpoſuit, dicente ſcriptura: *Mirabantur nimis, ſumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* ibid. cur in ſedendo illum omnibus poſthabuit? Difficultatem ſoluit Toſtatus dicẽdo; quòd non ex dilectionis defectu, ſed ex ordinis amore Beniamin ſummè dilectum in infimo loco accumbere fecit; nam niſi ordinem Deo iucundiſſimum inuertere timuiſſet, ſecùs procul dubio effeciſſet: *In hoc videtur quòd Ioſeph ſeruauit ordinem primogenituræ, vt aliqualiter magis dederit Ruben, quàm*

Geneſ. c. 43.

Ibid.

Toſtatus.

Digitized by Google

Seduli ordinis obseruatores sancti, & quare?

quàm alijs, præterquam Beniamin, quem licet in ordine sedendi non præposuit, vt rectum ordinem teneret, tamen in cibo ceteris præposuit, itaut quinque partibus excederet.

9 Nec strictim prætereunda est Theophylacti subtilitas, quòd nempè, rogatus à quibusdam gentilibus Philippus, vt eos ad magistrum duceret, id nequaquam ex se efficere voluit, sed Andrea de hoc commonefacto, petentium vota Saluatori vterq; retulit: *Erant autem quidam Gentiles, ex his, qui ascenderant vt adorarẽt in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galileæ, & rogabant eũ, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu.* Ioan. 12. non quia ianitoribus, & cubicularijs, vt terreni principes, vtebatur Saluator, sed vt vocationis ordinem seruaret, hac vsus fuit vrbanitate Philippus. Theophylactus: *Vide modestiã, & bonum ordinem Andreæ; dicit namq; ei, qui antè se erat, & ille non arrogat sibi sugestionem, non.n. in auctoritate erat, sed simul accipit & Philippum, & ista fidenter Domino referunt. Tantus ordo, amorque mutuus erat inter eos.* Habes itaq; ordinem, vt Deo carum, non vulgari prætio semper apud sãctos fuisse.

Ioan. 6. 12.

Theophyl.

Non vulgari prætio apud Apostolos ordo fuit

10 Cęterùm si quàm Deo carus sit ordo videre velimus, quàm ei sit inuisa confusio videamus, nàm si vera est Aristotelis sententia, quòd oppositorum eadem est disciplina, ex confusionis odio, ordinis amor mensurari poterit: quàm autem ei sit infensa cõfusio, claret ex verbis illis: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Ioan. 2. quæ indignationis quodammodò verba fuisse opinatur Diuus Maximus homil. 1. de Epiphan. *Hæc verba indignãtis quis dubitet?* Causam postea talis indignationis assignat ipsemet Christus dicendo: *Non dum venit hora mea*, non quòd temporum necessitati temporis opifex subiaceret, sed quia vt ait Chrysostomus homil. 21. omnia simul operari, inordinata quædam (quæ sibi admodum infensa est) fuisset confusio. Audi ipsũ: *Ostendit per hæc omnia debito tempore, non simul operari: quoniam inordinata quædam confusio fuisset, nisi opportunè omnia transegisset, simulq; generationem, resurrectionem, & iudicium miscuisset.* Et post aliqua de eodem ordine subdit: *Nulla igitur Christus subest temporum necessitati, sed ipse temporibus ordinem imposuit, quoniam auctor eorum est.* Et tandèm in Christi persona Virginem alloquente concludit: *Non dùm cognitus sum præsentibus, non dùm sciunt vinũ deesse. Sine, id primum intelligant, satis nõ est quòd sola referas, mater es, & suspiciosum miraculum faceres.* Hæc Chrysostomus; quibus quis stultus non intelliget, Christo admodum carum esse ordinem, dùm ei tàm est inuisa confusio? Meritò igitur dixit Nanziãzenus: *Non est dissentionis, & confusionis Deus; sed pacis, & ordinis.*

Ioan. 2. 4.

D. Maxim.

Chrysost.

Nil vt confusio Deo inuisum.

Nanzianz.

Digitized by Google

FERIA QVARTA
DOMINICÆ QVARTÆ

Præteriens Iesus vidit hominem cęcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cęcus nasceretur? Respondit Iesus: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo, &c. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. Ioan. 9.

§. I.

Nulla testatio, operum testimonio par.

EXordiantur præsens argumẽtum, quòd nil vt opera, operantis virtutem testatur, duæ difficultates, quarum prima: Cur Christus, qui iteratis precibus, multisq; clamoribus Bartimæi cęci vix tandem acquieuit, videndique ei facultatem concessit, vndè Gorranus super illud: *At ille magis clamabat.* Marc. 10. *Notatur fidei constantia in hoc cæco, quòd comminantibus licet turbis, à fidei tamen suæ confessione non cessauit.* huic postea Cælidonio à natiuitate cęco nulla prorsus præcedente supplicatione visum tàm libenter largitur? *Hæc cùm dixisset, expuit in terrã, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Ioan. 9. Altera autem difficultas haùd minor est; cur non solo imperio, vt multis alijs sanitatem fuerat largitus, huic visum donauit, sed manus in hoc opere adhibendas existimauit? Si ipse Verbum erat in principio apud Deum, per quod omnia facta sunt, cur non verbo cæcum illuminat? Si ipse Verbũ est illud, quod propterea Pater, vt regius testatur Vates, in mundum misit, vt medici fungeretur officio: *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Psal. 106. cur nunc vt aliàs verbo non sanat, quòd coagulato luto non tàm instar medici, quàm figuli oculos fingit potius, quã linit? Vtriq; difficultati Chrysostomum occurrisse reperio, nàm hom. 55. in Ioann. primæ respondit dicendo: Propterea secus à primo cæco absq; vlla petitione Cęlidonio lumen dedisse, quia doctrinam operibus confirmare intendebat: videbat n. vt capite immediatè antecedẽti scribit Ioan. inimicos nedùm verbis suis fidem præstare renuisse; verùm etiam lapidibus ipsum multa de se, & de Patre docentem obruere voluisse; vt igitur malignantium obstrueret ora, relictis verbis, miraculis manus imposuit: *Propterea hoc in loco,* ait præfatus Chrysostomus, *cùm sermonum ipsius altitudinem non acciperent, sed Dæmonium habere dicerent, & interficere conarentur, egressus è templo cęcum sanauit, vt suam confirmaret doctrinam.* Sic ipse pro primæ difficultatis solutione. Prò secundæ verò eandem affert rationem, nempè, quia si se oculorum, immò tòtius hominis plasmatorem dixisset, non facilè fidem præstassent, vt igitur Creator crederetur, operibus id suadere voluit, nõ verbis: *Si n. dixisset ego ex terra formaui hominem, arduum visum esset auditoribus, re autem ostensum tàm negari non poterat.* Chrysostomus loc. cit. Quod etiam annotauit Ambrosius super illud Lucæ 22. *Et cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum,* vbi sic dicit: *Iubere potuit, sed operari maluit, vt cognosceremus ipsũ esse,*

Marc. c. 10.

Gorranus.

Ioan. c. 9.

Cur Christus citius Cęlidonio, quàm Bartimæo vidẽdi facultatem largitur.

Psal. 106.

Cur cęco nemẽ datus non imperio virtur, sed manus lutũ coagulando adhibet.

Chrysost.

Idem.

Propterea in cęci illuminatione iubere potẽs Christus operari maluit, quia se humani corporis plasmatorem ostendere voluit.

Luc. c. 22.

Ambrosius

esse, qui de limo terræ corporis nostri mẽbra uarijs apta formauit officijs. itaque cùm penè in idem vtriusq; difficultatis solutiones coincidant, satis patet operum testimonio nullũ aliud posse cõparari. Quod nec Socratem latuit, qui vt ait Ioannes Sarisberiensis lib.5. policratici cap.6. quærenti quomodò quis famam optimam sibi posset cõparare, respondit: *Si gesserit optima, & locutus fuerit pauca.* Optima planè sẽtentia, qua satis apertè testationem nullam operum testimonio posse cõparari, docetur.

Io. Sarisb.

Verborũ testatio, operũ testimonio comparari nequit.

2 Hostium testimonium clarissimam esse veritatis demonstrationem, inter alios docet Vgo Cardinalis super verba illa Saluatoris: *Interroga eos, qui me audierunt,* cùm dicit: *Non credas mihi, sed interroga inimicos meos qui insidiantur mihi, vos, qui me ligauerunt, hi dicant. Hæc enim est ueritatis inalterabilis demõstratio, cum hostes, quis uocat in testes.* Ioann.18. Quo posito, quid dęmonijs Christi virtute pulsis, eiusq; diuinitatem prædicantibus idẽ Saluator (vt Lucas cap.4. ait) præceperit, audias obsecro: *Exibant autem dęmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei; & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Non parum laborat Toletus annot.74. in ostendendo; Cur Christus hanc dęmonum confessionem respuerit: & inter alia, ter dęmones Saluatorem Dei filium prædicasse asserit, primò paulo superius quandò Deum illum dixit: *Scio te quia sis sanctus Dei.* Secundò hic, & Marci primò quãdò plures dęmones confitebantur: *Tu es filius Dei.* Tertiò Matt.8. Marc.5. & Lucæ 8. quandò illum deprecabantur, vt mitteret eos in porcos: *Iesu fili Dei altissimi, &c.* Messiam autẽ, vel Christũ nunquam eos illum appellasse dicit: quod nè hoc tacerent (cum coniecturali notitia ipsũ agnoscerent) ipsúmet vetuisse opinatur: quod particulã illã, Quia, indicare existimat, *Quia sciebãt,* dũ ipsã nõ tàm declarationem, quàm causam indicare asserit. Cur postea plus Christi nomen ab eis prædicari vetuerit, quàm filij Dei, cùm vnus omninò & idem esset, qui diuersis rationibus, diuersis nomĩbus nuncupabatur; duas ipse adducit rationes; vna est, quia notus apud Iudæos erat Christum ad eorum redemptionem esse venturum, quàm filium Dei, cùm non apud omnes an Messias in scripturis promissus filius Dei futurus esset, innotuisset: & altera, quia Christi nomen magis quàm filij Dei Iudæos irritabat; cùm à Christo, nempè, ab vncto temporaliter regnaturo esse liberandos existimarent: his igitur de causis dęmonũ ora obstruxisse Christum fatetur Toletus. Alij postea propterea hanc prædicationem vetitam existimant, nè falsis dogmatibus homines decíperentur; nam facile veris falsa mendacij pater miscere potuisset. Vndè Glossa: *Ideo prohibet eos loqui, nè dùm aliquis audis vera prædicantem, sequatur postea errantem, ideſt errores docentem.* Alij, quia ex seruili timore eorum confessio erat extorta. Alij, quia non erat speciosa laus in ore peccatoris. Alij denique, nè magis Iudęorum accenderetur inuidia, talem prædicationem vetitam asserunt. Optimè sanè omnes; verùm mihi plusquàm excogitari potest Brugensis arridet opinio, qui ob id maximè dęmonum ora obstructa fuisse asserit, quia dęmonum laude non indigebat ille, qui miraculis multis tũc maximè propria virtute patratis clarebat: *Nolebat ueritatis suæ testimonium, dęmonum uoce reddi, sed uirtute potius sua, & rebus quæ à se gerebantur.* Citatus Brugensis. Et si lucis ad tenebras, ac Christi ad Belial nulla sit conuentio: dum tamen virtutum existente attestatione, dęmonis illa reprobatur; liquidò patet hostium approbationem, operum testimonio comparari non posse.

Ioan. c.18.

Vgo Card.

Infallibilis veritatis demonstratio hostium testimonium.

Luc. c.4.

Marc.c.1.

Matt. c.8. Marc.c.5. & Luc.c.8.

Christus pluries filius Dei à dęmonibus vocatus, Messias autem nunquam.

Glossa.

Dęmones cùr nũquam audiendi.

Brugens.

Nec hostium attestatio operum testimonio comparari valet.

3 At quid fusius quàm par est in hac dęmonum confessione immorer? Nobiliorem aggredior testem, illum dico Ioannem, qui ab alio Ioanne homo à Deo in testimonium missus vocatur, vt testimonium perhiberet de lumine, hoc est de Christo: verùm quid Christus de hoc teste sentiat, ipsummet percontemur: *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.* Ioann.5. vbi Vgo Card. *Maius Ioanne, ideſt, quod efficacius vos cogit credere me esse verum filium Dei.* & quod hoc est Domine, si

Ioan.c.5.

Vgo Card.

inter

inter natos mulierum Ioanne maior nullus ſurrexit; ergo eius teſtimonio nullum erit maius? An fortè creaturas tranſcendendo, Patrem, hic, teſtem Ioanne maiorem appellat? Ita ſentit Lyranus, dùm dicit: *Ego autem habeo, ſcilicet teſtimonium Dei Patris, quod eſt maius teſtimonio Ioannis, propter maiorẽ cognitionis certitudinem, & propter eius incommutabilitatem.* Fac ita eſſe cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio: ſed quænam eſt hæc Patris atteſtatio? Nùm illa in baptiſmate, & in transfiguratione facta, quandò coæternus, coæqualis, cõſubſtantialiſq; filius fuiſti vocatus, & cæleſtis magiſter neceſſario audiendus nuncupatus? Et quidèm Patris hoc fuit teſtimonium; ſed ſi de hoc non loqueris, dicito quæſo, quodnã illud erit aliud teſtimonium, quod Ioanne maius eſſe iudicas? Non aliud equidem, quàm illud, quod immediatè ipſemet ſubdit Saluator, dùm dicit: *Opera .n. quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Ergo non patris proclamationes, ſed patris opera ſibi commiſſa teſtimonium maius Ioanne appellat? Ità prorſus: Cur autem hoc, niſi quia teſtimonium Ioannis (vt ità dicam) teſtimonium vocis erat, cùm & ipſe vox eſſet: Teſtimonium autem operum; facti, atq; virtutis teſtimonium erat, non vocis? Propterea hoc illo maius vocatur. Meum non eſt hoc, ſed D. Bonauenturæ, qui quæſtioni à ſe motæ: *Quarè ait teſtimonium operum eſſe maius teſtimonio Ioannis, cùm in ipſo Spiritus ſanctus perhiberet teſtimonium?* reſpondet, *quia Ioannes, propheta, & Apoſtoli perhibuerunt teſtimonium Chriſto, quia Deus per illos perhibuit teſtimonium: ſed teſtimonium operum Ieſu Chriſti, ideo maius; quia ipſum filiũ indicat Deus in operibus ipſum eſſe filium.* Ecce tibi quid operis teſtatio valeat, dùm ei nec inimicorũ, nec Ioannis comparari poteſt teſtimonium.

Lyranus.

Ioan. ibid.

D. Bonau.

Operum teſtimonium etiam Ioannis teſtimonio maius.

4 Inſcius huius veritatis, quòd teſtimonium maius ſe, eſſent opera Chriſti, non erat Ioannes, quandò morti propinquus duos ex diſcipulis ſuis ad Saluatorem miſit dicendo: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matt. 11. quia per hoc non ſe de Meſſiæ aduentu certum reddere intẽdebat: cùm certiſſimè hoc etiam in matris vtero ſciuiſſet, ſed vt diſcipulis ad illud credendum ſuaderet: videbat enim, quòd & ſi Chriſtum illis pluries prædicaſſet, nunc Dei agnum, nùnc mundi peccata tollentem, nùnc ſe maiorem, nùnc ſe indignum calceamentorum illius tactu appellans; tamẽ adhùc eos hæſitantes cernebat: vt igitur de his omnibus illos omninò certiores redderet, ad ſpectanda ipſius Chriſti opera miſit illos: quã ſui præcurſoris intentionem agnoſcens Saluator, vt ait Lucas cap. 7. multos à lãguoribus, & plagis curauit, & cęcis multis donauit viſum, ac ſi diceret: ſi vt certiores de me reddamini ad me miſſi eſtis: ſi Ioannis teſtimonium vobis nõ ſufficit: ab operum teſtimonio nullatenus diſſentiri poteritis. Lepidè nimis Gloſſa: *Ioannes interficiendus ab Herode interrogat, non quia dubitet, qui alijs dixerat: Ecce agnus Dei. Qui & vocem patris audierat: Hic eſt filius meus dilectus; Sed vt miſſi ſigna videntes, crederent, & dictis eius opera Chriſti fidem facerent, nè alius Chriſtus expectaretur.* Aurea ſanè verba, ſed maximè illa, *Vt miſſi ſigna videntes, crederent, & dictis eius opera Chriſti fidem facerent*, quibus quàm Ioannis teſtationem, operum Chriſti teſtimonium excederet, ſatis claret.

Matt. c. 11.

Gloſſa.

Cur ad Chriſtũ diſcipulos miſit Ioannes?

5 Multum tua te fallit opinio, ſi ſatis me de operum teſtatione dixiſſe exiſtimas; nam vlterius dicam, Chriſtum nẽpè ipſum, qui prima, & ſumma veritas eſt, qui nec falli, nec fallere poterat, vt incredulorum conuinceret intellectus, maledicorumq; obſtrueret ora, operibus potius vſum fuiſſe, quàm verbis: Pro qua re ſatis eſſet ipſiuſmet Saluatoris dictum: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Ioan. 5. vbi Lyranus: *Sicut .n. firmum teſtimonium habetur per demonſtrationem in his, quæ ſubſunt facultati naturali intellectus, ità in his, quæ ſunt ſupra hanc facultatem firmum teſtimonium eſt per opera ſoli Deo poſſibilia, qui non poteſt eſſe teſtis falſitatis: & hoc modo confirmata eſt doctrina Chriſti, non ſolùm ipſo*

Ioann. c. 5.

Lyranus.

Digitized by Google

prædicante, sed & ipsis Apostolis; secundum quòd dicitur Marci vltimo: Illi autẽ profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis: tamen ab eo, quod modo tactæ petitioni, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matt. 11. respondere dignatus est, non discedo: *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulãt, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* ibid. & licet hic respondendi modus pluries me in stuporem adduxerit; Cur .s. apertè non dixit, Ego sum? Si est, & non est, duo sunt contradictoria inter quæ non est dare medium, sicuti Ioannes an Messias esset interrogatus, negatiuè respondit dicẽdo non sum; sic ipse affirmatiuè, sum, respondere debebat; cur autem neutrum apertè dicere voluit? Quamuis (vt dixi) non semel me vexauerit responsio dicta; Chrysostomum tandèm percurrens dubitandi mihi desijt ansa; nam ipse satis affirmatiuum responsum illud existimat, satisq; clarè tũc se Messiã in lege promissũ declarasse asserit, quia iuxtà illud Isaiæ vaticinium: *Deus ipse veniet, et saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* cap. 35. firmius operum testimonio, quàm verborum se Christum, Redẽptorem, Deiq; filiũ probare debebat: *Iesus autem*, ait allatus Chrysostomus, *qui mentem Ioannis non ignorabat, non dicit: Respondete Ioanni, quia ego sum; sed quamuis ad interrogationem consequens erat, tamèn quoniam poterat turbare auditores, vt ab ipsis rebus possent, quod quærebant perdiscere, sedulò facit: Scribitur .n. multos ipse tunc curasse;* Et paucis interiectis: *Cùm nemo ignoret testimonium, quod à rebus trahitur certiùs esse quàm verborum, et absq; vlla suspicione.* Ac si diceret: quia oris attestationẽ facilè calumniabantur dicẽtes: *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.* Ioann. 8. vt titubantes attraheret, vtq; maledicentes confunderet, factis, quibus maledicus nullus contradicere potest, se, Christum, Deiq; filium probat.

Matt. c. 11.

Isai. c. 35.

Chrysost.

Christus ipse nõ verbis, sed testimonio à rebus sumpto suã probat virtutem.

Ioan. c. 8.

6 Irrisit Saluator stultitiam illorum, qui operibus se esse Christum prædicantibus, verborum quærebant testimonium: *Quousq; animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* Ioan. 10. quia stultissimum quidèm est ab illorum testimonio, ad horum testationem confugere; cùm opera multo firmius probent, quàm verba, meritò præfatæ petitioni respondit Saluator: *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* ibid. super quæ verba Carthusianus in Christi persona ad huiusce modi mẽte captos hunc loquitur in modum: *Vos quæritis an sim Christus, quasi parati credere soli verbo quod loquor, sed ego ad opera vos remitto, quæ firmiora sunt verbis. Et quoniam operibus non creditis, patet quòd nec verbis credere etis, sed animo calumniandi interrogatis.* art. 27. In quomodo multo firmius verbis facta probent.

Ioan. c. 10.

Ibid.

Carthusian.

Nec verbis credet, qui factis fidem non præstat.

Matt. c. 27.

Ibidem.

7 Latus mihi modò patet aditus ad difficultatem illam: Cur Christus in multis coram Pilato accusatus taceret: *Cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.* Matt. 27. immò sic profundè sileret, quòd Pilatum ipsum suo silentio in stuporem adduxit: *Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* ibid. Quia verbis, & rationibus difficilè accusantium ora obturare, suamque virtutem defendere posse videbat: nam quos signa, miracula, atq; portenta non vicerant, verba quæ non sic efficaciter probant, quonampactò cõuincere poterant? S. Thomas in catena: *Quia cùm multas haberẽt demonstrationes ex ipsis rebus virtutis, & mansuetudinis eius, & humilitatis; tamen in ipsum indignabantur, & peruerso odio angebantur contra ipsum: propter hoc nihil respondit.* Hæc ipse, quibus satis patet quàm verbis facta præualeant. Quod optimè obseruauit Chrysostomus hom. 60. in Ioannem super verba illa, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite.* cap. 10. cùm ait: *Vide quomodò confirmat, quòd in nullo sit Patre inferior, sed æqualis in omnibus: cùm .n. substãtiam eius*

D. Thomas.

Quę demõstrationes ab operibus desumptæ non conuincunt, verba vincere nequaquã valent.

Ioan. c. 10.

Chrysost.

eius videre non ſit, ab operum æqualitate eandem oſtendit cum Patre poteſtatem. Hæc ipſe, quibus plura addit, ad quæ te remitto. Hoc itidē annotauit Brugenſis ſuper verba illa: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Matt.12. quandò in perſona horum ſigna petētium dicit: *Fac vt è Cælo teſtetur Deus, te tui magiſterij auctorem eſſe, ac miraculo tanquam ſigillo è Cælis adhibito, doctrinam, legationemq; tuam confirmet.* Idipſum obſeruauit Victor Antiochenus in illud Marci 1. *Vide nemini dixeris: ſed vadè, oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis,* dùm ait: *Non indigeo tua prædicatione, ſi n. morbus, quo laboras me non prædicauerit, munditia tua nulla erit.* Nec tandem cęcus hic de quo Euangeliſta in præſenti loquitur, adeò fuit luminis expers, vt hanc non videret veritatem, tunc maximè, quandò Chriſti ſanctitatem non verbis ſuis, ſed factis eius defendendam exiſtimauit, dicens: *Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modo video.* Ioan.9. Vndè Chryſoſtomus hom.57. *Numquid tacuit cæcus? Minimè, et quomodò qui Prophetam aſſeruerat, nunc dicit, ſi peccator eſt, neſcio? Non ita affectus erat, neque id ſibi perſuaſerat, ſed volebat rei ipſius teſtimonio non verbis ſuis eum à crimine liberare, et defenſionē credibilem reddere, quòd beneficij teſtimonium ipſos condemnaret.*

Matt. c.12. Brugenſis. Opera verborū figilla. Marc.c.1. Victt. Antioch. Ioan. c.9. Chryſoſt.

8 Quis modò conſequentiam nō deducet cur Suſanna non minus antè Danielem ſiluerit, quàm corā iniquis iudicibus; quia optimè ſciebat ſupernacaneum eſſe rationes ad ſui defenſionem adducere, quandò virtus, & vita patrocinantur: & quia libidini opicorum ſenum occurriſſe efficaciſſimū ſuæ caſtitatis teſtem exiſtimabat, ideò verbis ſe defendere contemnebat. Sācti Maximi hoc fuit cogitatum, qui hom.1. de accuſato Domino, & iudicato apud Pilatum ſic habet: *Non n. apud Danielem iudicem verborum ſe ratione defendit; ſed in ſancta fœmina tacēte lingua, pro ea caſtitas loquebatur.* Felix mulier, quæ talem pro ſe aſſumpſerat teſtem! pluſquàm beata æquidem fœmina! cui tunc maximè dabatur de fructu manuum ſuarum, & quā laudabant in portis opera eius, dū in vltimo vitæ diſcrimine non eā fucata verba, nec callidæ rationes, ſed operū fructus defendebant: tunc ei dici poterat illud Vgonis Card. *Laudant eam opera ſua, non aliena; opera ſua, non verba; opera ſua, non hominum fauor ſuperuacuus; ſed opera propria, quæ nobiſcum in iudicio quaſi teſtes venient.* Ecce quomodò non verba, ſed opera teſtes ineuitabiles appellantur.

D. Maxim. Cur Suſāna antè Danielem tāceret? Vgo Card.

9 Inter cęteras Epiſcopi conditiones illam putat præ omnibus neceſſariam Paulus, vt ſcilicet bonum habeat teſtimonium; vndè 1. Timoth.3. *Oportet autem illum et teſtimonium habere bonum ab ijs qui foris ſunt.* At à quò talis fieri debet teſtatio, vt bona cenſeatur ò Paule, num à ſe? Nequaquàm ſanè, nam facilè teſtimonio tali dicetur illud Ioann.cap.8. *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Num aliorum? Equidèm, ita exiſtimat Cyprianus lib.1. epiſt.4. *Hoc et ipſum videmus de diuina auctoritate deſcendere, vt ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, vt dignus, atq; idoneus publico iudicio, ac teſtimonio comprobetur.* Sic ipſe in Gloſſa, qui à vero non deuiare videtur, cùm populi vox, Dei vox dici ſoleat: verū cū ēt vulgaris opinio decipiatur multoties, quodnā illud erit teſtimoniū, quod abſolutè bonum dici poſſit? Difficultatem idem eneruat Paulus parū infra poſt caput ſcilicet 5. cùm de viduis verba facit: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens.* Ecce quomodò non verborum, quæ decipere, nec hominum, qui decipi poſſunt teſtimoniū ſimpliciter bonum appellat Paulus; ſed operum: *In operibus bonis teſtimonium habens:* Itaq; cùm Epiſcopum bonum teſtimonium habere debere dicit, bonam famam ex bonis operibus ortam intelligit. Ita ſanè dicit Bernardus ſerm.60. in Cantica ſuper verba illa: *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* cap.2. *Odor bonus, teſtimonium bonum. Hoc de bono opere tanquam de flore odor procedit. Et quoniam tali flore, et tali odore inter primordia naſcentis fidei fideles animæ velut quædam ſpiri-*

1. Timoth. c.3. Ioan. c.8. Cyprianus. 1. Timoth. c.5. Bernardus. Teſtimoniū abſolutè bonū, quodnā illud ſit

tuales

Digitized by Google

tuales vineæ refertæ apparuerunt, habentes testimonium bonum & ab his qui foris erant, non incongruè (vt opinor) de ipsis dictum sentimus, quia vineæ florētes odorem dederunt. Ad quid? Vt eo sanè prouocati etiam necdum credideràt, ex bonis operibus illos considerantes glorificarēt, & ipsi Deum, atq; ita eis odor vitæ ad vitam esse inciperet. Optimus sanè odor, plusquam efficax testatio, quæ tacente lingua operibus profertur.

Dixi vobis, & audistis: Quid iterum vultis audire? nunquid, & vos vultis discipuli eius fieri? Ioann. 9.

§. II.

Nulla calamitas, nullumq; discrimen à libera, audaci, fortiq; veritatis confessione te retrahere debet.

1 SVmmis laudibus sacros, prophanosq; scriptores veritatem extulisse comperio; Illi (cętera vt omittam præconia) Deum ipsum, nunc veritatis cognomine: *Redimisti me Domine Deus veritatis.* psalm. 30. nunc ipso veritatis nomine appellant: *Ego sum via, veritas, & vita* Ioann. 14. Isti, ac si illis posteriores fuissent, quamuis luminis fidei expertes, eorum dictis astipulati fuisse videntur; nam Pythagoras, teste Aeliano lib. 12. de varia historia, duas pulcherrimas res ait esse hominibus diuinitus datas, & illas cū Deorum immortalium operibus meritò comparandas: Veritatem, & beneficentiam. Et Demosthenes, auctore Maximo ser. 8. interrogatus quid Deo simile haberent homines? Respondit: *Benignè facere, & veritatem diligere.* Hinc veteres veritatem, veluti diuinū quid significare volentes, verbaq; ab animo non discrepare debere vt indicarent; pomum persicum cum folio quodam illi adhærescente pingebant, vt per pomum cor, & per folium lingua, quæ cordi semper coniuncta esse debet, intelligeretur: quod si plus quā verum est: Cur bone Deus, adeò diminutæ sunt (vt Dauidis vtar verbis) veritates â filijs hominū, vt Ludouicus XIII. Rex Christianissimus, dùm se in sua aula omnibus rebus abundare gloriaretur, vnam tantummodò rem sibi deesse diceret, & interrogatus de ipsa, veritatem esse respondit? Ast vndè veritatis tam grande deliquium? Num quia vt Franc. Patritius de Hist. Dial. 5. asserit: *Sicut falsitas amorem conciliat; sic Veritas odium parit?* Ita prorsus, nam vt dixit Diopruſæus orat. 2. *Veritas enim amara est, & iniucunda stultis: mendacium autem dulce, & blandum, quemadmodum ijs, quibus dolent oculi, lumen videre molestum est, tenebræ autem absq; tristitia sunt, & amicæ eò quòd uidere non sinant.* At filiorum hominum delirium magnum! qui pro paruo metu, adulationis potius, quàm veridici sibi nomen acquirere non verentur, cùm idem sit, iuxta Aristidis dictum, adulari, ac falsum dicere. Vndè Iulianus Imperator Panegyr. 1. ad Costantinum: *A veritate si quis sponte aberrat, turpissimè adulationis notam effugere non potest.* Hanc notam optimè sanctus ille Saturus domus Henrici Vuandalorum principis procurator effugit, quandò ab Arrianis (quorum heresim pro catholicæ fidei veritate tuenda non semel confutarat) data sibi optione; vellet nè Regis obtemperare iussio, de amplectenda scilicet ipsorum religione, sicq; & opibus ditari multis, & plurimis extolli honoribus; vel illo cōtempto, bonis, mancipijs, vxore, filijs, ac nobilitate omninò nudus existere? Ipse Dei amore feruens, firmusque in suę fidei confessione, persecutiones vt citius euenirent, prouocabat. Tandem aduenienti vxori cum filijs atq; dicenti: Non subiaceant seruili conditioni, quos claros prosapia genuisti: Non turpi coniugio alteri tradar te viuente; optimè nosci Deus te coactè facturum, quod voluntariè effecerunt multi. Cum Iob respondit Saturus: Tanquam vna ex stultis mulieribus locuta es: timerem equidem mulier, si

exce-

Psal. 30.

Ioan. c. 14.

Demosthen.

Veritas & benignitas Deo, quantum fas est, homines assimilant.

Franc. Patrit.

Diopruſæus.

Veritas cur ab aula recessit?

Iulian. Imp.

Quis adulator censendus?

exceptâ huius labilis vitæ amara dulcedine, alia vera non esset, & nunc diabolo suggerente sic loqueris: Si verè sponsum diligeres, minimè similia suggereres. Distrahãt filios, separẽt vxorem, auferant substantiam, & ego securus Domini mei promissiones tenebo: si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, & domos meus non poterit esse discipulus. Deniq; facessent vxore, Saturus præter baptismatis stolam, qua priuari minimè poterat, omnibus spoliatur, & sic mendicus, & absq; è patria discedẽdi facultate fuit dimissus, nihilominùs inconcussus sẽper in veritate catholica perstitit, vt videre est apud Victorem de persecut. Vandal. lib. 1. Nec certè in huiusce veritatis confessione Saturo infirmiorem se ceous iste ostendit, qui pauentibus genitoribus suis, formidantibus cunctis nè ob Christi confessionem, extrà synagogam fierent, ipse tamen omni post habito motu, acerrimè pro veritate certauit: *Dixi vobis quid iterũ vultis audire?* Ioan. 9. seq; tanti magistri discipulum absq; formidine vlla confessus est: *Numquid & nos vultis discipuli eius fieri?* ibid. Ingens fiducia! (clamat Ericius) *libera confessio! principes fauebant, ille indignatione eorum posthabita, confessus est veritatem.* Et Chrysostomus hom. 55. *Tu autem cæci constãtiam mirare, quòd cùm primum ab illis interrogatus dixerit veritatem, minimè mirum est: nunc verò admirandum, quòd pertæsum neq; negat, neq; prioribus verbis contradicit.* Felix cæcus, qui vix vt discipulatus subijt officium, magisterij fortitus est dignitatem, dùm ipsis legis doctoribus prædicat, & nos quã intrepidè pro veritate sit certandum informan.

Cuncta pro veritate contempsit Saturus.

Ioan. c. 9.

Ericius.

Chrysost.

Mori præstat, quã veritati parcere.

2. Primum veracem, primumque veritatis testem Abelem fuisse ex verbis illis ipsius veritatis, *A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ*, Matt. 23. colligo: quia iustitiam & si à veritate differre pernoscam, cùm strictim v3 sumptæ hæc ad intellectum, illa ad voluntatem pertineat. Vndè Arist. lib. 2. metaphys. *Veritas est adæquatio rei ad intellectum.* Et 5. Ethycorum: *Est autem iustitia, per quam iustorum operationes fiunt, per quã agunt, & volunt res iustas;* tamen in sacris paginis confunduntur multotiès, & veritas iustitiæ nomine nuncupatur: vndè super verba illa: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã.* Matt. 5. vniuersam animi integritatẽ, legalemq; iustitiam, quæ omnem includit virtutem, intelligunt multi; à quibus Carthusianus non discrepat, qui iustitiæ nomine, veritatem etiam intelligit dicendo: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, hoc est, propter veritatem doctrinæ, & propter veritatem vitæ. Veritas n. & æquitas pariunt odium.* art. 9. itaque si iustitiæ nomine etiam veritas intelligitur, Abelẽ iustum vocare, quid aliud erit, nisi ipsum, nedum omni virtute præditum, sed veridicum quoq; eundem appellare? Ità sanè: Atqui bone Deus, cuius veritatis fuit assertor, pro qua adeò acerrimè pugnauit, vt veridicorum coryphæus Veritatis ore appellari meruerit? Pro qua difficultate aliam adduco, ex cuius solutione prioris pendebit enucleatio, quid nempè Cain Abeli dixerit, cùm eũ ad foras egrediendum inuitauit? *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cùmque essent in agro, consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & occidit eum.* Genes. 4. quòd aliquid ei dixerit, licet ex textu nõ habeatur, communiter tamen asserunt omnes; quid autem dixerit, non vna est omnium sententia: Hieronymus namq; in libro traditionum hebraicarum in Genesim, *Subaudiendum, inquit, omnia dixisse fratri suo Abel, quæ sibi loquutus fuerat Dominus.* Caietanus posteà vt annotat Pererius lib. 7. in Genesim, vniuersalius quæstionem mouens, an fuerit pacificus Caini sermo, an potiùs prouocatiuus ad iram, vt dissidendi occasionem venaretur, problematicè soluit; incertum asserens esse. Certum tamen est, quòd Hebræi verba iniuriosa contra Abelem Cainum dixisse existimant; & non ob aliud, nisi vt belligerandi aduersùs eum initium sumeret. Vndè Lyranus: *Quod ei dixerit non exprimitur in hebraico textu, & ideò dicunt hebræi, quòd Cain dixit fratri suo verba iniuriosa, quærens occasiones occidẽdi eum, licèt nõ sint expressa in textu illa verba.*

Matt. c. 23.

Aristot.

Veritas quid?

Hieronym.

Lyranus.

An Abel in verbis iniuriosis inperet Cain.

Et paulò infrà: *Igitur secundùm hebræos, postquam Cain dixerat verba iniurioſa fratri ſuo, inſidiatus eſt ei, quomodò reperiret eum ſolum in agro, vbi interfecit eum, ſicut cogitauerat.* Quæ ſi admitteretur opinio, dubitari vlteriùs poſſet; Cur Abel fratrem non cauebat, dùm illum ſecum rixandi cupidũ videbat? An fortè quia non pro contumelijs, ſed pro veritate ſibi dimicandum agnoſcebat, pro qua etiam ipſa maiora vitæ diſcrimina paruipendenda erant? Ità ipſoſmet Hebræos opinatos fuiſſe aſſerit Pererius loco citato, vbi dicit: *Auctor paraphraſis Ieroſolymitana enucleatiùs narrans quid Cain dixerit fratri Abel, quod hebraicè expreſſum non fuerat, ſic habet hoc loco: Dixit Cain ad Abel, veni, & egrediamur in agrũ, & cùm egreſſi eſſent ambo in agrum, dixit Cain: Non eſt iudicium, neq; iudex, nec ſeculum aliud, nec merces bona pro iuſtis, nec pœna pro impijs: Nec Dei miſericordia creatus eſt mundus, nec Dei miſericordia regitur; eò quòd ſuſcepta eſt oblatio tua cum beneplacito, mea autem non eſt ſuſcepta cum beneplacito. Reſpondit Abel, & dixit ad Cain: Eſt iudicium, eſt iudex, eſt ſeculum aliud, eſt item merces pro bonis, & pœna pro impijs: miſericordia quoque Dei mundus creatus eſt, & miſericordia Dei gubernatur: quia verò meliora fuerunt opera mea tuis, ſuſcepta eſt oblatio mea, cum beneplacito, tua autem non eſt ſuſcepta. Cumque duo iſti contenderent in agro, inſurrexit Cain contra Abel, & occidit eum:* itaque ſecundùm horum opinionem, licèt verbis prius laceſſitus fuiſſet Abel, in campum tamen exire non metuit; quia pro veritate mortem ipſam ſubire non timuit: ecce tibi (ſi mox dicta hebræorum teneretur opinio) cur iuſtus, cur primus acerrimus veritatis prœco & teſtis vocetur: quia omnium primus mortis diſcrimina pro veritatis confeſſione nõ metuit. Vndè optimè Auguſtinus: *Triplex iuſtitia in Abel fuit, quia & munera Deo placita obtulit, proſapiã generis in ſeculo non reliquit, & martyrij coronam ſanguinis effuſione promeruit.* Et paulò ſuperiùs: *Meritò igitur huic Dominus Ieſus primatum iuſtitiæ hominũ commiſit, ità inquiens: à ſanguine Abel iuſti, &c.* de mirabilibus ſacræ ſcripturæ.

Pererius.

Primus veritatis prœco Abel.

Auguſtin.

3 Quo calamo Iſaiæ cõſtantiam in defendenda veritate ſcribere valebo? Nullo equidèm: nam cũ hic crudeliſſimum mortis genus à D. Zenone ſerm. de martyrio ipſius, deſcriptum *(Licèt iàm eſſet mẽbratim corporis diuiſa poſſeſſio, propheta tamen egregius, & illuſtris inter reſupinatos, ſectores, & pendulos tandiù immobili in concuſſi corporis perdurauit ſtatu, quandiù duo eſſe inciperent, qui figuras gentium, cum ſuo perſecutore damnarent)* facilè iuxtà aliquorum opinionem effugere potuiſſet, dicente Diabolo, qui ei in vinculis antequàm ad ſupplicium raperetur apparuit (vt opinantur nõnulli) quòd ſi veritati peperciſſet, furentium contra eum animos beneuolos reddidiſſet, odiumque in amorem mutaſſet; mori maluit, quàm à cepta veritatis aſſertione deſiſtere. Vndè Ambroſ. ſer. 12. in pſal. 118. tactam opinionem recitans, hunc dicit in modum: *Fertur propheta cuidam (& pleriq; de Iſaia in carcere poſito) eùm mole imminentis vrgeretur exitij, dixiſſe Diabolum: Dic quia non à Deo loquutus es, quæ dixiſti, & omnium in te mentes, animoſq; mutabo: ſed ille gratius iudicauit pro veritate ſupplicium, quàm pro adulatione beneficium.* En quomodo nec caro, nec ſanguis, immò nec principes, nec poteſtates tenebrarum harum ſanctum prophetam à veritatis confeſſione retrahere valuerunt.

Zeno.

Ambroſ.

Nullo crudeliſſimo mortis genere à veritatis cõfeſſione retrahi valuit Iſaias

4 Ieremias ſimili modo in vinculis conſtitutus, epiſtolam per manus Baruch ab eodem coram omni populo legendam, in qua Iudæ, & Ieruſalem pronunciabatur excidium, vt diuinis pareret mandatis, miſit: *Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba, quæ loquutus ſum tibi aduerſũ Iſrael & Iudam, & aduerſùm omnes gẽtes.* c. 36. ſedulò quod ſibi fuerat iniũctum cùm effeciſſet Baruch, ira efferbuit populus, rex verò ſuper omnes indignans, & furens, librum ipſe proprijs manibus ſcindere non contẽtus, in ignem vſq; ad totalem combuſtionem immiſit: quo à Rege peracto, nequaquàm deſtitit ſuperborum humiliator Deus, ſed ſecundò id ipſum efficere, maioremq; cladem per aliam epiſtolam prophetam annunciare, man-

Ieremi. c. 36

Digitized by Google

Ibid. mandauit: *Rursùm tolle volumen aliud: & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, quòd combuſſit Ioakim rex Iuda*. ibidem, ſuper, quæ verba quærit Lyranus, & non immeritò; cur ſecundò regis necem prophetam ſcribere Deus præcepit, ſi ob primam epiſtolam inſanire cœperat rex ſceleſtus? Nùm creſcente per hoc Ioakim furore, Ieremiæ dies minuere, immò cõplere volebat? Nequaquam ſanè: ad quid igitur ſecunda mittitur epiſtola? An fortè per hoc, ob veritatis confeſſionem nihili pendenda eſſe pericula oſtendere intendebat? Nil certè aliter Lyranus: *Per hoc autem quod Ieremias de mãdato Domini ſcripſit plures ſermones de punitione regis, & malorum ſibi adhærentium, ſignatur, quòd doctor veritatis ex perſecutione non debet ceſſare à veritatis doctrina, ſed inſtantiùs docere.*

Lyranus.

Ieremias nec in vinculis conſtitutus veritatẽ prædicare formidabat.

5 De Michææ, & Zachariæ Ioiadę filiorũ fortitudine in tuenda veritate, multa equidèm dicere poſſem; nàm primus quùm regem Iſrael cum Ioſaphat de ſe, quòd ſemper ei infauſta prædiceret, conquerentem audiret: *Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?* 3. Regum 22. nequaquàm perterritus, immò ad veritatis teſtationem magis accenſus, addidit: *Propterea audi ſermonem Domini, &c.* ibid. quod idem erat ac dicere: incaſsùm conquereris, fruſtrà minaris, nàm acerrimus ego veritatis aſſertor, quò creſcunt diſcrimina, eò in illius defẽſione inardeſco. Ità Toſtatus ſuper citata verba: *Quia Achab iratus fuit hic Michææ dicenti ea, quæ Deus iubebat, voluit ſuperaddere ipſe Michęas alia duriora, in quibus magis irritaretur Achab, ideò dixit: Propterea audi ſermonem Domini, ideſt, quia indignatus es mihi dicenti veritatem, audi alia grauiora: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, &c.* Secundus verò, vt fidelis veritatis teſtis exiſteret, pro nihilo penitùs habuit lapidibus ſęuiſſimè obrui, vt videre eſt in 2. Paralipom. c. 24. Quarè D. Bonauentura in biblia pauperum cap. 66. *Ad imperium regis lapidatus eſt Zacharias filius Ioiadæ, quia reges, & principes arguebat, pro eo quòd Dominum dereliquiſſent.* Horum (vt nuperrimè dixi) ſtrictiùs quàm par erat, deſcripta pro veritatis confeſſione, & in perferendis ſupplicijs fortitudine: virum illum, quo non tàm ob generis claritatem, quàm ob virtutum eminentiam dignus non erat mundus, Eleazarum, dico, ante oculos tuos ſtatuo; & quæ hic conſtantia in vltima conſtitutus ſenectute pro patrijs legibus, & pro veritatis aſſertione acerbiſſimam pertulerit mortem, optimè te noſſe ſcio; illud tamen te nunc maximè perpendere vellem, quòd ſuper omnia ſimulationem horruit, nàm eam ſibi ſuggerentibus audacter reſpondit: *Non n. ætati noſtræ dignum eſt fingere: vt multi adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur.* 2. Machab. 6. cauſam poſteà cur tàm inuiſam ſimulationem haberet ſi ſcitaberis: eam exiſtimo, quia ſi ſimulare eſt falſum pro vero oſtendere, nullo modo veritatis teſti placere ſimulatio poterat; *Per iſtum*, ait Lyranus, *ſignificatur homo virtuoſus, & conſtans, qui magis eligit mori pro Chriſtiana veritate, quàm fictionem tranſgreſſionis facere.* Sic ipſe. Ambroſius verò libro de Iacob, & vita beata cap. 10. fuſiùs huius ſancti viri extulit fortitudinem.

2. Machab. c. 6.

Lyranus.

Cur ſimulatio iuſtis inuiſa?

6 Nè graueris, ſi præfata faſtidiens, vlteriùs dicam, quòd iuſti non ſolùm in carne viuentes omni poſtpoſito metu, acerrimi eſſe cupiunt veritatis præcones; ſed poſt mortẽ etiã, in ipſis mortis ſepulchris, immò in ipſo imo terræ ſinu incluſi veritatem perſonare exoptant; pro qua re me nõ fallunt verba illa Iob: *Terra ne operias ſanguinem meum, neq; inueniat in te locũ latendi clamor meus*. cap. 16. quæ & ſi in Chriſti perſona dicta fuiſſe autument multi, vt ſecundùm eos ſit ſenſus: terra, quæ Abelis ſanguinem non adeò operuiſti, quin ad Deum clamare, ac fratricidium prodere liberè potuiſſet: ſanguinem meum meliùs clamantem, quàm illum, pro peccatoribus ſcilicet interpellantem, operire minimè debes. Alij tamen etiam pro ipſiuſmet Iobi perſona verba præfata dicta fuiſſe exiſtimant. Pineda tãdem

Iob. c. 16.

Toſtatus.

Bonauent.

Floccifaciũt potentium irã veritatis aſſertores.

Digitized by Google

ad rem noſtram vtrà hos addit; Iobũ de ſe ipſo, ipſoq; poſt mortem tacta iàm verba dixiſſe, ac ſi ſepulchra, & terrã hũc interpellaſſet in modũ: Vos manſolea, quæ defunctorum recondi-tis oſſa, mea nè ſic occludatis, vt voces audiri nequeant: Tu terra, quæ tuo receptos gremio luci ampliùs appare-re non ſinis, meum ſanguinem nè ſic operias, vt altè perſonare non valeat: curioſus poſtea ſi fueris ſcrutator, quare poſt mortem patiẽtiſſimus hic vir clamare optaret, lege Albertum apud Carthuſianum art. 37. ita dicẽ-tem: *Albertus.* *Petis ſanguinem ſuum non operiri, quin atteſtetur veram ſententiam de pro-uidentia Dei. Petit nè clamor ſuus in terra lateat, quin teſtetur pro veritate.* Quia namq; amicos ſuos non benè de pro-uidentia Dei ſenſiſſe intellexerat, idèò ſepulchra exorat, terramq; precatur, vt ſibi etiã poſt mortem veritatem te-ſtandi locum concederent. En quo-modò neq; mors, neq; vita, neq; ſepul-chra, neq; inferi ſanctum virum à ve-ritatis confeſſione impedire valebant. *Etiam poſt mortẽ veritas prædicãda.*

7 Modò dictis de Iobi ſanguine, illud addo, quod de Abele dixit Pau-lus: *Hebr. c. 11.* *Abel defunctus adhùc loquitur* ad Hebr. 11. & libentiùs quid per ea in-telligere voluerit, audirem, quàm di-cerem: quia ſi per hanc locutionem clamorem ſanguinis eiuſdem expli-care intendebat, de quo Geneſ. 4. *Geneſ. c. 4.* *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, ipſum defunctum non loqui, ſed clamare dicere debebat: cuius dif-ficultati, vt occurreret Chryſoſtomus hom. 22. ſuper citatum Pauli locum plures præfatæ locutionis explicatio-nes adducit, videlicet: Quòd eo inter-empto, eius non ſit interempta me-moria: Quòd adhùc loquatur, quia in ore omnium verſatur, eſtq; cunctis fandi materia: Et tandèm quòd Deo viuat, ſi loquitur. Mihi tamen dicere ſi fas eſſet, pronunciarem vtique, quòd accuratè nimis, non adhùc clamare, ſed loqui dicitur; quia ſi ſecundùm ſuperiùs allatam hebræorum opinio-nem, antequã occideretur, Dei, eiuſq; bonitatis, iuſtitiæ, & prouidentiæ par-tes tuendo, Caino loquebatur: *Eſt iudi-cium, eſt Iudex, eſt ſeculum aliud, &c.* nũc etiam poſt mortem, immò poſt tot temporum curricula loquitur, noſque monet, vt pro fidei veritate nec in vi-ta, nec poſt mortem ſileamus. Vgonẽ Cardinalem aduoco dicẽtem: *Adhùc loquitur, & inſtruit nos in hoc, quòd fina-liter pro fide mori parati ſimus.* Cauſam nunc igitur inſpicis, cur non clamare, ſed loqui dicatur, quia iuxtà præfatũ hebræorum dicendi modum, plùs for-tè ad verba, quæ pro veritatis defen-ſione cum Caino habuit, quàm ad sã-guinis ſui clamorem dicta eſſet refe-renda loquutio. *Vgo Card.* *Cur Abel defunctus nõ cla mare, ſed loqui di-citur?*

8 Cæterùm quis magis veritatem defendere teneatur, ipſa docuit Veri-tas, quando in rationale iudicij in-pectore ſacerdotis collocando verita-tem ſcribi imperauit: *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatẽ.* *Exod. c. 28.* Exod. 28. ad ſignandum, quòd nullus ſic veritatem in corde habere debet, nec eam quocumque imminente diſ-crimine tueri tenetur, vt Sacerdos, & Paſtor. Ità Arnoldus: *Diligenter aduer-tendum eſt, quòd qui hac veſte induitur, in qua litteris, doctrina, & veritas im-preſſa eſt, conſecratum doctrinæ, & veri-tati pectus ſuum intelligat:* quod & ob-ſeruauit Rupertus Holchot ſuper il-lud: *Ne reuereatis proximum tuum in caſu ſuo*, Eccleſiaſtic. 4. cum ait; *Hic docet Pre-latos, & prædica-tores non parce-re veritati propter inordinatum ti-morem, exemplo Samuelis, qui ſic corripuit Saul regem dicens: pro eò quòd abieciſti ſer-monem Domini, abiecit te Dominus nè ſis rex.* lectione 52. *Arnoldus.* *Rupertus Holchot.* *Cæteros veritate antecellant Prælati.*

Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquã. Reſpondérunt, & dixérunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Ioan. 9.

§. III.

Foris in ſeculo luctus, & dolor: Intùs in clauſtris gaudium, & lætitia.

Amos c. 5.

1 QVærebam quoties verba mihi occurrebant illa: *In omnibus plateis planctus: & in cunctis quæ foris ſunt dicetur væ væ.* Amos 5. cur non in domibus, nec in palatijs, ſed in foro tantùm ſuſpiria emitterentur, & fletus? Et poſtea quid per illud duplex, Væ, ſuper Ieroſolymitanæ ciuitatis excidium aſcriptum ſignificaretur? Et tandem per latam plateam cũctis patentem, mundum; & per domum vectibus obſeratam, religionem ſignificari reperiens, iuxtà illud: *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc* Luc. 14. in quem locũ Ambroſius: *Miſit ad plateas: quia miſit ad peccatores, vt de latioribus vijs, ad anguſtam viam venirent, quæ ducit ad vitam*: prioris difficultatis ſolutionem illicò adinueni, nàm non domus Dei, apud quem eſt fons vitæ, & in cuius lumine lumen videtur, triſtitiæ ac doloris eſt locus, ſed mundus. Vndè Vgo Card. ſuper præfatum ſcripturæ locum: *Vbicumq; enim in mundo eſt cauſa fletus, pœnarum, & miſeriarum. Exod. 12. Otus eſt clamor magnus in Ægypto,* nec mirum, quòd in hac Aegypto in vtramuis aurem dormiẽtibus hebræis, duplici væ conterantur Aegyptij; quia ſicuti clauſi illi in domibus religioſorum: ſic in plateis iſti manentes, mundanorum geſtabant figuram, qui intra clauſtrorum ſepta Deo dicatos ab vbertate domus Dei inebriatos videtes, duplici contritione, in anima ſcilicet, & in corpore; ſe conteri ſentiunt. Haud quaquam mea eſt myſtica hæc interpretatio; ſed Stephani Cantuarienſis, qui apud Tilmannum diſertè nimis hunc dixit in modum: *Iſtud duplex væ dicitur propter duplicem confuſionem, qua induuntur in corpore, & vt anima qui foris ſunt. Malum eſt ergo foris eſſe: Cain vt fratrẽ occideret foras egreſſus. Dina foras egreſſa corrupta eſt. Eſau foras egreſſus benedictionem amiſit: Et Iacob domi manens benedictus eſt. Hebræi in domibus ſuis manentes non ſunt tacti ab Angelo exterminatore. Et diſcipulis intus congregatis apparuit Ieſus.* Optima ſanè doctrina, qua facilis mihi ad præſentẽ difficultatẽ patet aditus: Cur ſcilicet extra Synagogam fieri (quod pro magno beneficio haberi debebat, dicente Auguſtino tract. 44. in Ioan. *Iam non erat malum fieri extra Synagogam: illi expellebant, ſed Chriſtus recipiebat*) tàm grande à Iudæis exiſtimaretur ſupplicium, quòd nequaquam grauiori tanti miraculi præconem affici poſſe putabant, & ſi inuidia tabeſcerent, quàm illum à Synagoga eijcere: *Eiecerunt eum foras.* Ioan. 9. quia quàm bonis omnibus domus Dei replẽtur clauſtrales, tàm miſerijs, ærumniſq; cunctis exaturantur ſeculares. Vnde ad Deum verſus Auguſtinus clamare conſueuit: *Apud te eſt fons vitæ, non apud nos; ideo intrare debemus, vt viuamus, & os ad ipſum fontem vbi aqua non deficit ponamus.* Quod & ſi optimè clauſæ virgines, ſemotiq; à terrenis frequentijs experiantur Religioſi, ad eorum tamen ſolamen, & ad mundanorum confuſionem, quorum anima ſuper cæleſti cibo nauſeans, Aegypti cæpas concupiſcit & allia, ſelecta quædam adducam.

Ambroſ.

Sicuti platea mũdi, ſic domus religionis eſt typus.

Vgo Card.

Mundus doloris, & religio felicitatis eſt locus.

Steph. Cantuarienſ.

Auguſt.

Auguſt.

Ab vbertate domus Dei replentur Clauſtrales: Famẽ foris patiuntur vt canes mundani.

2 In primis ſceleſtiſſimus Cain ſe mihi offert, qui vt fratricidij ſcelus patraret, fratrem ad ſpatiandum his hortatus eſt verbis: *Egrediamur foras,* Gen. 4. in quibus omitto difficultatẽ illam nempè, quonampactò foras egredi poſſent, ſi nulla tunc conſtructa erat ciuitas, domus nulla extabat, nec vllus clauſus inueniebatur locus: nàm Toſtatum reſpõdere calleo à

Ioan. c. 9.

Geneſ. c. 4.

Toſtatus. *Videtur quòd Abel, & filij ſui fecerant aliqua tugvria ſimul, in quibus manebant cõtra aeris temperiem: & illa erant quaſi villa, vel locus populatus: et reſpectu illorum vocabantur alia loca agri, vel dicebantur eſſe foras*, & cur foras potius, quàm quomodò dictis tugurijs fratrẽ occidere volucris, inquiro: Si diuinos vt effugeret oculos, vtrobiq; æquè vi-

Pſal. 138. debatur, dicente Dauide: *Quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pẽnas matutinas, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua tenebit me.* pſal. 138. Si vt parõtum declinaret aſpectum, nè tanti facinoris inuenirentur teſtes, vt ſcribit

Honcala. Honcala ſuper illud: *Cumque eſſent in agro conſurrexit Cain.* ibid. *Cum fratrem Abel in agrum duxit, vt ibi ſine teſtibus eum occideret*: nequaquam ſecretius in agro, quàm in aliquo clauſo tugurio id efficere poterat: cur igitur foràs potiùs, quàm intùs immane illud facinus perpetrare voluit? Pro cuius dubij declaratione illa adduco

Exod. c. 32. ſacræ ſcripturæ verba: *Ite, & redite de porta vſq; ad portam per medium caſtrorum; & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Exod. 32. quæ & Moyſi fuerunt, Leuitas ad occidendos idololatras cohortantis: & myſterio non vacant; nam, vt ſubtiliter animaduertit Caietanus, non intrà portas mors ingredi, ſed à porta ad portam graſſari debebat; quia non domi manentes, ſed in plateis exiſtẽtes morti erant addicti: nec ſine myſterio, quia non clauſtra, ſed ſeculum cædis eſt locus. Audi ipſum: *Attende prudens lector, quòd non cõmittitur iſtis, vt ingrediantur tentoria, quæ erant veluti domus: ſed, quòd per vias publicas eant, & occidant:* Audi nunc (ſi libet) cur foris, non intùs interficiatur Abel; quia non clauſtra, ſed ſeculum doloris & mortis eſt locus. Accinit Aug. ſuper illud: *Egrediamur foras* dũ ait: *Campus eſt lata via, quæ ducit ad interitum, & in campo Abel occiditur.* Ac ſi diceret: ſecurè, & dulciter in cellulis quieſcant religioſi, quia dolores, & cædes occluſas non ingrediuntur ædes, ſed de porta ad portam vagantur. Vnde verſus:

Caietanus.

Non in clauſtris, ſed in ſeculo dolores graſſantur, & cædes.

Auguſtin.

Pax eſt in cella, foris autem plurima bella.

3 Attigerat iam dicta ipſummet os veritatis, parabola illa de nuptijs regis filio factis, in qua poſt eiuſdem regis inſtantem indignationẽ, ac poſt vltionem in inuitatos inurbanos ad nuptialem cænam venire renuentes; poſtq; aliorum multorum in vijs offenſorum vocationem ad illam: tandem cum quodam ſine nuptiali veſte ad cænam ingreſſo concludit: *Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matt. 22. nam per hæc tacitè dicere intendebat: non, hic, in domo, quæ religionis eſt vmbra, dolorum germina ſurgunt; ſed, ibi, hoc eſt, extrà domum lacrymarum fontes erumpunt: propterea non priùs fletũ, quàm electionem denuncio, vt liquidò percipias, non in religione, ſed in ſeculo ſpinas germinari, & tribulos: dùm non priùs lacrymas, doloreſque experiri hic potuit, quàm è domo pelleretur. Comprobat hoc Vgo Card. qui hanc parabolam cum illa de ſagena Matt. 13. conuenire exiſtimat, & ſic idem prorsùs per tenebras exteriores, & per foràs mitti ſignificari autumat, dùm dicit: *In parabola de ſagena dixit: malos foràs miſerunt; & hic ſubditur, ibi erit fletus.* Ecce quomodò vt flere poſſit, ejicitur, vt dentibus ſtrideret, foràs mittitur; quia qui in domo Dei eſt, plorare nequaquàm nouit. Quod abundè viſum eſt in Petro, cuius oculi vt lacrymarum fontes deducere poſſent, foràs egrediendum putauit: quam Petri adinuentionem ſatis clarè expreſſit Euangeliſta, qui non priùs planctum, quàm exitum deſcribit dicendo: *Egreſſus foras fleuit amarè.* Matth. 26. Verbis vtor Origenis, quæ & ſi ad aliud dicta ſint, rei tamen noſtræ illa libenter accommodo: *Iam nõ erat in atrio principis ſacerdotum, nec iuxtà ianuam eius, ſed foris: alioquin nequaquàm ploraſſet: ſicut enim ſcriptum eſt: Egreſſus foràs fleuit amarè.* tract. 35. in Matth.

Matt. c. 22.

Vgo Card.

Matth. c. 26.

Origen.

Qui foris eſt plorat, qui autem intus eſt plorare non nouit.

4 Verùm vt hucuſq; dicta magis, magisq; clareſcant, ad Saluatoris monumentum pergo, ibiq; Magdalenam plorantem reperio, dicente Ioanne: *Maria autem ſtabat ad monumentum foris*

Ioan. c. 20.

Digitized by Google

vis,plorans, cap. 20. nec adeò cohibere me valeo, quin euangeliſtæ dicam: ſi diſcipulæ erga magiſtrum dilectionē oſtendere cupis,ſatis eſt dicere: Maria ſtabat ad monumentum plorans, ad quid ergo foris ſtetiſſe addis, *Stabat ad monumētū foris,plorās?* An aliud hiſtoricè,aliudq; myſticè ſignificare intendis? Prorsùs ità: quia ſi monumentum mortuorum corpora continens, Deo dicatorum ædium (tot mundo mortuos recludentium, quot religioſos incolas habent) typus eſt, & figura: vt benè annotat Gregor. 9. moral. cap. 43. vbi per ſepulchrum Moyſis vſque in præſentem diem hominibus ignotum, Deut. 34. religioſorum ſtatū minimè à ſecularibus agnitum figurari exiſtimat; iureoptimò Magdalenam non in monumento, ſed foris plorare aſſerit Euangeliſta, quia non in clauſtris, ſed in ſeculo lacrymæ funduntur, & gemitus. Quod ſentire videtur Origenes homil. 16. in diuerſos, cùm dicit: *Audiuimus fratres Mariam ad monumentum foris ſtātem: Audiuimus & plorantem.* Dicere ni fallor volens: quòd lacrymarum fontes Magdalenæ oculi deducant, nè miremini, quia foris eſt; nàm ſi intùs fuiſſet, ab vbertate domus Dei inebriata, & torrente voluptatis eius potata fuiſſet.

Religio monumentum.

Origenes.

Magdalena cur non intrà, ſed extra monumentū plorat?

5 Mardochæus futuram audiens hebræorum cladem gemens, & lugens vſq; ad palatij fores peruenit: *In platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui, & hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens.* Eſther. 4. intrà Palatium autem gemitus emittere haùd quaquā auſus fuit, quia ad religioſorum ianuas accedere quidèm poſſunt ærumnæ; ingredi autem prorsùs eis eſt vetitum. Audi Vgonem Cardinalem: *In platea, in latitudine communis Eccleſiæ, quod dicitur: in tribulatione dilataſti mihi, voce magna clamabat.* Et paulò infrà: *Quid ergo facit Monachus cucullatus in curijs? abuſio eſt, vt dicit Bernardus: Baruc 4. Exui me ſtola pacis, & indui me ſacco obſecrationis.* Ecce tibi cur foris Maria ploret, quia ad fores religioſorum luctus accedere quidèm valet, ingredi autem nequaquàm: dū qui intùs ſunt, plorare non noſcunt.

Eſther. c. 4.

Vgo Card.

Ærumnæ ad religioſorū ianuas accedere quidē valēt, ingredi autem nequaquam.

6 Sponſum vt reſeratis ianuis ingrediendi præberet aſſenſum anxiè nimis obſecrabant fatuæ virgines, vt ex reduplicatione nominis Domini: *Domine, Domine aperi nobis.* Matth. 25. colligit Toſtatus quæſt. 30. cùm ait: *Quæritur quare dicunt Domine, Domine? Reſpondetur ad oſtendendam immunſitatem deſiderij earum, vt aperiretur illis, & ideò duplicant verba; ſic. n. ad paſſionatos pertinet, quibus non ſatis eſt idem ſemel dicere, ſed pluries: & ideò exaggerationibus vtūtur, vel duplicationibus verborū.* & hoc nō ob aliud, niſi q̄a extra domū manentes, magna erat velut mare cōtritiō earum: quapropter nè penitùs præ dolorum magnitudine anima in ipſis deficeret, in locū munitum, & in domum refugij, vt ſaluæ fierent confugiebant. Vndè Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis circa medium: *Cane nè de domo exeas. Noli te ſponſum quærere per plateas, noli te circuire angulos ciuitatis. Sponſus in plateis non poteſt inueniri. Atq; vtinā non inueniſſe ſufficiat: vulneraberis, nudaberis, & gemebunda narrabis: percuſſerūt me, &c.* Et paulò infrà magis ad rem noſtram: *Foris vagantur virgines ſtultæ: tu intrinſecùs eſto cum ſponſo.* Hæc ipſe. Tu autem ſecùs ſi efficies, tantiq; viri ſi conſilium ſpernes, quid in ſeculo patiantur mundani, experieris.

Matt. c. 25.

Toſtatus.

Hieronym.

Virginū fatuarū vndè tātus ingrediēdi ardor?

7 Pedetentim ad Epulonis cogitatum accedo, & quid per verba illa, *Mitte Lazarum in domum patris mei. habeo. n. quinque fratres, vt teſtetur illis, nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. intenderet paulatim percipio; quia & ſi antea diſtrahebar multùm, quomodò in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, vbi damnatorum voluntates frigore niuium conſtipatę, alicuius dilectionis vigere poſſet igniculus: nunc autem non fratrum infelicitatem pertimuiſſe, ſed Lazari felicitati ipſum inuidiſſe reperio: Pernoſcebat namq; ſceleſtiſſimus nullatenus ſanctum mendicum Abrahami beatitudinis fieri poſſe expertem, quamdiù illius ſe continebat in ſinu, atq; in ea commorabatur domo, in qua multæ exiſtunt manſiones, ideoq; ex ea illū emitti flagitando; nil aliud, quàm ipſum in hunc mūdum regredi

Luc. c. 16.

cu-

cupiebat, vt hic saltem illum penarum videret consortem, vbi ipse viuens suarum deliciarum exortè esset. Fauet his D. Bonauentura verbis illis: *Erat autem hæc petitio non solùm carnalis respectu sui, verùm etiam crudelis respectu proximi; quia volebat quòd Lazarus egrederetur sinum quietis, & iret in locum periculorum, vt verificaretur illud in eo: Viscera impiorum crudelia.* En quomodò qui intùs est, infelix esse nō potest, dùm sæuissimus dives vt Lazarum à quiete nudum videret, ab ipso Abrahæ sinu illum emitti flagitabat.

Bonauent.

Dives vt Lazarum felicitatis exortè redderet, illum extrà mitti poscebat.

8 Serò equidèm, importunè verò nequaquàm stultitiam è domo patris egredientium intellexit adolescens ille, qui in se tandem reuersus dicere cœpit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Luc. 15. nàm per hæc dicere (vt opinor) intendebat: certissimè nosco fatuitatem, & intelligo demētiam meam, quia relicta domesticorum, patris mei felicitate, extrà domum, vbi aliud, quàm luctus non reperitur & dolor, feliciorem me futurum existimaui: *In patris domo*, ait Beda, *abundant panibus, at verò fame pereunt, qui extra patris ædes positi, ventrem cupiunt implere de siliquis.* Ecce quomodo sānum delirium est foris quærere, quod intùs possidetur abundè.

Luc. c. 15.

Beda.

Delirium sūmū foris q̄rere, & intus possidetur abundè.

9 Non abeo à tacta parabola, sed querimonias fratris maioris natu, ex agro redeuntis recolo: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquàm mandatum tuum præteriui, & nunquàm dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* ibidem: Et cuius est culpa quod epulari non valeas, ait Abbas Cellensis lib. 2. de panibus: Patris nè? Minimè certè, nàm sua omnia tua esse fatetur: tua ergo est, quia etiam mercenarijs in domo patris conuiuantibus, tu extrà illam in mundi agro, vbi fame tabescunt cuncti, commessari posse existimas. Præfatus Cellensis: *Miser, & miserabilis, qui non intrat in locum conuiuij, siue tabernaculi admirabilis, qui extrà est tamquàm frater senior in agro: qui intùs est lætatur, qui extrà cruciatur: qui intùs est satiatur in bonis, qui extrà est, deficit in malis.* Aurea sanè verba, sed præcipuè illa, *Qui intùs est lætatur, qui extrà est cruciatur; Qui intùs est satiatur in bonis, qui extrà est, deficit in malis*, dicatorum Deo felicitatem, & mundanorum ostendunt infelicitatem.

Luc. c. 15.

Abb. Cellēs.

Qui sacras ingreditur ædes lætatur, qui ex eis egreditur, cruciatur.

10 Nec deniq; circa hanc parabolam omittendum duco, quisnam cōcentuum esset locus, ager nè, à quo senior regrediebatur, an patris ædes? Euangelistam quæstionem soluentem reperio: *Cùm appropinquaret domui, audiuit symphoniā, & Chorum.* ibid. Ergo non in foro, sed in patris domo iubilationis resonabant voces? Ità quidē. Quid posteà per domum istam lætitiæ, & gaudij significaretur, docuit D. Bonauentura sequentibus verbis: *Per domum istam intelligitur congregatio iustorum: Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Et vt scias quomodò oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. In hac domo auditur Symphonia, & Chorus per concordem Lætitiam, quantùm ad conformitatem interiorem, & exteriorem, hoc est morum, & sermonum.* Hucusq; ipse. Ego autem cum Ambrosio addo, neutiquam in seculo, vbi nil nisi nænæ personat, posse has lætitiæ voces audiri: *Foris flat*, (ait ipse) *ideò chorum, & Symphoniam audire non potest.* Igitur ad religiosorum ianuas accede, auremq; foraminibus, & rimulis illarum accommoda, & illicò intus canentium voces aure percipies. Addit præfatus D. Bonauentura: *Hanc ergo harmoniam in cordibus in hac domo Dei audit, qui ad illam appropinquat.* Ad has ianuas accede adolescens carnis irretitiatus blāditijs, accede iuuenis curis secularibus implicitus, ab his seris nè elongeris senex adolescentiæ vitijs fatigatus, & ad Deum versùs clamare non desines: *Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabūt te.* psal. 83.

Ibidem.

Bonauent.

Quid per domum illam, de qua Dauid: *Qui inhabitare facit vnius moris in domo*: psalm 67. significare vellet Propheta, explicatur.

Ambros.

Bonauent.

Symphonia, & Chorus non in seculo, sed in sacris ædibus personant.

Psal. 83.

11 Mox dictum, quòd scilicet ex ędium religiosorum rimulis concinētium voces audiant mundani, corrigo, atque dico, nihil prorsus symphoniæ, & concentus, dùm extra illas sunt ipsos esse participes: testatur hoc Paulus, qui Dei arcana infra tertium cœlū audire nequaquàm potuit, sed eò postea raptus, quæ homini loqui non licet,

cet, auribus ſuis licuit percipere: ſic ipſe 2. Corint. 12. *Scio hominem in Chriſto, &c. raptum huiuſmodi uſq; ad tertium cælum; & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Nec immeritò non in primo, nec in ſecundo; ſed in tertio cælo arcana audiuit: quia qui in aula loquitur, facilè ab oſtio, & qui in primo cubiculo, facilè ab aula auditur: quæ verò in vltimis ſecretioribuſque communicãtur cubiculis, extrà audiri nullatenùs poſſunt: nè igitur Paulo commiſſa à mundanis audirentur, nõ in primo, nec in ſecundo; ſed in tertio cælo dicuntur. Optimè D. Bonauentura de 7. itineribus æternitatis, art. 3. *Ille qui hæc audiuit, uſq; ad tertium cælũ peruenerat, & intrauerat ad paradiſum Dei: intùs enim audiebantur, vbi dicebantur, & non poterant exire foras vbi erat homo; propterea ab eo, qui intùs erat, & valdè intùs, intus & introrsũ audiri potuerũt: ſed his, qui foris erant, dici non debuerunt.* En quomodò non qualitercumq; raptus, ſed ad ſuperiora, atq; ſecretiora cæli aſſumptus Paulus arcana audit, quia foris nullatenùs audiri debet, quod ſolummodò ad ſeruorum Dei ſolamen intùs, & introrſum dicitur. Nec mirum, quòd exortes ſint mundani talium arcanorum: quia vt benè annotauit Ambroſius, canticum Domini in terra aliena, quæ doloris eſt locus, nullatenus cantari debet. Audi ipſum ſuper pſalm. 36. *Si ipſi homini qui audiuit, non licet loqui, quomodo ei creditum eſt audire, quod non permiſſum eſt loqui? Ille enim in cælo audiuit; & ideò non competere iudicatum eſt, vt illud loqueretur in terris, quod audiſſet in cælo, cùm in ipſa terra ſit iſta diſcretio, vt quod in altera regione canitur, in altera non canatur, iuxtà illud: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sic ipſe. Vides quomodo clauſis tantùm cæleſtes cantus audire licet, foris verò exiſtentibus nequaquã.

12. Finè iam facio dicendo, quòd diabolus ipſe, qui nullibi requiẽ habet, nullibique ſolaminis habere quid poteſt: quãdoquidem quoquò ſe recipit, ſecum ſemper damnationem affert: quòd ſi aliquantulum leuari ſperaret, non extrà, ſed intrà domum aliquam vtique illud habere affectaret: Pro qua re ſcire vellem, qua peculiari pœna ob Chriſti præſentiam afficierentur dæmones, quòd per energumenorum dicerent ora, *Veniſti huc antè tempus torquere nos?* Matth. 8. & licet Chryſoſtomum aſſerẽtem inueniam: dæmones per ſuperabundantiam malorũ, quæ fecerant, fuiſſe opinatos, nequaquã in eis extremæ punitionis tempus fore expectãdum: Et quamuis Hieronymum ſciam dicentem; *Præſentia Saluatoris, tormenta ſunt dæmonum.* Mihi tamen dicere ſi fas eſſet, pronũciarem certè, non modicam pœnam ab ipſis etiam obſeſſorum corporibus ſe expelli exiſtimaſſe, & hoc ex ſequentibus ipſorum verbis facilè colligo, nempè: *Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* ibid. Quibus liquidò patet, non vulgare ſupplicium dæmonibus fuiſſe extra quempiam ipſos extitiſſe, dùm ex hominibus eiecti, in porcos ſaltem ingredi percupiebant. Deindè quid eis importet incommodi extra quempiam manere ſi noſcere cupis, eundẽ ſcrutare Matthæum, & in cap. 12. Chriſtum de eodem Satana loquentem reperies: *Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: reuertar in domum meam, vnde exiui.* Mendax equidem, & mendacij pater; nam minimè ſponte, ſed inuitus exiuit, dicente Euthymio: *Egreſſus eſt nolens, ſed iuſſu diuino*: Nec ſua erat domus à qua eiectus fuerat, ſed Dei, dicente Hieronymo ſuper cap. 1. Abacuc: *Quandò in euangelio peſſimus dæmon loquitur: Vadam in domum meam vndè exiui, non eſt ei credendum, ſiquidem nulla rationalis creatura ad hoc facta eſt, vt habitaculum dæmonis ſit.* Attamen notatu puto digniſſimum, ipſum nunquam domus meminiſſe, nec de regreſſu cogitaſſe, niſi quùm requiem non inueniſſet: quòd expreſsè habetur ex aduerbio illo, Tunc, *Tũc dicit: reuertar in domum meam*, cùm ſcilicet requiem foris haudquaquam inueniſſet, tunc in domo aliqua illam quærendam eſſe putauit: quæ quidem ſatis ſtulta fuit cogitatio, cùm nullibi ſit requies damnatis; nihilominus quã mali ſit foris, & quàm boni intus manere

2. Corinth. c. 12.

Bonauent.

Intus & valdè intus Dei arcana audiuit Paulus, & quare?

Ambroſ.

Matt. c. 8.

Hieronym.

Matt. ibid.

Cur dæmones in porcos ingrediendi cupidiſsimi.

Matt. c. 12.

Euthym.

Hieronym.

Digitized by Google

nere quia sciebat, ideò etiam ipse (& si stultè quidem) quietis quid intra domum aliquam, in homine nempè habere satagebat. Quod affirmare videtur Brugensis verbis illis: *Quocumq; pergat omnis illi extra hominem habitatio ingrata est, & tanquam triste exilium, ac squalido deserto simile*; Et subdit, *deniq; suos omnes intendit conatus, & sensus excitat, vt domicilium recuperet, quo pulsus est*. Vide quomodò expelli ab hominibus magnũ cẽsebat suppliciũ: & en quarè in porcos mitti efflagitabat diabolus, qa prius extra quẽlibet esse nimium se puniri sentiebat; esse verò intra quemcumq; mitius secum sperabat agendum. Sic recens quidam Matthæi commentator magna ex parte vsus Iansenij verbis: *Quemadmodùm homo expulsus ab vna domo, non inuenit requiem in locis arentibus, desertis, & inuijs; sic dæmon expulsus ab homine nullam requiem sibi inuenit, nisi aliquem alium inuenerit, in quem intret*. Verùm nullibi leuamen reperiens, præcipites secum porcos traxit in stagnum. Optimo igitur iure non hic, sed sapientia domum sibi ædificauit, ibiq; vinum miscuit, mensamque posuit, quia securè ibi quiescere, bonisq; domus Dei repleri potest, qui Aegyptiacis relictis strepitibus; ad mœnia huius felicis ciuitatis à sapientia constructæ confugerit. Intelligite paruuli astutiam felices causa euadendi; & insipientes animaduertite, quia extra hanc domum à sapientia ædificatam famem vt canes patiemini: si quis est sapiens declinet ad eam, & si quis est insipiens, dictis sapientior fieri addiscat.

Brugens.

Etiã dæmones si aliquã illum sperarent leuaminis, intus nõ foris quærẽdum existimarent.

Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filiũ Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. Ioann. 9.

§. IV.

Ambi dexter iustus in omnibus, nèc secundis inflari, nec tristibus frangi consueuit.

QVorsùm gentium Doctor verbis illis, *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris.* 2. Corint. 6. pergeret, vtinàm saperem, & intelligerem; quia si in dextris virtutes, in sinistris vitia sita sunt, & peccata, iuxtà illud Prouerb. 4. *Vias n. quæ à dextris sunt, nouit dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt*. Vbi Vgo Card. post longam interpretationum seriem, hunc concludit in modum: *Breuitèr, via à dextris sunt, humilitas, paupertas, vilitas, & cæteræ tribulationes Actor. 14. Per multas tribulationes, &c. Via à sinistris sunt honores seculi, deliciæ carnis, diuitiæ mundi, & huiusmodi bona temporis Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. quonammodò iustitiæ arma in læua esse poterũt? An peccatum, quod gratiæ demeritoriè opponitur, simul cũ illa stare valebit? Nequaquàm certè: quid igitur per præfata verba significare vellet gentium Doctor; percipi haùd facilè potest: Verùm in hanc difficultatem mentis aciem dum intẽ-

2. Corint. c. 6.

Prouer. c. 4.

Vgo Card.

Viæ à dextris, & à sinistris Quæ?

tendũt Auguſtinus, Bernardus, Olimpiodorus, multique alij, auribus meis inſonant; per dexteram etiam proſpera, & per ſiniſtram aduerſa ſignificari.

Prou. c. 4. Vndè Salazarus ſuper verba illa: *Ne declines ad dexteram, neq; ad ſiniſtram.*

Salazarus. Prouerb. 4. ait: *Diſſimiles admodùm expoſitiones inuenerunt patres, atque interpretes: Hugo, & Rudolphus per dexterã proſpera: per ſiniſtram aduerſa acceperunt: & quidèm nihil ferè familiarius eſt Auguſtino, Bernardo, & alijs, quàm proſpera in dextera, in læua autem aduerſa contemplari.* Ex qua dexteræ, & læuæ interpretatione facilè Pauli habetur mens, quòd ſcilicèt, tunc à dextris, & à ſiniſtris iuſtitiæ arma habemus, cùm inconcuſſo animo, nec proſperis extollimur, nec aduerſis deprimimur. Vndè Vgo Card. ſuper pſal. 108. ambidextros illos appellat, qui in omnibus æquanimitèr ſe gerunt: *Poſſumus dicere, quòd in viro iuſto nihil eſt ſiniſtrum, ſed totum dextrum.* Quamobrem non immeritò Aod illi, qui vtraque manu pro dextera vtebatur, vt Iudic. cap. 3.

Vgo Card.

Iudic. c. 3. *Suſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur:* huiuſmodi viri à Caſſiano comparãtur verbis illis: *Vtraq; manu pro dextera vtitur, qui nec aduerſis frangitur, nec proſperis elevatur.* de nece Sanctorum collat. 6. cap. 10. Et poſt aliqua: *Quiſquis igitur in illis, quæ dexteræ partis eſſe prædiximus, minimè fuerit ſubintrante gloriæ vanitatis elatus; & in iſtis, quæ ſiniſtræ partis ſunt virilitèr dimicans, nulla deſperatione conciderit; ac potiùs contrarijs arma quædam patientiæ ad exercitium virtutis aſſumpſerit, vtraque manu vtetur pro dextera, & in vtroq; actu triũphator effectus, tàm de ſiniſtro ſtatu, quàm de dextro victoriæ conſequetur palmam: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Statimq; Iobum in proſperis, & aduerſis inconcuſſum cõſiderans ſubdit: *Hoc nomen beatum Iob legitur meruiſſe, qui vtiq; per dexteram coronabatur, quando ſeptem filiorum pater opulentus ac dives incedens, quotidiana pro eorum purificatione ſacrificia Domino offerebat. Idemq; rurſùs per ſiniſtrã partem ſublimiori virtute de aduerſitatibus triumphabat.* Et deniq; cum Ioſepho concludit: *Ambidextrum meritò dixerim Ioſeph, qui in proſperis gratior patri, religioſior fratribus, acceptior Deo; in aduerſis caſtus, domino fidelis, carceris mitiſſimus vinctus, iniuriarum immemor, beneficus inimicis. Hi ergo & eorum conſimiles rectè ambidextri nuncupantur: vtraque enim manu vtuntur pro dextera, iuxtà illud Apoſtoli: Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris.* Hæc ipſe. Quibus addere fas mihi erit; cæcum hunc, de quo impræſentiarum ſermonem habet Ioannes: & ipſum ambidextrum fuiſſe, quia nec eum cæcitas fregit, nec concella videndi facultas extulit: nec iudæorum minæ in Chriſti confeſſione, minorẽ, nec inſperatus filij Dei occurſus maiorẽ reddiderũt, ſed ac ſi Diuum Franciſcum monentem audiſſet: *Sitis in tribulationibus patientes, & in proſperis humiles, & ſic eritis in omni pugna victores.* tom. 3. colla. 23. ſemper inter rerum viciſſitudines triumphator extitit: de qua iuſtorum æquanimitate audi, ſi libet.

Prou. c. 4. Verborum illorum: *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris.* 2. Corinth. 6. intellectus.

Ambidexter qui nec ſecũdis inflatur, nec aduerſis frangitur.

Nil ſiniſtrũ in ſanctis.

D. Franciſc.

2 Imperfectos, perfectoſq; ſequẽtibus verbis in declamationibus deſcripſit Bernardus: *Sunt enim infirmi & tepidi amatores iuſtitiæ, quibus aut vigor, aut feruor deeſt, aut fortaſſis vterque, cùm vterque ſit ſummoperè neceſſarius, inter proſpera quippè, & aduerſa verſanti. Etenim vigoris eſſe dignoſcitur, nequaquàm cedere tribulationi, ſed pro iuſtitia perſecutionem virilitèr ſuſtinere, ſic feruori videtur attribuendum, nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari.* Ac ſi diceret: ſi quis inter læta, & triſtia fluctuans, in illis per vigoris defectum pro iuſtitia agonizare nõ valet; vel in iſtis, amoris deficiente feruore, naufragatur; proculdubio appenſus in ſtatera inuenitur minùs habens, quia iuſti ponderis nullus cenſendus eſt, niſi qui forti, inconcuſſoq; animo æquanimiter omnia ſuffert: cuiuſmodi Dauidem fuiſſe reperio, qui propterea Angeli potiùs, quàm hominis quandoq; ſortitus eſt nomen, iuxtà illud: *Sicut enim angelus Dei, ſic eſt dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* 2. Reg. 14. quia nec afficiebatur illecebris, nec atterebatur anguſtijs. Vndè Carthuſianus art. 23. *Nec benedictione, nec maledictione mouetur, ideſt, nec laudibus, nec vituperijs po-*

Bernardus.

Perfectus quis cenſendus ſit

2. Reg. c. 14.

Carthuſian.

Digitized by Google

Iusti ponderis non est, sed inueniturmicus habere, qui benedictione, vel maledictione mouetur.

teſt à via virtutis abduci: vndè nec proſperis, nec aduerſis; nec detractionibus, nec adulationibus frangitur, quod frequentèr ità fuit in Dauid.

3 Præteruolo Gualfridij obſeruationem; Cur ſ. ambæ manus ad Deũ leuandæ ſint: *Leua ad eum manus tuas.* Thren. 2. quia dexteram benè agendo, & læuam fortitèr aduerſa patiendo ad Deum leuandas noſco: *Ad operandum vtramq; manum leuemus: dexteram, opera bona faciendo: ſiniſtram, aſpera fortitèr ſuſtinendo. Qui n. bona agit, ſed mala perpeti negligit, dexterã leuat, non ſiniſtram. Qui autem & benè operatur, & fortitèr aduerſa ſuſtinet: vtraque manu vtitur ad ſalutem, vtramque leuat:* & pauliſper immoror in verbis illis: *Requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Apoc. 4. quæ fateor ſanè, ſcripturas percurrentibus non paruam dubitandi anſam afferre: non quidèm, quòd iugitèr illa ſancta animalia omnipotentis Dei ſãctitatem proclament, quia nuſquam de illa, quam infinitam noſcunt, ſatis ſe dixiſſe intelligunt; ſed quòd die ac nocte huiuſcemodi voces dicantur emittere, omni ſtupore dignum exiſtimo: quia eandem Apocalypſim legentibus nunquàm in cælis nocteſcere ſatis notum exiſtimo, de cæleſti Ieruſalem eodem aſſerente Ioanne: *Portæ eius non claudentur per diem: non enim nox erit illic.* cap. 21. & cap. 22. *Nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos,* quænam igitur erunt noctes illæ, in quibus nil minùs, quàm in die ſancta animalia concinunt? Lyranus non tempus, in quo, ſed rem, quæ canebatur per præfata verba aſſerit inſinuari, vt ſit ſenſus: non noctis tempore, ſed nocturnas horas poſt diurnas canebant: *Nàm in illis Eccleſijs,* ait ipſe, *primò valdè deuotè celebratum fuit officium diurnum, pariter, & nocturnum:* pia equidem cogitatio; at Ioachinus Abbas ad rem noſtram ſicuti per diem, felicitates, ſic per noctem, preſſuras interpretatur, vt iuſti in illis ſanctis animalibus figurati non in proſperitatum die Deum tantùm laudandum eſſe intelligant; ſed in tribulationum nocte nil minùs faciendum eſſe percipiant. Audi ipſũ: *Quid autem per diem, niſi pax? quid per noctem, niſi tribulatio deſignatur? magnũ verò non eſt laudare Deum ſanctum in die, niſi etiam laudetur in nocte, iuxtà illud viri ſancti: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ità factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Non immeritò itaquè vir iſte ſanctiſſimus conſcius ipſe ſibi, ſtatera iuſta trutinari poſcebat à Domino verbis illis: *Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.* cap. 31. ac ſi diceret: vt pernoſcant cuncti, & homines, & angeli, qua ſimplicitate ambulauerim ſemper inter proſpera, & mundi aduerſa, vtramq; manũ æquanimiter in eis leuando, non in qualibet, ſed in iuſta ſtatera appendi poſco; vt ſic appenſus ab omnibus videar, ſi minus habens, an non, fuero inuentus.

Ambæ manus ad Deũ leuandæ.

Thren. c. 2.

Gualfridius apud Tilmannum.

Apoc. c. 4.

Idem c. 21. & 22.

Lyranus.

Horæ tàm diurnæ, quã nocturnæ ab Angelis, in cęlis canuntur.

Ioachim. Abbas.

Quis die, nocteq; Deum laudet, expẽditur.

Iob c. 31.

4 Eximiã ſe mihi offert difficultas: Cur ſcriptura Elcanæ laudes (vt par erat) extollere volens ab vnitate exorditur præconia dicens: *Fuit vir vnus.* 1. Reg. cap. 1. quòd vir, quia præſtanti, excellentiq; animo præditus eſſet, vocaretur, fac ità eſſe: vnus autem cur nuncupatur? Si ens & vnum, quia vnitas eſt paſſio entis, conuertuntur: ſatis fuiſſet dicere vir erat, ad quid igitur ei additur vnitas, *Fuit vir vnus?* An fortè dari quis poterit, qui non vnus, ſed multi ſit? Ità prorsus ait Origenes, & quiſnam hic ſit, peracutè docet, dùm dicit: qui varijs paſſionibus quatefactus, varium ſe oſtendit, hic non vnus, ſed multi cenſendus eſt: ſecùs verò, qui in omni rerum viciſſitudine vniformem præſefert vultum, iſte ſolùmodò vnus vocari meretur. Audi ipſum, qui omnem tranſcendẽs ſubtilitatem ſic fatur: *Pertinet ad laudẽ iuſti, quòd dicitur de eo: erat vir vnus, nos qui adhùc peccatores ſumus, hunc titulum laudis acquirere non poſſumus; quia vnuſquiſq; noſtrum non eſt vnus, ſed multi. Intuere autem alicuius vultum nunc irati, nunc gaudentis, nunc iterùm triſtis, paulò poſt rursùm gaudentis, & iterùm turbati. Vides quomodò ille, qui putatur vnus eſſe, non eſt vnus, ſed tot in eo perſonæ videntur eſſe, quot habet mores: quia & ſecundùm ſcripturas, inſipiens vt luna mutatur.* Homil. de Elcana. Viſum hoc

1. Reg. c. 1.

Origenes.

Vir vnus ille ſolus dici debet, qui æquanimitèr in proſperis, & aduerſis manet: ſecus autem qui facit, nõ vnus, ſed multi cẽſendus eſt.

ſuit

fuit in Abraham, qui non vt Iephtecaræ ſobolis, quàm certè iuxtà omnipotentis præceptum immolandam exiſtimabat, deplorauit interitũ, nec, vt cęteri, mòx vnici pignoris lamentatus eſt orbitatem, ſed abſq; vlla animi turbatione in filij iugulum intendebat: immò, vt optimè obſeruauit D. Zeno ſerm. de Abraham, vt ſe vnũ & eundem in filij, & arietis immolatione oſtenderet, victimam prorsùs immutatus commutauit: *Nec mutatus eſt vultus eius, cùm eſſet victima commutata cum: tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium.* Modò dictus Zeno. En quarè iuſtus ſolummodò ambidexter vocetur, quia ſolus ipſe vnum ſemper inter rerum viciſſitudines animum oſtendit, vnum præſefert vultum.

Zeno.

Abrahæ cõſtantia in filij immolatione probata, & quomodo?

5 Liquet modò, cur veritatis ore nõ arundini, ſed Angelo comparetur Ioannes: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam.* Matt. 11. quia non vt arũdo qualibet leui mouebatur aura, ſed vt Angelus; non tantùm quia nũcius, quia miſſus, vel quia teſtis; ſed quia iuxtà doctoris Angelici ſententiam par. 1. quæſt. 64. art. 2. & diſcipulorum eius Angelus ex completa apprehenſione immobilitèr eligit (de quo quidquid ſit; nàm probabiliori ſententia oppoſitum tuetur Scotus in 2. diſt. 7. quæſt. 1. & in reportatis diſtinctè ad quæſt. 3.) in perfectionis tramite, & in confeſſionis veritate, immobilis perſtitit ſemper. Quarè in Chriſti perſona inquit Ioannes Ferus: *Ioannes arundo non eſt, ſed columna: nõ mouetur vento quocunquè, eadem mentis conſtantia nunc confitetur de me, qua & olim confeſſus eſt: neque.n. tunc adulatione, aut laude veſtra flectebatur, nec nunc timore impij regis terretur. Nec proſperis erigi, nec aduerſis frangi nouit.* Sublime equidem Ioannis præconium, quod vt Angelus, vnus ſemper eſſet in omnibus, ambidexter ſemper in cunctis.

Matt. c. 11.

Ioan. Ferus.

Baptiſta cur Angelo cõparatus?

6 Hallucinor, niſi ad hoc de quo agimus Hieronymi ſpectet quæſitum; An iuſti ſicuti peccatores vltrà dexteram, læua etiam ſint potiti, & ex eo dubitandi accipit anſam, quia non ſemel in ſacris paginis ſanctorum deſcripta dextera, reticetur ſiniſtra, vt videre eſt in illo pſal. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decẽmillia à dextris tuis.* Et in verbis illis Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Si dextrum reſpectu ſiniſtri, dextrum dicitur; Cur non præbe læuam, cadent à læua: quòd potiùs præbe alteram, cadent à latere ſcribitur? Difficultatem idem eneruat Hieronymus dicendo: quòd iure optimò in iuſtis nulla læuæ fit mentio, quia quidquid eis accidit, ipſis dextrum ſolùm eſt, ſiniſtrum autem nihil. Audi ipſum ſuper citatum pſalmi locum: *Videte.n quid dicitur: & decemmillia à dextris tuis. Et quomodò dixeras: Cadent à latere tuo mille? quando enim dextera dicitur, & ſiniſtra non nominatur: pro ſiniſtra, latus nominatur. Non.n. poterat iuſtum eſſe, vt iuſtus haberet ſiniſtram. Qui te, inquit, percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram; Non dixit & ſiniſtram: Non.n. eſt ſiniſtra, quæ præbetur, ſed dextera altera. Ergo ſimpliciter dico: quoniam iuſtus duas dexteras habet:* Quis poſthac ambidextri vocabulo iuſtum priuabit, dùm ſemota ſiniſtra, duabus vtitur dexteris.

Pſal. 90.

Matth. c. 5.

Hieronym.

Siniſtrũ nil in iuſtis, ſed dextrum totum.

7 Cęterùm quanta ſit hæc virtus, & quis primus eius fuerit magiſter, docet Bernardinus Senẽſ. tom. 3. ſer. 6. cap. 3. cùm dicit: *Huius quippè virtutis Saluator ſolus voluit eſſe magiſter. Hanc quippè opere, & verbo docuit. Eſt ſiquidẽ hæc virtus firma ſupra petram ſituati cordis, & ſuperexaltati à materijs ſenſibilium, & appetibilium rerum ſecundùm carnem, & apparentiam eius. Ipſa quippè eſt quædam intranſmutabilitas animæ in honoribus, & ignominijs ſimiliter ſe habens, non variato animo in his, quæ ad eũ indigna, ſeu digna proueniunt, quia ad laudes, & contumelias vniformitèr ſe habet. Factus ſum ſicut homo non audiẽs, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Hæc ipſe. Quibus Chriſtum ipſum tantæ virtutis primum fuiſſe magiſtrum, ſatis apertè demonſtrat: Et ità equidem eſt, nam ab eo antequàm in ſimilitudinem hominum fieret, & habitu inueniretur vt homo, ſponſa edocta dilectum in myrrhæ faſciculi fi-

Bernardin. Senenſ.

Primus æquanimitatis magiſter Chriſtus.

Digitized by Google

gura, nè felicitatibus extolleretur, & nè aduersis animo consternaretur, in medio vberum suorum collocauit:

Cant.c.1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* cant. 1.

Bernardus. *Memini me in vno superiorum sermonum duo sponsæ vbera congratulationem & compassionem, iuxtà Pauli doctrinam, dicentis: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Quia verò inter aduersa, & prospera versans, nouit vtrobiq; pericula non deesse, medium huiusce modi vberum suorum vult habere dilectum, cuius aduersùs vtraq; continua protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia deijciant.* Bernard. ser. 43. in Cãt.

Inter sponsę vbera myrrhæ fasciculus collocatur, quia iustum nec læta extollere, nec tristia deijcere debent.

8 Moriar nisi & ipsi Ethnici hãc extulere virtutem, virosq; ad æquanimitatem struendam pro modulo suo exhortati sunt: Transuolo illud Plinij; *Cùm omnia vbiq; secunda merearis, nonne manifestum est, si quid aduersi cadat tuis laudibus, tuisq; virtutibus materiam, campumq; prosternit: cùm secunda felices, aduersa magnos probent.* cap. 31. paneg. ad Traianum; Et considerate inquiro, quænam causa fuerit, quòd Pharao Iosephum honore prosequi volens, illumq; super cunctos sui regni principes celebrem reddere studens, torquẽ collo eius imposuit? *Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquẽ auream circumposuit.* Genes. 41. Stupet hunc honorandi modum Philo in lib. de Ioseph: & meritò quidèm, nàm annulũ in signum nobilitatis dare, & veste byssina in exaltationis ostensionem induere, estò; verùm torquem collo imponere, mirum prorsus est, nàm nec prodigi pater, qui anulum filio dari, & stola prima eum indui in signum iam amissæ dignitatis acquisitionis præcepit, collo eius torquem imposuit. Nec Aman, qui ab Assuero se honorandũ putauit, & cuius optioni exaltationis suæ modũ impositum existimabat torquem cõcupiuit; regis equidẽ indumento indui, regio diademate insigniri, & deniq; super regium equum ascendere optauit, vt videre est in lib. Esther. c. 6. torquem autem nequaquã affectauit: Cur igitur Pharao Iosepho torquem imposuit? Nũquid plus ipse Iosephum honorare, quàm Aman honorari cupiebat? Nequaquàm certè: Cur ergo torquem, quam hic habere contempsit, Iosephi collo imposuit ille? Quæsito occurrit præfatus Philo dicendo: quòd torques, nedum quia honoris est signum, sed quia est etiam supplicij instrumẽtum (nàm ipsa rei, atque captiui vinciuntur) in maiori Ioseph exaltatione collo eius fuit imposita, vt inter varios casus inuariabilem se ostendere addisceret. Audi Philonem. *Torquem auream tibi circumpono, quæ non ad gloriam solùm, sed ad pœnam pertinere videtur. Hanc torquem donaui tibi ornamẽtum in prosperitate, vinculum in aduersitate.* Vides quomodò ipse Pharao, (vt ità dicam) æquanimitatis est doctor, dum Iosepho quonammodò in prosperis, & aduersis se ostẽdere deberet, insinuat.

Philo.

Equanimitas etiam à gentilibus laudata.

Digitized by Google

FERIA QVINTA
DOMINICÆ QVARTÆ

Efferebatur defunctus filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba Ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus misericordia motus super eã dixit illi: Noli flere. Luc. 7.

§. I.

Nulla temporalis iactura lacrymis est prosequenda: sed ha pro Cælo amisso, vel pro peccato commisso effundi solummodò debent.

QVi Marthæ, & Magdalenæ non super filio, sed super fratre, non adolescente, sed prouectæ ætatis lugentibus, nedùm fletum non vetuit, verùm etiam post sui spiritus duplicẽ fremitum, post suiipsius turbationem, suas illarum lacrymis adiunxit: *Et lacrymatus est Iesus*. Ioann. 11. Cur mulieri viduæ viri adhùc orbitatis non immemori, filij vnici amissionem flere prohibuit dicẽdo: *Noli flere?* Si quia adolescens citò erat ad vitam reuocãdus, vtiq; citiùs reuocatus fuit Lazarus; nàm hic tribus tantùm suscitatus est verbis: *Lazare veni foras.* Ioan. ibid. ille verò quatuor: *Adolescens tibi dico; surge*, quænã igitur huius discriminis erit ratio? ea sanè quia, qui benè omnia fecit, per hoc lacrymas non adeò floccipendendas esse ostendit, vt quasi nihilipẽsę passim pro tẽporalibus, atq; caducis fundãtur, q̃ efficere videbatur vidua, quæ non cælum lustpiciens, sed terram (vt ità dicam) aspiciens, filij lugebat orbitatem, quia illo se destitutã videbat: sed gemmæ cùm sint pretiosæ, pro æterna solummodò felicitate comparanda debent exolui: & quia Lazarus, peccatoris, qui per culpam cælum amittit, gestabat figuram, iure optimò super ipsum planctus assumuntur, & gemitus. Vndè Petrus Abbas Cellensis lib. de panibus cap. 12. *Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum Cælorum: Inanes sunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Non igitur aqua de Iericho huius mundi; sed de paradiso sit tibi panis, & refectio. Nam flendum solummodò est, aut pro peccato commisso, aut pro amisso Paradiso.* Hanc tãtùm ob causam plorandum docuit Christus, cùm ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Matth. 5. vbi Christianus Druhmarus: *Absit vt aliquis fidelium de interitu mundi lugeat: nec de mundo, nec de mundana re lugere debet Christianus. Est autem luctus bonus, quem debent habere Christiani, lugere eorum est, in quibus memores sunt Dei præcepta præteriisse, vel non egisse, quæ Dei sunt: vel proximos suos debent lugere, qui à Deo exorbitant.* Huius Euangelicæ, Christianæq; doctrinæ (illo inspirante, qui temporibus non subiacet) præscius Dauid, non ob odiũ Saul, nec propter filij pśecutiones, nec ob aliud quidquam tẽporale, sed propter peccatum solummodò iuges lacrymarũ fontes emittebat, iuxtà illud: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* psalm. 118. vbi Ambros. *Habuit quidẽm multa, quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum; sed hic non hoc fleuisse se dicit; sed quia non custodiuit legem Domini. A sancto viro plus culpæ, quàm ærumnæ deflentur.* Quod etiam docuit Isidorus de summo bono, verbis illis: *Duplicem fletum habere debet omnis peccator in pœnitentia, uel quia bonum per negligentiã non fecit, uel quia malum per audaciam perpetrauit.* Qua Philosophia

Ioan. c. 11.

Petr. Abb. Cellens.

Inanes sunt lacrymæ, quas dãnũ, vel incõmodum temporale extorquet.

Matth. c. 5.

Christianus Druhmarus.

Psal. 118.

Ambrosius.

Isidorus.

Lachrymarum subiectum quod?

Digitized by Google

sophia vt tu proficias, audi quæso.

2 Ratum sanè est, pro temporalibus malis auertendis, & prò temporalibus bonis comparandis precari quandoque, & collachrymari licet: eò magis, quia, vt ait Quinctilianus senior declam. 306. quamdiù mortalem hanc gerimus carnem, vndique malis sepimur: *Interim*, ait ipse, *quis miratur flere hominem? In hanc necessitatem plerumq; fortuna deducit: quis.n.est dies, qui non triste aliquid & flebile minetur? si nullam aliam rationem lacrymarum haberemus; conspectus tamen hominum, & ratio mortalitatis posset elicere fletum.* verùm hoc modestè, & secretò fieri debet, vt patet ex doctrina Augustini epist. 121. ad Probam c. 6. & ex S. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 6. vltrà quos, Basilius homil. de gratiarum actione, de aliquibus ob mundanas ærumnas fletibus se conficientibus, hunc dicit in modum: *Non permittit honestatis ratio, vt immodicis se conficiant lacrymis: tantùm sinuntur rebus minùs latis, & tristibus esse quadantenus tristes, ac mœsti, leues item & nonnullas fundere lacrymas, idq; silentio citrà vllum frendorem, atq; eiulatum.* Quia ignominiosum sanè est, pretiosas has gemmas antè porcos temporalium egestatum proijcere. Fallor nisi apertissimè in Iosephi animo hoc erat, quando ex Beniamini aspectu nimium se commoueri sentiens, insalutatis fratribus ad secretiora cubicula currens, latebras quæsiuit, nè lacrymæ ob fraterni amoris teneritudinem erumpentes, ipsum terreno quodam affectu ploraſſe declararent: *Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erũpebant lacrymæ, & introiens in cubiculũ, flevit.* Genes. 43. Optimè Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 7. *Dùm affectata austeritate, quasi in alienos intenderet, rupit pietas iniusta, nimiumq; vltronea præparatam fortitudinem pectoris, & dissimulandi virtus nõ fuit, vndè & quasi fugam iniens, festinauit in cubiculum, & plorauit; quia erumpebant lacrymæ, & nõ poterat se continere.* Aurea equidèm omnia, sed præcipuè illa nequaquam strictim prætereunda existimo: *Rupit pietas iniusta, nimiumque vltronea:* nàm non ob aliud (meo consilio) pietas hæc iniusta vocatur, nisi quia nimis vltronea: iusta namq; in cunctis vitæ discriminibus, seruato pectoris robore, lachrymas pro cælo tantùm, atq; cælestibus emittendas ferat.

Quinctil.

Nullus est dies, qui non aliquid triste nobis minetur.

Basilius.

Genes. c. 43.

Rupertus.

Erubescebat Ioseph ob fraterni amoris teneritudinem fugere.

3 Neq; in iam dictis de Iosepho calamus Scribæ velocitèr scribentis quieuit, sed testatum vlteriùs reliquit; quòd expleto fletu Iosephus, nõ priùs ad fratres regredi, quàm faciem lauare voluerit: *Rursùmq; lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes.* ibid. qua in re quòd se continuerit, fac esse; nàm vt lacrymas celaret, latebras quæsiuit: verum ad quid postea expleto luctu faciem lauit Numquid adeò mollis erat, vt corporis venustate lætaretur, propter quod (vt effeminati assolent mundani,) sæpè lotioni studebat? Absit de tanto, tamq, pudico viro similia excogitare: cur ergo non illotus exiuit? Num quia nè qua lacrymula ex incuria non obsersa, effusarum lacrymarum testis existeret, ac proindè pudorem ex lacrymis pro carnali teneritudine profusis pateretur, hoc efficere voluit? Ita dicere videtur præfatus Rupertus cùm subdit: *Victus itaque commotis visceribus suis, & tumultuantibus lacrymis, cessit; easque quantum voluerunt currere permisit. Rursumque lota facie egressus continuit.* Vides nũc quomodo vix lacrymulam vnam in propatulo pro terrenis effundere inuenustissimum existimabatur à probis.

Genes. ibid.

Idem.

Vix lacrymulã in propatulo pro terrenis effundere, inuenustissimum.

4 Hanc modò dictam Iosephi modestiam Ezechiam etiam fuisse semel imitatum reperio; tunc scilicet, cùm Isaiam Dei iussu mortem sibi audiens obnunciantem, *Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris.n. tu, & non viues.* 4. Reg. 20. illicò versa ad parietem facie, Dominum omni qua potuit humilitate, pro vitæ productione obsecrauit: *Qui vertit faciem suam ad parietem, & orauit dicens: Obsecro Domine, memento quaso quomodò ambulauerim coràm te in veritate, & in corde perfecto.* ibid. causam autem si inquires, cur versa ad parietem facie orare voluerit; eadem assignat scriptura, dùm dicit: *Flevit itaq; Ezechias fletu magno:* Quod idem erat ac dicere: quòd ad parietem oraturus se vertat

4. Reg. c. 20

Ibid.

Eze-

Digitized by Google

Ezechias, lacrymæ in cauſa ſunt, quia pudore ſuffundebatur nimio pro incolatus ſui dilatione lugere; & quia languore nimio preſſus, nec vt Ioſeph fugere, nec vt ille latebras quærere poterat, faciem nè videretur, aliò vertit. Vndè S. Leo ſerm. in feſt. omn. Sanctorum: *Religioſa triſtitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc, dolet, quod diuina iuſtitia agitur.* Quod quia non primò intendebat Ezechias, ſed longitudinem dierum, meritò humanos declinauit obtutus.

S. Leo.

Religioſa triſtitia vel proprium, vel alienum peccatū luget.

5 Quod ſi ſecus efficies, lacrymas (ſi palam pro terrenis effundere non vereberis) correctione non modica te dignum exiſtima. Cùm ad mortem mortis Victor duceretur, mulierum ſe ſequentium planctum his verbis coercuit: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Luc. 23. verùm, ſi opportunior nuſquam lacrymarum vſus, quàm in Chriſti morte inueniri poterat, cur illas flere prohibuit? Si eis in tali, tantoq; caſu flere non licuit, in quo quæſo licebit? At licèt abſurdus omninò fletus ille non fuerit; idcircò tamen fuit inhibitus illis, quia condigno carebat ſubiecto: quod vt facilius percipias lege Ezech. cap. 24. & Deum reperies dicentem: *Fili hominis, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neq; plorabis, neq; fluent lacrymæ tuæ.* Vbi Vgo Cardinalis obſeruat, quòd non immeritò nō ſemel, nec bis, ſed ter pro oculorū deſiderabili fletus vetatur, quia non quod oculus videt, lacrymarum eſt ſufficiens ſcopus, ſed quod oculus videre nequit, propria ſcilicet, vel aliena culpa, certiſſimum eſt luctus ſubiectū. Præfatus Vgo: *Ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum, & non planges, &c. Hoc eſt contra illos, qui dolent inconſiderabiliter de morte amicorū, vel de amiſſione temporalium.* Audi nunc cur mulierum planctus debito carebat ſubiecto, quapropter reprehendi debuerūt, quia vltrà illud, quod corporeis cernebant oculis, aliud non contemplabantur: lacrymabantur quidem, & amarè deflebant, ſed quid? Chriſti fortaſſe necis (vt debebant) ſcopum & cauſam, nempè mundi ſcelera, atque commiſſa? Minimè certè; ſed qua maximè afficiebantur, venuſtiſſimam lugebant, atq; dulciſſimam lamentabantur Chriſti præſentiam, qua pro eius morte erant citò priuandæ, vtpotè talis, tantiq; magiſtri, qualis, ac quantus illis extiterat Chriſtus. Fallor niſi apertiſſimè hoc docuit Bonauentura: *Contriſtabantur carnali quadam affectione, ſcilicet dilectione faciei deſideratæ ſicut diſcipuli: Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Et ſtatim, *Nō negat igitur quin flendum ſit, ſed quòd conſideratio flentis debet redire ſuper ſcelus humani generis, pro cuius tranſgreſſione Chriſtus mortuus fuit.* Sic ipſe: tu autem ſiſte pauliſpèr in illis: *Conſideratio flentis debet redire ſuper ſcelus humani generis,* & opportunum lacrymarum ſubiectum percipies, & cur reprehenſæ fuerint præfatæ mulieres intelliges.

Luc. c. 23.

Ezechiel. c. 24.

Vgo Card.

Carorum amiſſio nequaquam lugenda,

Bonauent.

Mulieribus Chriſtū proximè crucifigendum plāgētibus, cur planctus interdicitur?

6 Ex his mulieribus ad Magdalenam tranſilio, & ipſam in ſepulchro plorantem ijſdem prorsùs verbis bis reprehenſam reperio: primo ab Angelis; *Vidit duos Angelos in albis, &c. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras?* Ioann. 20. deindè à Chriſto: *Conuerſa retrorsū vidit Ieſum ſtantem, &c. Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras?* Scio Aymonem nō defuiſſe dicentem, per modò dictam interrogationem lacrymis Angelos illectos non illas coercere, ſed cumulare voluiſſe, cuius verba ſunt: *Interrogabant Angeli non ſolùm cauſas, ſed etiā inquiſitiones, non ut quærendi deſiderium minuerēs, ſed ut augerent: ſicut n. nos cùm propter carorum amiſſionem flemus, ſi quis fletus cauſam inquirat, fletum magis accumulat; ità & illi cauſas doloris interrogabant, ut fletus deſiderium augerent.* oppoſitum tamen ſentiunt communiter Expoſitores, aſſerentes per præfatam interrogationem redarguti, non laudatum fuiſſe Magdalenæ fletum. Vndè Cyrillus Alexandrinus: *Quid ploras? Non quòd plorandi cauſam Dominus quæreret, ſed quia reuocare ipſā à fletu uolebat: quod & per Angelos in ſuperioribus fecit.* Et ꝑ Angelis D. Bonau. *Quid ploras? quaſi prohibentes flere.* Et ſtatim de Chriſti interrogatione ſubdit: *Quærit, mulier quid ploras? redarguens eam.* Quæ etiam Ambroſij,

Ioan. c. 20.

Aymon.

Iucundiſſimus angelis peccatorum eſt planctus.

Cyril. Alex.

Bonauent.

Magdalenæ lacrymę iuxta ſepulchrū emiſſæ cur vocitæ?

Au-

Augustini, Theophylacti, multorumq; aliorum fuit sententia: quòd si à me causam reprehensionis talium lacrymarum (cùm apud Pharisæum admodum laudatæ reperiantur) exquires; vt clauo clauus tundatur, aliam consimilem difficultatem propono: Cur Rachelis luctus, *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia nō sunt.* Ierem. 31. diuino interdiceretur iussu? *Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis.* ibid. & vt breuitèr rem perstringam, causam talis prohibitionis ipsamet declarat scriptura, dùm immediatè subdit. *Quia est merces operi tuo;* ac si diceret: frustra filiorum orbitatem luges, cui luctui nulla competit merces, non hæc, sed culpæ commissæ, cælumq; amissum tantarum lacrymarum idoneum sunt subiectum, pro his luge, vt operi tuo sit merces. Ità Carthusianus super caput Matth. 5. verba illa Dauidis explanans: *Eripuit oculos meos à lacrymis.* psal. 114. *Eripuit oculos meos à lacrymis, quæ solent euenire ex pusillanimitate, seù inordinata tristitia, aut alia qualibet irrationabili causa. Has lacrymas expedit nobis auferri; non autem lacrymas ex recordatione peccati, seù desiderio Dei, ac patriæ emanantes; nisi fortè ad tempus, cùm ipsę sint maximum donum Spiritus sancti. De illarum verò cessatione lacrymarum Dominus ait per Ieremiam: Quiescat vox tua à planctu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.* Itaq; est commendandus luctus, at non ille, qui carorum respicit orbitatem, vel aliud simile; sed ille, qui fit ob culpam commissam, vel cælum amissum; hic laude, & mercede dignus censetur: Audi nunc cur Magdalenæ, hic, interdicatur planctus, cùm alibi summoperè laudetur; quia ibi peccata deflendo, erat merces operi suo, vt idem Saluator haùdquaquàm dedignatus est testari verbis illis: *Cui minùs dimittitur minùs diligit. Remittuntur tibi peccata tua, &c.* Luc. 7. hic autē quia carnalis Christi præsentiæ priuatio præcipuè deflebatur; propterea & si planctus omninò non esset inutilis, tamen, vt minùs idoneus interdicitur. Aduoco Augustinum serm. 132. dicentem: *Si spirituali prudentia intentionem diuini sermonis intelligas, lacrymarum causā non tanquàm ignarus interrogat; sed importunos fletus dolentis obiurgat.* En quomodò illum luctū importunum, reprehensioneq; dignum appellat, qui aliud respicit, quàm æterna.

Ieremi. c. 31

Ibid.

Carthusian.

Fructuosæ lacrymæ, quæ?

Augustin.

Lacrymæ reparand. solummodo peccatorum ruinam fidi debent.

7 Si Dauidem coràm aliquibus saltem ob nunciatam filij mortem ploraſſe obijcies, vt habetur ex 2. Reg. cap. 12. *Deprecatus q; est Dauid Dominū pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus secretùm iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius, cogētes eum vt surgeret de terra, qui noluit.* respondeo cum Ambrosio, quòd tunc Dauid non tam ob nunciatam filij mortem, quàm ob commissum peccatum deflebat, & ideò dum luctui vacabat, aliquos ad se accedere patiebatur: secùs autem si solam filij fleuisset orbitatem, omnium sanè oculos declinasset; vt videre est in cap. 15. eiusdē libri, in quo habetur, quòd cliuum ascendens oliuarum, suum equidem à Regno exiliū deplorauit, sed operto capite, nè lacrymę ob terreni regni amissionem emisse, rubore maximo cum afficerent, si viderentur: *Porrò Dauid ascendebat Cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, et operto capite.* Ex quo satis patet non tàm pro filio amittendo, quàm pro commisso peccato ploraſſe, quando lugens aliquos ad se ingredi patiebatur; nàm aliàs omnium sanè declinasset obtutus. Ambrosij est hoc, quod dico, qui super psalm. 118. sic fatur: *Filio in ægritudine constituto, neq; cibum sumpsit, neq; regium thronum, aut cubile conscendit, sed stratus in terra ieiuna ora lacrymis diluebat; non tàm filij mortem, quàm peccati pœnam in illo lauare desiderans.*

2. Reg. c. 1

2. Reg. c. 1

Ambrosius

Lacrymas Dauid quādoq; operiebat, & quarè?

8 Susanna se mihi nunc offert, quæ palàm quidèm fleuit, cùm eam impudici, efrænatique senes falsò criminarētur; sed lacrymas absq; oculorū elcuatione emittere nequaquā voluit, sacra dicente pagina. Daniel. 13. *Quæ flens suspexit in Cælum;* & licèt cōmunitèr sentiri nō ignorē, quòd propterea flens cęlum simùl suspexit, quia in cœlo testem, iudicemque suum esse sciebat: & ideò oculos suos ad cę-

Daniel. c. 13.

lum

Digitized by Google

lum leuabat, vndè auxilium ſibi venire poſſe ſciebat. Si tamen ad rem noſtram aliam liceret rationem afferri, ea potiſſimùm eſſet, nè lacrymæ ob Dei offenſam, animarumque zelum emiſſæ, terreno incommodo aſcriberentur. Audi Cornelium à Lapide ſuper c. 14. Prouerb. qui, ac ſi in Suſannæ perſona loqueretur, dicit: *Compunctionis materia & cauſa ſunt. Primò, peccata ppria; Secùdò, aliena: qui enim zelat honorem Dei, & ſalutẽ animarum mirè cõpungitur, & cruciatur quoties videt, & audit aliorũ peccata, quibus diuina bonitas, & maieſtas offenditur. Ità Pſaltes: Vidi præuaricantes, & tabeſcebam.* Optimè quidèm, & non ad inſipientiam tibi, plorans oculos eleuat Suſanna, quia compunctionis materia non erat temporalis vita, quæ periclitabatur, ſed æterna, quæ amittebatur à multis. Quæ etiam in Abbate Pammone ſtendi quandoq; fuit materia, tunc ſcilicet cùm mulierem quamdã theatricam, inhoneſtèq; compoſitam vidit; à quo cùm tanti fletus ſciſcitaretur origo, reſpondit: *Duæ cauſæ me mouent: Prima eſt perditio huius mulieris: ſecunda, quia ego non habeo tantam curam placendi Deo, quantam hæc hominibus turpibus.* Quibus exẽplis quàm indecorum, inueniſtumque ſit, vnam tãtùm lacrymulam in propatulo pro terrenis effundere, ſufficienter innotuiſſe exiſtimo.

Cornel. à Lap.

Sufanna flens cælũ ſuſpicit, vt pro ſupernis, non pro terrenis ploraſſe intelligeretur.

Pammon. Abbas.

Abbatis Pãmonis fletus, qualis origo?

9 Firmo cum Iſaac, qui tandèm Eſau lacrymis, & eiulatibus motus, ipſi etiam benedixit dicens: *In pinguedine Terræ, & in rore cæli deſuper, erit benedictio tua.* Gen. 27. & cum Cancellario Pariſienſi Philippo de Greue inquiro, Cur in hac benedictione præpoſtero ordine priùs terræ, quàm cœli fit mentio? Cur cœli ros in Eſau benedictione, terræ pinguedinem non antecedit, ſi in illa Iacobi anteceſſerat, vt videre eſt in eodem capite, vbi paulò ſuperius habetur: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ?* ibid. Cur igitur hic inuerſo ordine dicitur, *In pinguedine terræ, & in rore cæli, &c?* Difficultatem idem enucleat Philippus, qui dicit, quòd ſatis iuſtè Eſau benedictio à terra incepit, quia eius lacrymæ pro benedictione emiſſæ è terra originem ducebant, nõ è cœlo, cùm Eſau terrena, non cœleſtia concupiſceret: & quia huiuſcemodi lacrymæ ad cœlum ſe eleuare non valent, eius benedictio in terra remanſit. Præfatus Philippus ſerm. 114. *In pinguedinæ terræ præmiſit, quia lacrymæ pro terrenis erant, nec benedictionem qualem habuit Iacob impetrare potuit. Aquæ natura eſt aſcendere vſque ad originem ſui, vndè pro terrenis non aſcendunt, quia de imo oriuntur; quæ pro cœleſtibus, aſcendunt ad locum vndè oriuntur.* Quid ſi pro mundanis lugentes hæc intelligerent? Sanè cũ Axa, non Caleb, ſed Deo dicerent: terram arentem vſq; modò lacrymis madefeci, ſed nunquam illam feracem experior, iunge, & irriguam: fac vt pro viuẽtium terra ſuſpirem, nè infructuoſus ſit luctus: quas preces ſi ſemel in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito effunderent, ſanè vtrumq; irriguum, ſuperius ſcilicet, & inferius eis daretur. Ità Vgo Card. ſuper c. 15. Ioſuæ: *Axa eſt fidelis anima, quæ inſidet aſino carnis, membris dominando. Axa ſuſpirat, quandò anima à carcere corporis liberari deſiderat, hæc ſuadetur à viro, ideſt à Chriſto, qui eſt vir cuiuslibet animæ fidelis, quam ſibi in baptiſmo deſponſat per fidem; ut peteret à Patre, ideſt à Deo irriguum ſuperius, ideſt lacrymas pro dilatione Patriæ, habens irriguum inferius, ideſt lacrymas pro incolatu huius miſeriæ: & nota, quòd multi habent terram auſtralem, ideſt legis intelligentiam, ſed arentem, ſine deuotione, ſine affectione, ſine pietate, et tantùm inſident aſino, carnis miſere, tales debent irriguam terram petere, ideſt cor deuotum.* Hucuſq; Vgo, cuius monita ſi tu recipies, nequaquam infructuoſè plorabis. ✠

Philippus de Greue.

Lacrymæ pro terrenis effuſæ cœlũ non ſcãdũt.

Vgo Card.

Quid pro duplici irriguo ſuperius, & inferius in ſcripturis poſitum importetur, explanatur?

Genes. c. 27.

Ibid.

Digitized by Google

Accessit, & tetigit loculum. Lucæ 7.

§. II.

Retortis iaculis Diabolum confodit Altissimus: dùm per eadem illum vincit, per quæ nos ipse vincere satagebat.

1 CElebris à nonnullis existimatur difficultas; Cur Christus, qui solo verborum imperio adolescentem hunc suscitare poterat, manus etiam loculo admouere voluerit, *Accessit, & tetigit loculum?* Luc. 7. si ipse Verbum est illud, per quod omnia facta sunt, & sine quo fieri potuit nihil, quod propterea Pater in mundum misit, vt verbo nos interius, exteriusque curaret: quod fortè agnoscens Centurio ad pueri salutem, non eius manuum admotionem, nec corporalem poposcit præsentiam, sed verbi implorauit potentiam: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Matth. 8. verbo tantùm in huius adolescentis resurrectione vti debebat, manibus autè nequaquam? Verùm ego non defuncti cadauer, sed feretrii, quod iuxtà quorundam sententiam vetiti ligni erat figura, dicente Ambrosio: *Quidam magistrorum, per loculum lignum primaria præuaricationis intelligunt, in quo omnes sub reatu conditionis illius mortui portabamur, à quatuor portitoribus, qui materialia quatuor significant elementa,* ipsũ tangentem videns, satis consultò id factum existimo, vt per hoc daretur intelligi, quòd eodẽ medio, quo Diabolus vicerat, vincebatur; dùm per lignum, per quod mors fuerat ingressa, pellebatur. Nil aliter Glosa: *Tangitur loculus à Deo, idest lignum Crucis: quia peryit Adam per lignum Paradisi.* Et ità sicuti iniquitatẽ Aman in caput eius conuerti, ipsumq; in ligno, quod parauerat Mardochæo Iudæo suspendi, eximium diuinæ iustitiæ opus fuit; vt benè obseruauit Hector Pinctus in cap. Dan. 6. cùm ait: *Superbus Aman Mardochæo viro pio, ac iusto patibulum parauit. At ipse ignominiosè periit in eodem patibulo suspensus, quod ad eadem erexerat Mardochæi, & sic pœnas luit flagitij sui, & exitium, quod alijs fuerat molitus, in ipsius caput redundauit;* vndè Salomon *proverb. 3. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorũ suorum constringitur;* sic diabolum ijsdem armis, quibus vincebat, vincere, eximia diuinæ sapientiæ dicenda est adinuẽtio. Quod noscens Stephanus Cãtuariensis verba explicans illa: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Isaiæ 12. ait: *Excogitauit nouas, & admirabiles adinuentiones, sicut legitur: Notas facite in populis adinuentiones eius. Hę sũt adinuentiones inauditæ; quòd morte mortem destruit, & morte vitam reparauit.* Hæc ipse apud Tilmannum, quibus sole clarius innotescit, quòd ob id antequam ad vitam adolescẽtem reuocaret, loculum tangere voluit Christus, vt de principe tenebrarum harũ verificaretur, quod de Annibale scripsit Lucianus lib. 2. de secundo bello punico: *Sentiebat Annibal suis se artibus peti,* dùm per quæ nobis diabolus strauit, sternitur: de quo nouo Dei stratagemate minimè te audire pigeat, quæ sequuntur.

Luc. c. 7.

Matth. 8.

Ambrosius.

Glosa.

Hector Pinctus.

Steph. Cantuar.

Noua diuinæ sapientiæ adinuentio diabolum per quę vicerat, vincere.

Lucianus.

Diabolus suis periturus artibus.

2 De sacrificijs, eorumq; ordine, & instituto verba facturus Deus, sic ipsum Moysi loqui cępisse reperio: *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, idest, de bobus, & ouibus offerens victimas, &c.* Leuit. 1. itaq; primum animal tàm ex terrestribus, quàm ex volatilibus, quod sibi selegit Deus, sibiq; antè alia sacrificari præcepit, de bobus erat sumendum, & sic vitulus esse debebat: ità Isidorus in Glosa citatus: *Primum sacrificium est vitulus:* sed hic modica non insurgit difficultas: si terrestria sibi primò sacrificari volebat, cur non ab ouibus, vel à capris incepit, quòd à vitulo sacrificiorum omnium sumpsit initiũ? Si per vitulum Christum significari dices iuxtà illud: *Placebit Domino super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* psal. 68. & illud: *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur,* Luc. 15. & hac de causa antè alia à Deo sibi selectum fuisse, quia nullum sacrificium

Leuit. c. 1.

Psal. 68.

Luc. c. 15.

Per vitulum nouellũ cornua producentem, & vngulas Christus figuratus, & quare?

sic

ſic iuſtam Dei ſedare poterat indignationem, vt ſanctiſſimi iſtius vituli immolatio. Vnde S. Bruno ſuper citatũ Dauidis loçum: *Placebit Deo ſuper vitulum nouellum, ideſt, ſuper fidem vituli nouelli mei, videlicet, qui erat ſacrificium pro ſalute mundi oblatum: quod deſignatum fuit per vitulum, quem in Euangelio legitur obtuliſſe patremfamilias pro filij reditu de peregrinatione. Vitulum ſe vocat, quia per hunc vitulum, de quo diximus, præſignatus eſt: & quia prò mundi ſalute ſacrificandus erat, more vituli, qui in lege veteri ſacrificabatur;* adhùc prima vigebit difficultas, quia apertius per agnum, & per illius immolationem, Chriſtum, & illius paſſionem figurari reperimus, iuxtà illud: *Tãquàm agnus coràm tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Iſai. 53. cur ergo antè agnum, aliaq; omnia vitulus immolari præcipitur? Verùm ſi vltrà tactam rationem etiam Hebræorum demẽtiam, qui vitulum, iuxtà ſtultam Aegyptiorum ſententiam, Deum appellabant, ſecundùm illud Exodi 32. *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atq; immolantes hoſtias, dixerunt: Iſti ſunt Dij tui Iſrael, &c.* tuam in mentem rediges, facilè percipies, cur antè omnia vitulum ſibi ſacrificari præcipiat Deus: quia inaudito pugnandi ſtratagemate, eodem medio, quo idololatria à diabolo fuerat introducta, latria iuſtè ſibi debita exhiberi volebat. Longè non eſt ab hoc Cornelius à Lapide, dùm dicit: *Voluit Deus ſibi immolari bouem, nè Hebræi putarent Apim, bouem Aegyptium, eſſe Deũ.* En quomodo honorem à ſe per vitulum oblatum, per vitulum ſibi reſtituit; vt diabolo accommodari poſſit vulgare illud Græcorum prouerbiũ: Ipſe ſibi reperit mali coagulum: dùm ijſdem adinuentionibus, quibus vicerat, vincitur.

Bruno.

Chriſti paſſio quã hominibus ſalutaris.

Iſai. c. 53.

Exod. c. 32.

Cornel. à Lapid.

Vitulũ pro primo ſacrificio ſibi Deus elegit, & quarè?

3 Dùmque vitulum ab Hebræis adoratum præ manibus habemus, nõ te pigeat, quid Moyſes viſa populi idololatria effecerit, audire: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, & cõtriuit vſq; ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael.* Exod. ibid. qua in re varias noſco eſſe ſententias, cur Moyſes vitulum in puluerem redactum populo ad bibendum tribuerit: Nàm Ambroſius, vt omnia aboleret impietatis veſtigia, id Moyſes feciſſe exiſtimat. Beda, vt ex potus amaritudine pœnitentiæ haberetur initium. Oleaſter, vt idololatriæ nauſeam induceret, pulueribus idoli ipſos exaturari feciſſe autumat. Mihi tamèn Hieronymi ſatis arridet opinio dicentis propterea id factum fuiſſe, vt impietatis materia, impietatis eſſet deteſtatio, dùm per ſeceſſum egredi videbãt, quod paulò antè pro Deo habebant. Audi ipſum epiſt. ad Fabiolam: *Vituli puluerem, quem adorauerat Iſrael in contemptum ſuperſtitionis, in potum accepit, vt contemnere diſcat, quod in ſeceſſum proijci videt.* Mirabilis ſanè vincendi dæmonem adinuentio! illum proprio gladio iugulare.

Exod. ibid.

Hieronym.

Puluis ex cõminuto vitulo populo ad bibẽdum tribuitur, & quarè?

4 Artes poſteà, quibus tũc artem fefellit, quandò noſtro mortalitatis tegmine indutus, diabolum ad ſingulare certamen prouocauit, enarrari nullatenùs poſſent; attamen inquirere non erit incongruum, quo gladio Philiſtæi caput ſe amputaturum promittebat Dauid, quando dicebat: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiã te, & auferam caput tuum à te.* 1. Reg. 17. ſi gladio nullo accinctus erat, vt ex eodem textu apertiſſimè habetur? Si Philiſtæi caput ſcindere intẽdebat, cur Saul gladium depoſuit? At, ò magnam diuinæ ſapientiæ adinuentionem! non alterius niſi proprij gladij ictum experiri debebat Philiſtæus, quia ſi Dauid (qui interpretatur dilectus) Chriſti, qui per antonomaſiam dilectus à ſponſa vocatur, geſtabat figuram, non alio gladio niſi illo Philiſtæi, qui dæmonis erat typus, ipſum interficere debebat; quia vt celebrior eſſet victoria, non alterius, ſed proprijs machinamentis diabolum erat Chriſtus victurus. Scitè Chryſoſtomus oratione in die paſchatis: *Cæterùm per quæ diabolus primò nos ſtrauit, per eadem etiam Chriſtus illum deuicit. Eadem, inquam, panoplia illa, qua Diabolus genus humanum inuaſerat, & debellauerat, Chriſtus certamine contra illum inito, diabolum viciſſim peſſum dedit.* Sicque diabolum à Mario vno ex ſeptuaginta tyrannis, non diſcordare exiſtimo,

1. Reg. c. 17

Chryſoſt.

Per eadem Chriſtus diabolum vicit, per quæ nos ſtrauit.

Digitized by Google

quia si hic, vt narrat Trabellius Pollio, gladio à se effecto (nàm antè tyrannicum dominatum faber fuerat ferrarius) multos interficere volens, eodem ipse à quodam milite dùm transuerberaretur, audiuit: hic est gladius, quẽ tu fecisti; sic à Christo dici diabolo poterat: iniquitates tuæ capiunt te, dùm indè medelam fero, vndè leseras; cuius rei præscius idem Dauid dicere consueuerat: *Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* psal. 7. quod nil erat, nisi dicere: cùm ille cuius ego figuram gesto, in mundum venerit, tunc in caput dæmonis iniquitas eius conuertetur, quia ad mei similitudinem, noua pugnandi adinuentione diabolum ijsdem armis, quibus nos sternebat, sternet. Ità Titelmanus super citatum psalmi locum: *Conuertetur dolor, &c. iniquitas malè machinata innoxio, in collum redeat machinantis. Quemadmodum dæmonibus peruersis Dei iudicio euenit, vt eandem mortem, ad quam nos quærunt pertrahere, nobis liberatis, ipsi æternum ferre debeant.* Et ità velit nolit cum Ouidio dicere cogitur Satan:

Psal. 7.

Titelman.

Iniquitas dæmonis quoniam tempore in caput eius retorta.

Ouidius.

Heù patior telis vulnera facta meis.

5 Specialiùs tamèn res vt pertractetur, audi si libet: vix nato Redemptore stellæ indicio ipsius aduentum agnouerunt Magi: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente* Matth. 2. immò vt maius dicã, illa duce ad ipsum Deum hominem peruenerunt: *Ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dùm veniens staret supra, vbi erat puer.* ibid. Quæstionem mouit Gregorius: Cur sanctis his regibus non per Angelum, sicuti pastoribus factum fuerat, sed per stellam Christi nunciatur natiuitas; *Sed quærendum nobis est,* ait ipse, *quidnam sit, quòd Redemptore nato pastoribus in Iudæa Angelus apparuit, atq; ad adorandum hunc ab oriente Magos, non Angelus, sed stella perduxit?* & licèt statim difficultatem soluat subdendo: *Quia videlicèt Iudæis, tanquàm ratione vtentibus, rationale animal, idest Angelus, prædicare debuit: gentiles verò, quia rationi nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur.* Chrysologus tamèn magis ad rem nostrã facit, dùm id nõ ob aliud factum asserit, nisi vt indè adueniret medela, vndè hostis læserat; vel vt clariùs dicam, quia diaboli suasu stellas adorando à Deo recesserant gentiles, per stellam ad Deum adorandum veniunt, vt illud idem fit pietatis principium, quod fuerat impietatis origo. Audi ipsum Chrysologũ: *Quarè Magi? Quare stella? Vt per Christum ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio: quemadmodum per Christum mortis causa, causa facta est vitæ.* Audis cur stella, nõ Angelus Magos ad Christum perducat, quia indè aduenire debebat medela, vndè hostis læserat.

Matt. c. 2.

Gregorius.

Chrysolog.

Stella monstratrix est vitæ, vt idem fit pietatis origo, quod fuerat impietatis instrumentum.

6 Querit Ioannes Ferus quid est, quòd Christus discipulos ad prædicãdum missurus, eos persecutionibus cedere docuit, dicendo: *Cùm persequẽtur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Matt. 10. de qua difficultate in 1. par. fer. 6. Dom. 1. §. 3. me dixisse non ignoro; quòd non vt persecutionibus terga verterent, sed vt ipsas insequerẽtur, hoc discipulis iniunctum fuisse, vt esset sensus: Cùm vnius ciuitatis erga vos furorem expleri videritis, in aliam fugite, vt ebulliente ibi persecutione, non primas fugiatis, sed nouas subeatis pressuras. Hic autem aliam præfatorum verborum intelligentiam afferre non puto incongruũ: quòd videlicèt propterea de ciuitate in ciuitatem discipulos fugere præcipiat Saluator, vt illis adinuentionibus, quibus Euãgelij semina diabolus suffocare conabatur, ijsdem latiùs disseminarentur, vt copiosiores fruges afferrent, dùm persecutio, quæ discipulos nullibi diù persistere sinebat, omnibi Euangelicam doctrinam personari faciebat. Scitè citatus Ferus cuius nec verbulum omittendum existimo, cum omnia ad rem nostram faciant: *Cùm vos persecuti fuerint, &c. fugite in aliam ciuitatem. In hoc, aliquid intendit Saluator: nempè vt hac occasione latiùs spargeretur Euangelium. Ad hoc enim profuerunt persecutores Euangelij, qui non permiserunt Apostolos diutiùs in vno loco morari, vt per mundum omnem sparsũ sit Euangelium. Sic enim impiorum conatibus, quibus Dei opera impedire conantur;*

Matt. c. 10.

Ioan. Ferus.

Non obfuit, sed profuit fidei tyrannorum persecutio.

Deus

Digitized by Google

Deus opera ſua promouet: moxq; multa conſimilia ſcripturæ loca adducit: *Sic filij Iacob impedire volentes id, quod Deus ordinauerat de ipſo Ioſeph, ipſum uendiderunt in Ægyptum: verùm hoc pacto Dei ordinationem promouerunt: id quod Ioſeph ipſe teſtatur: Vos, inquit, cogitaſtis de me malum, ſed Dominus conuertit in bonũ. Sic Nabuchodonoſor ardẽti camino uolẽs exterminare fidem unius Dei; hoc ipſo facto fidem eandem promouit, ut omnibus pateret ueri Dei uirtus: quod & ipſe teſtatus eſt dicens: Benedictus Deus Sidrach, &c. Sic diabolus ſæpè per ſua membra Iudæos diſperſit inter gentes, ut uel ſic ueram fidem eradicaret; ſed eò latiùs fides ipſa ſpargebatur etiam inter gentes, quemadmodùm Tobias dicebat; Idcircò diſperſit uos Deus inter gẽtes, quæ ignorabant eum, ut enarretis mirabilia eius; Sic diſcipuli qui in perſecutione Stephani diſperſi erant. Sic Deus peruerſa uoluntate impiorum utitur ad gloriam ſuam, & fidelium ſalutem.* Hæc ipſe. Quibus non minùs ſuſè quàm ſeriè Dei ſapientiam in diaboli tela contra eum retorquendo, oſtendit.

Peruerſa Impiorum voluntate ad gloriam ſuam, fideliumq; ſalutem vtitur Deus.

7 Perſubtilem quæſtionem mouet Rupertus Abbas lib. 3. in Exod. cap. 12. ad quod tempus referri debeat illa tentatio, de qua Exodi 16. *Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non*, ſtatimq; ſoluit, ad Euchariſtiæ inſtitutionem referri debere, dicendo: *Vt de ſpirituali cibo, & potu tentaremur æquũ eſt.* ſed ipſa ſua ſolutione grauiùs animum pulſat, ad quid noua iſta tentatio, ſi dæmonum tentationes ſatis ſunt? An ſupra id, quod poſſumus nos tentari patietur iuſtus Iudex? Abſit ſimilem cogitari blaſphemiam: cur igitur tentationibus tentatio additur? At certè, non hac tentatione noua augetur, ſed illa diaboli antiqua minuitur, immò omninò ſuperatur. Si Protoplaſti credulitate ſe, noſq; omnes proſtrauerunt, tunc ſcilicet quando diabolo magis, quàm Deo credentes, illius ſuggeſtioni diuinitatem promittentis aſſenſerunt: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocumquè die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij*, Gen. 3. dignum, iuſtumq; erat, vt nunc Chriſto ſeipſum ſub panis, & vini ſpeciebus offerenti, ſuiq; ipſius ſimilitudinem promittẽti pluſquàm dæmoni fidem præſtaremus; vt ſic credulitate credulitas vincerctur. Aduoco Rupertum: *Tentatus eſt enim homo à diabolo, & uictus eſt: tentetur à Deo, vt illius tentatoris fraudem vincat, & tali antidoto iuxtà naturam morbi competẽtèr vitæ ſuæ ſubueniat. Tentati, inquam, ſunt primi homines à diabolo dicente: Comedite, & eritis ſicut Dij, & crediderunt ei pluſquàm Deo, dicenti: In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. Proinde tenetur a filio Dei dicente de pane, & vino. Comedite hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, comedite & eritis ſicut Dei; & credamus uerbo eius plus, quàm oculis noſtris carnalibus, et ità credulitatem parentum noſtrorũ, pia credulitate in nobis euacuemus.* Audis quàre æquum erat nos de ſpirituali cibo tentari; *Vt ità credulitatem parentum noſtrorum pia credulitate in nobis euacuemus.*

Exod. c. 16.

Rupert. Abbas.

Geneſ. c. 3.

Rupertus.

Euchariſtiæ Sacramentũ quare inſtitutum?

8 Antehac non poteram non mirari; cur Spiritus Sanctus, qui ſuper Saluatorem in columbæ ſpecie apparuit, ſuper diſcipulos in linguæ, & linguæ igneæ figura videri voluerit? *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Act. 2. nunc autem diuinæ Sapientiæ in pugnando contra dæmonem adinuentiones noſcẽs, facilè myſterium colligo; quòd ſcilicèt, ideo in igneæ linguæ figura apparere voluerit, vt per hanc linguam, ſerpentis linguam inobedientiam ſuggerentem priuaret affatu: & per ignem, transfuſi in nos veneni frigiditatem extingueret. Meũ non eſt hoc, quod dico, ſed Edmundi Archiepiſcopi Cantuar. qui cap. 22. hunc dicit in modum: *Iſta fuit certa prouidentia Dei noſtri, quia duobus modis venit malignus Spiritus ad hominem decipiendum in Paradiſo, ſcilicet, per malum incitamentum ſuæ linguæ, & per frigiditatem ſui veneni; & ideò venit Spiritus ſanctus in lingua contra incitamentum diaboli, & in igne ad deſtruendã frigiditatem ſui veneni.* Ecce quomodò iuxtà morbi naturam tribuitur medẽ-

Act. c. 2.

Edmundus.

Spiritus ſãctus in igneę linguę figura apparuit, vt indè veniret medela, vnde noſtris inſeratur.

de la, vt vndè mors oriebatur, indè vita veniret.

9 Non multùm distat à modò dictis de Spiritu Sancto, Gorrani obseruatio super verba illa Marci 7. *Misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius.* quòd videlicèt propterea auditũ, & affatum surdo, & muto per aurium aperitionem, & per linguæ tactum largiri voluit Christus; quia si auris, & lingua ruinę extiterant instrumenta, medelæ esse debebant principia: *Quantùm ad modũ curationis nota*, ait allatus Gorranus, *quòd iuxtà modum prænaricationis primi hominis, introducitur modus curationis surdi, & muti hominis, idest, humani generis. In prima enim prænaricatione fuit peruersitas auditus, quando dixit diabolus: Eritis sicut Dij Genes. 3. Fuit etiam prænaricatio gustus, cùm videns mulier lignum comedit: Contrà peruersitatem auditus, misit digitos in auriculam, nè audiret vocem venefici incantatis sapienter: Contrà prænaricationem gustus, expuens tetigit linguam.* Nec contemnendum est Bernardi dictum, quòd in Centurionem per aures se vita ingessit, iuxtà illud Marci 15. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamas expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat, &c.* quia per aures morti aditus patuit, vt idem esset debitæ pietatis principium, quod impietatis fuerat origo. Præfatus Bernardus ser. 28. in Cant. *Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad vnam expirãtis vocẽ sub tot infirmitatis iudicijs Dominum maiestatis agnouit.* Et statim: *Nunc autem vndè irrepsit morbus, indè remedium intret, et per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis. Auris prima mortis ianua, prima aperiatur & vitæ.* Simile est huic Bernardi cogitatui illud, quod dixit Theophylactus super verba illa: *Blasphemabant eum mouentes capita sua.* Matth. 27. quòd scilicèt, ob id contumelias aure percepit, vt contumeliam in aurem per serpentis suggestionem intrusam extingueret. Theophylactus: *Auribus suscipiẽdo dominias, sanauit serpentis sibilum per aures Euæ ingressum.* Concordat etiam, cũ prætatis Michaelis de Palatio obseruatio, quòd non ob aliud sub ficu visus dicitur Nathanael, *Vidi te sub ficu.* Io. 8. nisi quia, si fici amictus transgressionis extitit signũ, ficus Nathanaelis tempore pietatis, & gratiæ esse debebat indicium: *Legimus*, ait prætatus Michael; *ex fici foliis consutis perizomata sibi fecisse primos parẽtes, vt verenda tegerent, & ex ficu decerpsisse ficũ Euam, vndè pernicies traducta est in posteritatem. Nunc autem sub ficu visum esse Nathanaelem à Domino, si ad mysticos referas sensus, esse denotabat eundem sub diuinæ misericordiæ protectione: & fructus beatitudinis esse tandem obtenturum.* Tandèm pro hoc instituto Basilium percurre in hom. 28. ex varijs tom. 1. quæ est de humilitate plura ibi dicẽtem. Nec omittas Origenem hom. 3. in Ieremiam, & Chrysostomũ hom. 22. in cap. 2. epist. ad Hebr. tom. 4. Lege itidem Rabanum in catena citatum super illud Matthæi 12. *Extende manum tuam.* Nec deniq; inuisam relinquas expositionem loci illius: *Virga directionis, virga regni tui.* psal. 44. à Iulio de Palacio super cap. 27. Matthæi allatam.

Marc. c. 7.

Gorranus.

Morti via, vitæ facta est aditus.

Marc. c. 15.

Bernardus.

Auris mortis ianua prima aperitur & vitę.

Matt. c. 27.

Theophyl.

Serpenti filio ex russi Christus blasphemias auferendo.

Ioan. c. 1.

Michael de Palatio.

Cur Nathanael sub ficu visus dicatur?

Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Luc. 7.

§. III.

Parentibus nunquàm satis rependimus.

1 LAtet sanè diuinum mysterium, quòd Saluatoris iussu non tantùm rediuiuus, qui ad sepulchrum ducebatur, surgat adolescens; verùm quòd matri etiam tribuatur, dicente Euangelista: *Tradidit illum matri suæ.* Ioan. 7. sacramentum magnum est, latens autem nequaquàm, nàm si filij propterea genitorum appellantur baculi, iuxtà illud Tobiæ 5. *Baculum senectutis nostræ tulisti*; quia eorum regere de-

Ioan. c. 7.

Tobias c. 5.

bent

Lyranus.

Liberi cur parẽtum baculi nuncupati?

Greg. Niſſ.

Beda.

Auſonius.

Quintilian.

Nullq; parẽtibus tãtum ſoluimus, quantum ab eis accepimus.

Libanius.

Pietatis erga genitores exemplum notatu dignißimum.

Ambroſius.

Ingens Genitricũ prò filiis ſolicitudo.

Leuitic. c. 24.

Exod. c. 21.

Digitized by Google

rius æstimatur iniuria. Vnde Origenes homil. 11. in cap. Leuit. 20, *Primò tibi pater Deus est, qui genuit spiritum; secundò tibi pater est, carnis pater: si deseruerit patrem carnalem, huius contumelia ad patrem spiritus redit.* ob id etiam (vt opinor) morte eadem vterq; mulctatur, vt per hoc qualis patribus sit exhibenda pietas, & ad quem gradum eorum debeat peruenire reuerētia, intelligeretur. Ità Cyrillus super c. Ioa. 19. cū ait: *Re ipsa parētes esse honorādos ostenditur, æquali in supplicio Deum blasphemantes, & parentes paruipendentes puniri lex statuit. Morte moriatur, qui nomen Domini nominauerit, id est, in Deum blasphemauit; & similiter qui patri, vel matri maledicit, morte, inquit, moriatur.* Vt igitur pœnæ grauitate, officij erga genitores magnitudinem metiremur, eadem pœna vterq; maledicens afficitur.

Origenes.

Cyrillus.

Deum blasphemantes, & parentes paruipendētes eadē pœna lex plecti iubet.

3 Quamuis contra Iacob ira ferueret Esau, vt tamen illum, à quo se benedictione spoliatum agnoscebat, vita spoliaret, patris expectabat obitum: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Genes. 27. quam rem stupet D. Bonauentura & ait: si Esau agrestis erat & ferus, cur non illicò fratrem occidit, sed patris obitum expectandum existimauit? An patrem senem, cæcutientem, mortiq; propinquum timebat? Ità prorsùs, ait præfatus Bonauentura in cap. 26. Bibliæ paup. sed timor erat reuerentialis. Audi ipsum: *Licèt Esaù esset malus homo, reprobatus à Deo, & odio haberet fratrem suum Iacob: nolebat tamen occidere ipsum viuente patre suo Isaac. Vnde dicebat: Venient dies luctus patris mei.* En quomodò quamuis scelestus non patris vires, sed patris offensam timebat, & quis scit si aliqualiter præscius, quòd parentes inhonorantes longæui super terram esse non possunt.

Genes. c. 27.

Bonauent.

Etiam scelesti genitoribus exhibēt reuerētiam.

4 Verùm hanc si Esau ergà patrē reuerentiam ostendit, quam ergà progenitores suos pietatē pijssimus Dauid ostendere debebat, qui inimicos antè præceptum tàm ardenter diligebat? Audi ipsum ad regem Moab dicentem: *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.* 1. Reg. 22. Et cur ti quoq; apud eundem non manes? An nequitiæ Saul non recordaris? Si non genitores tuos, sed te interficere quærit, cur illorum saluti consulens, tuam negligis? An quia post Deum, ante omnia alia parentum cura te tenet? Ità Lyranus: *Per hoc autem, quòd Dauid fugitiuus, & in periculo sui corporis, & eorum qui erant secum, ante omnia quæsiuit parentibus suis securitatem mansionis; ostendit quantum de parentibus sit curandū.* Obliuioni nūc detur Esau, qui honorem solummodò patri impendens, fratri, ipso viuēte, parcebat; nàm Dauid nec suæ, nec suorum vitæ discrimina curans, parentibus tantùm consulere satagebat.

1. Reg. c. 22

Lyranus.

Qualē liberi parentū curam habere debeant?

5 Distat parùm ab hac Dauidis pietate illa, quam erga patrem ostendit Iudas, Beniamin videns à Iosepho in seruum pro apparenti scyphi furto retineri, quùm ait: *Manebo itaq; seruus tuus pro puero in ministerio Domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.* Genes. 44. vbi Oleaster: *Pulchrè locus iste docet, quàm sit cauēdum filijs patrem tristitia afficere, maximè senem.* Lyranus præterea notatu satis dignum existimat confidentiam, quam in tali petitione facienda ostendit Iudas, dicente paulò antè scriptura: *Accedens autem propius Iudas, confidenter ait: Oro Domine mi, &c.* ibid. si se, suosque fratres furti reos putabat, si Iosephum indignatū censebat, vndè fiducia talis, quòd loco verecundiæ, confidentiam, & loco timoris, spem habebat? Difficultatem idem enucleat Lyranus dicendo: *Quia iste Iudas nullo modo poterat videre anxietatem patris sui, si rediret sine Beniamin, ideò sibi erat consulendum, ut remaneret in seruitute pro ipso, & maximè cùm esset aptior illo in omnibus operibus.* Patentiùs ac si diceret: si pro se oraſſet, diffidere vtiq; debuisset; verùm quia debita pietatis patri soluebat officia, plùs illius solicitudini, quàm propriæ consulens libertati, fiduciam habere debebat, quùm nullus à patre originem ducat, qui quantum patri debeat, non agnoscat.

Genes. c. 44.

Oleaster.

Genes. ibid.

Lyranus.

Parētum solicitudines propriis anteponendæ.

6 Agno-

Digitized by Google

6 Agnouit ſe Saul patris curæ deuinctum, quando ad inquirendas aſinas miſſus, plùs patris ſolicitudinem, quàm iumẽtorum iacturam præ oculis habebat: *Dixit Saul ad puerum ſuum qui erat cum eo: Veni, & reuertamur, ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſolicitus ſit pro nobis.* 1. Reg. 9. *In hoc apparet,* inquit Carthuſianus, *bonitas Saul, immò et prudentia eius, quòd patris ſui dolorem ueriſimiliter æſtimauit, et ei cõdoluit*, verè tunc probus, meritò tunc laudatus: Aſt ſic tranſitoriè prætereũdum nõ puto, quòd Samuel in regem Saul vngere volens, non diù illum retinuit, ſed ſemel tantùm ſecum pernoctare fecit: *Aſcende antè me in excelſum, ut comedatis mecum hodiè, et dimittam te manè.* 1. Reg. 9. quod re præſtauit, nàm vix erumpente aurora illũ dimiſit: *Cumq; manè ſurrexiſſent, et iam eluceſceret, uocauit Samuel Saulem in ſolario, dicens. Surge, & dimittam te.* ibid. quia gubernandi rationem, regni leges, modum ſe in tanto onere gerendi, à quo bone Deus addiſcere poterat, ſi hæc à quo vngebatur, non accipiebat? At ideo id à Samuele factũ exiſtimo, vt faciliùs Saulem ſecum aliquantulùm retineret, quia ſi diutiùs illum retinere voluiſſet, prorsùs renuiſſet Saul, vt ille, qui ad patrem redeundi, nè eius abſentia angeretur, nimio deſiderio tenebatur; nè igitur cõuiuium recuſaret, manè eſſe dimittendum ſpopondit: *Rationabiliter .n. verebatur ingerere patri maiorem ſolicitudinem, ex nimia mora*, ait Caietanus. Vides quãtum de patre cũrabat Saul, qui nè illum aliquantulùm commoueret, etiam cõuiuij capita recuſaſſet. Quod clariùs expreſſit Toſtatus: *Hoc dixit Samuel ad obuiandum reſponſioni, quam daturus eſſet Saul: nolebat .n. Saul iam affligere Patrem ſuum: intelligebat .n. quòd Pater idm dimitteret aſinas, & ſolicitus eſſet pro eo, vt patet ex ſuperioribus, ideò feſtinanter reuerti volebat; ſi autem Samuel dixiſſet ei ſolùm, aſcende in excelſum, vt comedas mecum, puta, et Saul, quòd aliquot diebus eum detinere volebat, & quia hoc eſſet graue patri ſuo, Saul non conſentiret aſcendere: ideò excluſit hoc Samuel, dicens, & dimittam te manè, ſolices non morabor. ſe per aliquot dies, ſed immediatè expediam.* quæſt. 12.

1. Reg. c. 9.

Carthuſian.

1. Reg. c. 9.

Ibid.

Caietanus.

Progenitores nec minima ſunt afficiendi triſtitia.

Toſtatus.

7 Nec ſatis natorum ergà progenitores officia hucuſque dicta declarant, declarabunt autem dicenda, videlicet, quòd nec vitæ ratio eſt habenda, vbi genitorum extat vtilitas, vel auctoritas: quod dictum ſatis Iſaac obedientia probat, nàm licèt patrem ſobolẽ immolare, nouum ei videretur ſacrificij genus; attamen genitori eum liganti, ſuper lignorum ſtruem eum ponenti, gladiumq; ad ſui occiſionem eleuanti nil prorsùs contradixit, immò nil dixit, vt videre eſt in cap. 22. Geneſ. quia ſciebat, vitam ipſam parentibus deberi. Ità Ambroſius lib. 1. offic. cap. 17. tom. 4. *Erat Iſaac Deum timens, vtpotè Abrahæ indoles, honorem deferens patri vſq; adeò, vt aduersùs paternam voluntatẽ nec mortem recuſaret.* Sic ipſe, qui lib. 3. offic. cap. 12. circa finem virginis illius extollit pietatem, quæ patrem ob votum ingemiſcẽtem audiens, *Heù me, filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui os meum ad dominum, & aliud efficere non potero*, iudiciũ. c. 11. mortem ſubire nõ timuit, vt patris leuaret dolorem: *Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumq; pollicitus es, conceſſa tibi vultione atq; victoria de hoſtibus tuis.* ibid. Verba autem Ambroſij ſunt: *Ingemiſcenti patri ait: Fac mihi, vt eximat de ore tuo. Sed ſpatium poposcit duorum menſium, ut cùm æqualibus conuentum ageret in montibus, quæ uirginitatem eius prædeſtinatam neci pio affectu proſequerentur. Nec fletus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Redijt ad patrem, quaſi ad uotum rediret, et uoluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu ſpontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis ſacrificium.* Hucuſq; Ambroſius. Verùm pro eadem re videndus eſt Hieronymus, in epiſtola 12. de honorandis parentibus, vbi dicit, quòd vltimus natu ex Machabæis, nedùm vt legi potiùs, quàm regi obediret, verùm vt matri etiam pareret dicenti: *Peto nate, ut aſpicias ad cælum, et ad omnia quæ in eis ſunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus: ità fiet, ut non timeas carnificem iſtũ; ſed dignus fratribus tuis effectus particeps,*

Ambroſ.

Pro genitoribus nec vitę parcendũ à natis.

Idem.

2. Machab. 7.

ceps, suscipe mortem. 2. Machab. 7. mortem pro nihilo duxit. Præfatus Hieronymus: *Imitamini filium Machabæũ, qui matri mortem suadenti seruiuit, et durum imperium gratanter aggressus est, ne offenderet genitricem. Maluit fratrum sociari funeribus, quàm uoluntati matris obsistere?*

Hieronym.

Ne matris uolũtati obsisteret, mortem bonus filius subiit: & non metuit.

8 Linquo cæteros, & ad pietatis magistrum præteruolo, illumq; è cruce pendentem, ac in supremo spiritu constitutum matri dicentem audiẽs: *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. c. 19. non possum, non dicere: si nunc te virum dolorum, & scientem infirmitatem agnoscis, dùm doloribus à vertice vsq; ad plãtam repleris, & à patre etiã si in cruciatuum mari te derelictum dicis, & denique si magna est velut mare contritio tua, nec est qui medeatur tibi, cur tui, ac si immemor prorsùs, matri tantùm consulere studes? An quia tormentorum, & diaboli victor plùs genitricis, quàm propria efficeris cura? Ambrosij fuit sententia, qui lib. 10. super cap. Luc. 23. post longam de re hac dicendi seriem, tãdèm concludit: *Habemus igitur pietatis magisterium. Doceat lectio quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reuerentia filiorum: ut illæ se offerant in filiorum periculis; illius amplius solicitudo materna, quàm suæ mortis mœstitia sit dolori.* Vides quomodo pluris putauit matri prouidere, quàm sibi, dùm plus illius cura, quàm proprio torqueretur dolore. Vndè non otiosè obseruauit Cyrillus, quòd non priùs potum quæsiuit, quàm matris egestati consuluisset: quod expressè docet Ioannes, qui descripta cum genitrice, & cum discipulo locutione immediatè absque vllius prorsùs alterius verbi interpositione subdit: *Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dixit: Sitio.* ibid. ac si diceret: non priusquam matri debitum pietatis solueret officium, de se, suæq; sitis remedio cogitauit, sed postea; quia plùs matris destitutione, quàm proprijs angebatur doloribus. Non abest Cyrillus: *Prouidit matri, quasi parùm de magnitudine doloris sui curaret.* Quis patribus, quibus vitam debet, contemnet officia, si Christus haud-

Ambros.

Plus Christum solicitudo materna, quã mortis suæ vexabat mœstitia.

Ioan. c. 19.

Cyrillus.

Christus in Cruce prius matri, quàm proprijs consuluit egestatibus.

quaquàm rebus suis antequàm matri prouideret, consulere voluit?

9 Sunt, qui dicunt, non deesse filios paternorum beneficiorum immemores, qui nullam de eis curam habent, nullam illis exhibent reuerentiam: at apud me satis est ratum, vix vnquàm huiuscemodi filium reperi: & si quotidianos opponis euentus, facilè respondeo, spurios hos esse, non filios, nàm vix adeò ferrea esse possunt sobolis viscera, vt ea progenitorum non emolliant egestates: moriar, nisi apertissimè de hoc Ionathæ Dauidẽ defendẽti obiecit Saul, cũ ait: *Fili mulieris uirum ultrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ?* 1. Reg. 20. & non ob aliud sanè illum filium mulieris adulteræ vocat, & se nullatenùs ipsius patrem nominat, sed tantùm de matre, & illam ignominiosam vocans, mentionem facit: *In confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ:* nisi quia nil illum de sua solicitudine solicitum videbat. Audi Glossam ordinariam rem apertissimè confirmantem: *In confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ. Quasi dicat: amas inimicum meum aduersùs me, in quo adulterino te conceptum concubitu, nàm legitimè nati arctiùs amant patrem.* En quomodo adulterinum Ionatham vocat, quia pro innoxio Dauide loquebatur: quod & si temerè de Ionatha, qui iustitiã tuebatur partes diceretur; iustè spuriorum sortiuntur nomina, non liberorum, qui patrem ardenter non amant, viceſque illis non reddunt. Vndè consueta dicendi eloquentia Chrysologus serm. 10. *Reuera filium se nescit, uisceribus caret, naturam negat, qui auctorem uitæ suæ non obsequijs placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.*

1. Reg. c. 20

Glos. ord.

Adulterinus qui patrem ardenter nõ amat.

Chrysolog.

10 At quid ingratos liberos adulterinos appello? Irrationabilibus etiã peiores si dixerim, non à vero me deuiare existimabo; nàm quod illa nulla stringente lege efficiunt, ipsi legibus deuincti efficere multoties negligũt. Optimum est ad rem hanc, quæ de Ciconijs narrat Ambrosius lib. 5. exa. cap. 16. tom. 1. cuius verba ad natorũ ingra-

Digitized by Google

ingratorum confuſionem, qui nec hominum, nec auium; ſed beſtiarum nomina merentur, fusè adduco: *Quàm verò rationabilium excedat pietatem, ac prudentiam auis huius clementia, conſiderandum, nam depoſiti patris artus per lõgauum ſenectutis plumarum tegmine, alarumq; remigio nudatos, circumſtans ſoboles pennis proprijs fouet. Et quid dicam, collaticio cibo paſcit, quando ipſa etiam reparat naturæ diſpendia, vt hinc, atq; indè ſubleuantes ſenem, fulcro alarum ſuarum, ad volandum exerceant, & in priſtinos vſus deſueta iàm reuocent pij parentis membra? Quis noſtrum leuare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſſum ſenẽ ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis vt pius ſit: non hoc ſeruulis mandat obſequium? At verò auibus non eſt graue, quod pietatis eſt plenum: non eſt oneroſum, quod ſoluitur naturæ debito. Non recuſant aues, quos non ſcripta, ſed nata lex ſtringit paſcere patrem, quod etiam præſcripta neceſſitate ſub terrore pœnarum plerique hominum recuſarunt.* Non amplius ad formicam, ſed ad aues ingrata vadat ſoboles, vt percrebeſcentibus gratiæ naturalis officijs, quænam parentibus ſint præſtanda, addiſcat.

Ambroſ.

Liberi ingrati irrationabilibus peiores.

11 Breuitatis cauſa omitto in re hac, quæ pro Rachelis defenſione, quòd ad acceſſum patris non ſurrexit, dixit Ambroſius lib. 2. de Iacob. & vita beata. cap. 3. tom. 1. Et quæ de Oza ob patris inobedientiam percuſſo, dixit Hieronymus lib. quæſtionum in Paralip. tom. 3. Nec immoror in Sem, & Iapheth reuerẽtia erga patrẽ exhibita, de qua Ambroſius tom. 1. lib. de Noe, & Arca: ſed tantùm dico, quòd ſi benedictiones Ioſeph patrum benedictionibus tam firmatæ ſunt, iuxtà illud: *Benedictiones patris tui confirmatæ ſunt benedictionibus patrum eius.* Geneſ. 49. quia ob grates patri repenſas eas accepit, vt ait Theodoretus quæſt. 109. ſuper Geneſ. *Hanc prouidentiam conſequutus eſt, recipiens mercedem obſequij ſui erga parentes.* qui parentibus pietatis iura non ſoluit, vel (quod peius eſt) illos aliquo inhonorat modo; idem prorsùs dedecus, eandemq; impietatem à liberis ſuis expectet: quod ſeni cuidam cæco, quem filius nuptiarum ſuarum tempore (iuſto Dei iudicio ob ſimilem ab eo impietatem auo ſuo factam) extra domum ducere volebat, accidiſſe, ſequentibus verbis deſcribit Bernardinus Senenſis to. 3. ſer. 2. ſecunda parte principali in Dom. 2. Quadrag. *Cùm adoleſcens quidam ſponſam ducere vellet, patrem ſenẽ, ac cæcum extra domum duxit, & cùm nõ parum ambulaſſent, quæſiuit pater: quò me ducis fili? & filius dicebat: venias mecum, quia citò erimus ad locum, & tãdèm oportuit patrem pauſare, quia grauabatur ſenio, & filius duxit eum ſuper vno lapide magno ſecùs viam, & pater ibi quieſcens, ait: dic mihi quæſo fili mi, quò me ducas: cui dixit: ego hodiè facio nuptias, & vos eſtis cæcus, & incommodus in domo, ità quòd venientes ad nuptias vos abhorrebunt, & deludent; ideò putaui vos ponere in hac Eccleſia vſq; ad occaſum, & poſtea veniam ad vos. Tunc pater clamando ait: O vera & digna Dei iuſtitia! memini fili mi, quòd ſimiliter feci patri meo, quando duxi matrem tuam, & duxi eum per iſtam viam, & ad iſtam Eccleſiam, & pauſauit ſuper hoc lapide, ſicut & ego: Ideò benefacis fili mi ſatisfacere mihi eo pretio, quo ego ſatisfeci patri meo; ſed nunc tibi ſignifico, quòd poſteris tuis relinquam, vt ſimiliter tibi faciant, ſicut tu mihi feciſti: quod audiens filius exteritus magnam Dei iuſtitiam contemplando, reduxit patrem ad proprios lares, & ipſum ad nuptias primum in menſa locauit, vt decuit.* Sic Bernardinus, qui plurima ibi ad tuam doctrinam enarrat exempla.

Theodoret.

Geneſ. c. 49

Bernardin. Seneſ.

Parentes in honorantes ijſdem aſſimiles ſolẽt, quibus ipſi patres affecerunt.

Digitized by Google

Propheta magnus surrexit in nobis: & quia visitauit Deus plebem suam, Luc.7.

§. IV.

Adolescente ad vitam reuocato, propheta magnus Christus proclamatur; quia ad honorum culmina mortuos suscitantes, uel saltem propè accedentes euehi debent. Deq; eligendi formula.

1 ESau lacrymæ, gemitus, & vlulatus fandi initium mihi tribuunt, cùm ipsis, benedictionis loco, seruitutis statum eum obtinuisse perspiciam; *Genes.c.27.* *Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Genes. 27. qui nouus benedictionis ritus, & si primo intuitu, maledictio potiùs, quàm benedictio videatur; Ambrosius nihilominùs non vulgare existimauit beneficium, nec modicam Esau appellauit benedictionem, quòd fratris seruitio fuerit addictus, quia summum officij existimandum est genus, bono, sanctoq; Præsuli subijci. Citatus Ambrosius lib. 2. de Iacob. & vita beata cap. 3. *Esau ut benediceretur, cogẽdo elicuit & impetrauit; sed eam benedictionem, quæ cum Superiore congrueret, & conueniret, ut seruiret fratri suo.* Quam beneficij summam agnoscens etiam Bernardus, dicere consueuerat, quòd sicut inuento thesauro, nulla omittitur sedulitas, quin humeri ad illum asportandum supponãtur; sic bono, idoneoq; ad regendum reperto, nulla debet prætermitti violentia, quousq; virum talem super caput nostrum imponamus; Cuius verba sunt: *Nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono, vtilique pastore: proindè sicubi talis reperiatur, confestim injicienda sunt manus, & totis uiribus satagenduꝫ, nè qua ui, nè qua arte promotio valeat præpediri.* Quod adamussim in Traiani electione ad principatum accidisse narrat Plinius iunior in quodã panegyrico in laudem ipsius Traiani habito, in quo ipsum studijs, clamoribus, & vi populi ad imperij regimen fuisse euectum, sequentibus verbis testatur: *Recusabas n. imperare, recusabas, quod bene erat imperaturo: ideò cogendus fuisti.* Nec mirum, quòd tot artibus, immò violentijs, illum erigendo, sese subiugare studerent, quia Platone fortè dixisse sciebant, beatas illas esse vrbes, in quibus Philosophi regnant, & reges philosophantur. Quod præcitatus Plinius paulò antè allata de Traiano asseuerat, dùm dicit: *Quid n. præstabilius est, aut pulchrius munus Deorum, quàm castius, & sanctius, & Dijs simillimus princeps?* Rationem postea, cur subesse, maxima benedictio, immò summum Deorum munus vocetur, ijdem afferunt Plinius, & Ambrosius, quorum hic loco supra citato de Esau benedictione sic subdit: *Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere; seruire debebat, ut à prudentiore regeretur. Neq; enim S. Patriarchæ fuit, ut filium suum degenerj conditioni seruitutis addiceret, sed ut bonus pater cùm duos haberet filios, vnum intemperantem, sobrium alterum, quò vtriq; consuleret, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire: quia insipiẽs non potest voluntarius virtutis esse discipulus. Rectè ergo eum subdidit, vt regentis imperio suum melioraret affectum.* Alter verò ideo rẽpublicam ad Traianum confugisse asserit, quia ruinæ proximæ eius erectionem per ipsum sperabat. Vndè subdit: *Nescissemus quãtum tibi deberet imperium, si antè adoptatus esses. Expectatum est tempus, in quo liqueret, non tàm accepisse te beneficium, quã dedisse. Confugit in sinum tuum concussa respublica, rnensq; imperium super imperatorem, imperatoris tibi voce delatum est.* Quis igitur modicum Dei beneficium bonum principem appellabit, si ipse populum tuetur, Magnates fouet, occidentiq; reipublicæ consulit: Cuius rei benè cõscius Ezechiel compendiosè Tyrum extollit, dùm à probis gubernari asserit: *Sapientes tui Tyre, sunt gubernatores tui.* cap. 27. Vbi Hector Pinctus: *Effert laudibus Tyrum, quòd viros eligeret sapientes, à quibus gubernaretur. Eligendi sunt sapientes ad rẽpublicam gubernandam, qui eam conseruent,*

Ambros.

Bono Præsuli subesse sũmũ æstimandum est officij genus.

Bernard.

Plinius.

Beata Vrbs in qua philosophi regnant, & reges philosophantur.

Idem.

Ambros.

Plinius.

Summũ reipublicę munus idoneus princeps.

Ezech.c.27

Hect. Pinct.

Digitized by Google

uent, qui intercludant omnes ſeditionum vias, qui ſi eam viderint labefactari, valeant opem ferre Patriæ, ſuccurrere communi omnium ſaluti, & occidenti reipublicæ opitulari. Et hæc eſt ratio, cur ſummoperè ſit inuigilandum, vt non niſi virtute præſtantes, immò miraculorum effectores (ſi inuenirentur) eligendi ſint: quia ex eorum probitate tota pendet ſubditorum vtilitas, & reipublicæ firmitas; vt dixit Petrus Bleſenſis epiſt. 95. *Sanè conſtituendi ſunt iudices populorum, quos vita purior, & eminentior prudentia præ cæteris illuſtrant: nàm reuerentia, & auctoritate præſidentium, vita temperatur in ſubditis.* Quod fortè rudis iſta plebecula noſtra, vt Saluatorem mortuum ſuſcitantem vidit, ſtatim prophetam, magnumq; proclamauit; vt eorum imperitia, quæ ſerò, & minus quã par erat, Chriſti ſanctitatem agnouit, noſtra eſſet eruditio ad neminem in prælatum deligendum, niſi quem vitæ probitas iàm commendat, & ſanctitas; iuxtà illud Ieremiæ 1. *Antequàm exires de ventre, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* vbi Vgo Card. *Sanctificaui te, id eſt, ſanctum te vidi, vel agnoui; & tunc prophetam in gentibus dedi te: quia non debet prædicator, vel prælatus inſtitui, niſi qui prius ſanctus eſt.* De quo argumento hac noſtra tempeſtate fusè eſſet diſcurrendum, verùm breuitatis cauſa, ex multis, quæ adduci poſſent, potiora ſat erunt.

Pet. Bleſen.

Auctoritate præſidentiũ vita temperatur in ſubditis.

Ierem. c. 1.

Probatus, nõ probandus ad dignitatẽ eligi debet.

Vgo Card.

2. Miraculorum gratiam (ſicuti cæteras gratias gratis datas) non eſſe infallibilis veræ ſanctitatis argumentũ docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 178. art. 1. in corpore: vbi etiam à malis miracula edi poſſe autumat, rationemq; aſſignat: quia hæc non ad patrantis ſanctitatem attestandam fiunt, ſed ad veritatem doctrinę oſtendendam: immò loco citato etiam ab hæretico, inuocato Chriſti nomine, miracula fieri poſſe exiſtimat: quod & ſi renuant cedere aliqui, præfata tamen opinio à Chryſoſtomo, Hieronymo, Euthymio, Theophylacto, Carthuſiano, Vgone Card. Maldonato, aliiſq; non paucis roboratur, aſſerentibus etiam ab hæretico ad inuocationem nominis Chriſti vera edi poſſe miracula. His tamen nihil obſtantibus, idem S. Thomas in 3. p. ſumm. quæſt. 43. art. 1. ob duo præcipuè miraculorum gratiam hominibus concedi aſſerit; ad veritatis ſcilicet confirmationem, & ad probitatis atteſtationem. Cuius verba ſunt: *Propter duo diuinitùs conceditur homini miracula facere. Primò quidèm, & principaliter ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet: quia n. ea, quæ ſunt fidei, humanam rationem excedunt, non poſſunt per rationes humanas probari, ſed oportet, quòd probentur per argumentum diuinæ virtutis; vt dùm aliquis facit opera, quæ ſolus Deus facere poteſt, credantur ea, quæ dicuntur eſſe à Deo. Secundò, ad oſtendendam præſentiam Dei in homine per gratiam Spiritus ſancti, vt dùm ſcilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam.* Vndè & ſi miracula non ſint infallibilia ſanctitatis indicia; probabilitèr tamẽ, atq; moraliter loquendo, ex ipſis cõijcitur illa: Quamobrem Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, militantẽ hãc Eccleſiã gubernãdo, nunquã ab ea alicuius ſanctitatẽ declarari in hoc mũdo permittit, niſi in vita, aut in morte, vel poſt mortem eius ſigna præceſſerint, atq; miracula. Ex quo, quamuis ad comprobandam illius sãctitatem ſatis eſſent virtutum heroica facta, dicente Paulo ad Galat. c. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas;* Sancta nihilominus Eccleſia Dei ſpiritu ducta, nunquam diuorum catalogo vllum abſque miraculorum præuia atteſtatione aſcribere conſueuit. Quo iacto fundamento percõtor: ſi miracula ſanctitatis ſunt ſigna, cur in ſcriptura multis Apoſtolorum deſcriptis miraculis, nullum Virginem Sanctiſſimam edidiſſe narratur? An miracula maiorem in Apoſtolis, quã in Virgine arguebant ſanctitatem? Abſit: & nè in huiuſmodi incidas cogitatum, quo tempore diſcipulis miraculorum ſit conceſſa poteſtas, perquire, & vnà cum prædicationis officio hanc eis facultatem fuiſſe tributã comperies, dicente Matt. cap. 10. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum: Infirmos curate,*

S. Thom.

Miraculorũ gratia cur aliquibus conceſſa?

Miracula an à peccatoribus edi poſſint, expenditur?

Matt. c. 10.

Digitized by Google

curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite: gratis accepiſtis, gratis date. Et ſatis conſultò ſimul, & ſemel vtrumq; iniungitur, quia ſi prędicare, & regere idem ſunt prorſus

Epheſ.c 4. dicente Paulo ad Epheſio. 4. *Alios dedit Paſtores, & Doctores,* in paſtorem eligi nullus debet, niſi qui per miraculorum gratiam ſanctitatis atteſtationem accepit. Quod tangere videtur

Hilarius. Hilarius verbis iſtis: *Tota autem virtutis dominicæ poteſtas in Apoſtolis transfertur, vt qui in Adam imagine, & ſimilitudine Dei erāt figurati, nunc perfectam Chriſti imaginem ſortiantur.* Audi nunc, cur apoſtolorū deſcriptis miraculis,

Ad regimen miraculorū gratia inſigniti eligi debent. Virginis nullum ſcribatur prodigiū, non quia ſanctitate præſtarent, ſed quia (vt pro præſenti inſtituto mihi excogitare fas erit) ad eccleſiaſticam dignitatem, mulieribus denegatam, aſſumebantur: nè igitur indignè ad illam euecti viderentur, priuſquàm regiminis onus ſubirēt, miraculorum gratia decorantur. Huic meo cogitatui D. Thomæ accommodo verba, qui 3.p.q.2.art.5. præfatam ſoluens quæſtionem, rationemque aſſignans cur Apoſtolorum non Virginis ſcribātur

D. Thomas. miracula, hanc aſſerit eſſe: *Quia doctrinæ Chriſti baiuli erant.* Sic ipſe. Ex quo

Cur multorum deſcriptis miraculis, Mariæ nullum ſcribatur? licet inferre, quòd ſi iuxtà aliatam Pauli doctrinam, docere, & paſcere idem ſunt; & quos prædicatores inſtituit, paſtores conſtituit, & vice verſa, meritò ad prædicationem mittendi miraculorum gratia decorantur Apoſtoli, quia ad prælationem erigēdi miraculorum gloria (fieri ſi poſſet) probati eſſe deberent.

3 Inſignis eſt pro, de quo loquimur argumento, quòd miraculorum gloria corruſcare debet, qui præeſt, difficultas à Gomezio mota, ea nimirū: Si à Deo Moyſi data fuerat virga, in qua miracula operari debebat, & ſigna, vt videre eſt in 4.Exodi, cur poſtea coram Pharaone in colubrum cū eſſet vertenda, nō ab ipſo, ſed ab Aarō

Exod.c.7. id effici voluit: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum?* Exod.7. Si æquè id facere potuiſſet Moyſes, cur ab Aaron fieri præcipitur? An quia Aaron vt Sacerdos, populiq; propheta, ac Prælatus miraculis corruſcare debebat & ſignis? Nil aliter præfatus Gomezius:

Gomezius. *In Exodo refertur, quòd cùm Deus dederit prodigioſam illam virgam Moyſi ad miracula facienda, noluit ipſe corā Pharaone eam in terram proijcere, vt in ſerpentem conuerteretur, ſed eandem dedit ſacerdoti Aaron, qui coram ipſomet Pharaone loquuturus erat, vt eam in terram proijceret: quod fecit, vt ſignificaret eum oportere miracula facere, qui tanquam propheta Dei loquuturus erat. In quo ſignificatū eſt, vnumquēq; verbi Dei miniſtrum debere in operando miracula, vel ſaltem mira opera bona facere.* Super illud: *Ego vox clamantis, &c.* Ioan.1. patet itaq; non quacumque virtute, ſed miraculorum gloria Præſules pollere debere.

4 Agitatum à Toſtato quæſitum omitto, cur ſcilicet noluit Deus, vt ad baculi applicationem, puer ille reuiuiſceret, de quo 4.Reg.4. ſed Eliſei tactū expectauit, & preces: ſi ad ſolius baculi contactum abſq; Eliſei induſtria, ac opera puer fuiſſet ad vitā reuocatus, magis eius emicuiſſet potentia, ad quid prophetæ expectatur aduentus:

4.Reg. c.4. *Incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri* loc.cit. Quia (vt opinor) non tam ad ſuæ potentiæ oſtenſionem, quàm ad Eliſei ſanctitatis comprobationem puer reuocabatur ad vitam; ideò abſq; Eliſei p̄ſētia inaniter omnia fiebant: nec aliter ſanè fieri debebat, nàm ſi Eliſeus populi erat doctor, & rector, miraculorum gloria potiri debebat. En Toſtatus quæſt.50. *In opere miraculorum Deus volebat, quòd viri ſancti ueteris teſtamenti per ſe ipſos facerent miracula.* Hæc ipſe. Ego autem omiſſa, vt dixi, hac quæſtione, ſcire percupio: An aliquo Dei ſpiritu prædiți eſſent Darij principes, & Satrapæ, quòd Danielis 6. narratur: *Igitur Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas: quia ſpiritus Dei amplior erat in illo?*

Toſtatus.

Eliſei ſolus baculus mortuum non ſuſcitauit, & quarè?

Daniel. c.6.

Si affirmatiuè reſpōdes, cùm comparatiuè de Danielis ſpiritu loquatur ſcriptura, & comparatio nequaquàm ad ſe, ſed ad alterum fieri debet: vlteriùs quis ſpiritus eſſet, inquiro? Si infideles erant, & impij; quæ conuentio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial? Cęterùm difficultatem Theodoretus exol-

Digitized by Google

exoſbit, dicendo, quòd & ſi pietatis eſſent expertes, ſapientiæ tamen non erant exortes, quia hæc non tã ad ſui, quàm ad ſubditorum vtilitatẽ à Deo conceditur. Audi ipſum: *Spiritus amplior erat in Daniele. Hoc eſt, multò maiorem & copioſiorem à Deo gratiam accipiebat: diſcimus autem ex hoc loco, ijs quibus ad vitam ciuium inſtruendam magiſtratus mandatur, etiamſi pietatis expertes fuerint, quoddam tamen ſapiẽtiæ munus ad ſubiectum ſibi populum gubernandum diuinitùs concedi, idque innuit beatus Daniel, cùm dixit: Quia ſpiritus amplior erat in illo, hoc eſt gratiam pietati proportione reſpondentem acceperat.* Quis poſthac perfectos, immò fieri ſi poſſet, miracula patrantes debere præfici, negare audebit, ſi etiam impijs ad ſubditorum vtilitatem diuinitùs aliquod conceditur munus.

Theodoret.

Etiã impijs principibus ad ſubditorum vtilitatem munus aliquod à Deo conceditur.

5 Cæterùm nè eligendi à miracula patrantibus multùm diſtent, electionis formam (nè in ea decipiamur) tradidit Apoſtolorum princeps, cùm ait: *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Actor. 6. Quæ verba trutinans Carthuſianus, mirabilem ex illis eligendi normam collegit, dicẽdo:

Actor. c. 6.

Eligẽdi formula.

Carthuſian. *In verbis præfatis notatur ordo in electione ſeruandus. Electio enim primò fieri debet, cum diſcretione, atque concordia; quod notatur cùm dicitur: Conſiderate. Secundò, ex charitate, ideò ſubditur: Fratres. Tertiò, vnus de gremio Eccleſiæ eligi debet; hinc ſequitur: ex vobis. Quartò, qui eligitur, debet eſſe bonæ famæ, propter proximorum ædificationem, idcircò ſubiungitur: boni teſtimonij. Quintò, erit virtuoſæ converſationis quoad Deum, ideò additur: plenus Spiritu ſancto. Sextò, erit in ſcripturis inſtructus, propter quod ſequitur. Et ſapientia. Poſtremò talis debet eſſe, quòd magis cupiat prodeſſe, quàm præeſſe, perpendens ſe potiùs vocatum ad onus, quàm ad honorem; idcircò annectitur: Quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Sic ipſe bonæ electionis enumerat cõditiones, de quibus ſigillatim tandum exiſtimo.

Eligẽdorum cõditiones.

6 *Conſiderate.* Inconſiderata electio nunquàm bona, nunquàm à Deo eſſe poteſt; propterea humana induſtria, humanoque conſilio, proprio lucro, & ambitione ſemota, quis tanto munere dignus ſit, inuicem perquirere debent electores. Ad optimates Samaritanorum, regem ſibi conſtituere volentes Iehu ſcripſiſſe reperio: *Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filijs Domini veſtri, & eum ponite ſuper ſolium patris ſui.* 4. Reg. 10. quibus in verbis haudquaquàm prætereundum puto, quòd nõ perſonarum acceptionem, ſed bonitatem propoſuit: quia ſi bonum appeti minimè poteſt, niſi præcognitum, bonus, idoneuſq; Superior haberi nuſquàm poterit, niſi præuio diligenti examine. Ità Rupertus Holchot. lect. 119. in ſapientiam: *Nota quòd præmittit meliorem, & eum qui vobis placuerit de filijs Domini veſtri: in ſignum, quòd bonitas gratiarum, non acceptio perſonarum debet eſſe cauſa, quare nobis placent:* & paulò ſuperiùs: *Conſiderẽt electores quemdã non hunc meliorẽ vitã, clariorẽ ſciẽtiã:* quod idem erat, ac dicere: non in indiuiduum ſignatum, ſed in indiuiduum vagum inijciendi ſunt oculi, vt non per carnalem affectionem, ſed conſideratè melioris fiat electio: quod optima ſimilitudine idem declarat Rupertus, videlicet, ſicuti Chriſtus Spiritus ſancti virtute fuit conceptus, & abſque vlla matris corruptione natus, ſic qui prælationis gradum conſcendere debet, priùs per Spiritus ſancti inſpirationem in mentibus electorum dignus tali munere concipi debet, deindè abſq; vlla matris, hoc eſt congregationis, ſiue capituli corruptione producẽdus eſt. Audi ipſum: *Forma autem prælatorum eligendorum eſt ipſe Chriſtus, natus ſine matris corruptione. Iſto modo qui debet intrare ad ſtatum prælaturæ, debet concipi in mentibus electorum per Spiritus ſancti inſpirationem, non per conſpirationem diſſolutorum. Debet naſci de matre, quæ eſt Congregatio, ſiue capitulum, cui debet præeſſe ſine corruptione: ita quòd non ſit corrupta prece, vel pretio, vel minis potentium.* Idem prorsùs proſecutus eſt argumentum Vgo Card. ſuper verba illa Ierem. 1. *Priuſquàm te formarem in vtero, noui te: & antequàm exires de vẽtre, ſanctificaui te;* in quibus mirè præſulum cõceptionem, atq; natiuitatem expri-

4. Reg. c. 10

Rupertus Holchot.

Cõſideratè, nõ caſu fieri debet electio.

Rupertus.

Præficiẽdorum conceptio, & natiuitas, quæ?

Ierem. c. 1.

Digitized by Google

Vgo Card. exprimit, cùm dicit: *Priusquàm te formarem in utero, ideſt, in Eccleſia, ò tu Prelate, noui te, ideſt, approbaui te per ſufficientiam vitæ, ſciẽtiæ, & eloquentiæ. Et antequam exires de vulva, ideſt de ſtudio, quod eſt vulua Eccleſiæ, quia ibi dicuntur concipi filij Eccleſiæ. Sanctificaui te, ideſt ſanctum te vidi, uel agnoui; & tunc prophetã in gentibus dedi te.* Qui ſic cõcipitur, ſicq; producitur, alter Ieremias vocari proculdubio poteſt; nam ſi hic, excelſus Domino interpretatur, & ipſe excelſus in dignitate, excelſus in ſanctitate, excelſuſq; in regiminis adminiſtratione erit. Vndè Gloſſa in

Gloſſa. ſenſu morali: *Per Ieremiam, qui excelſus Domino interpretatur, bonus prælatus, uel doctor, uel prædicator ſignificatur. Quilibet .n. iſtorum in gradu ſuo eſt excelſus Domino.* quòd ſi quandoque prophetarũ loco, iuméta producũtur, vt tempore Aaron accidiſſe videtur: nàm vt refert Petrus Comeſtor in hiſt. ſcolaſt. ſuper caput Exod. 32. multi non Aaron vitulum efformaſſe, ſed tantùm aurum in ignem proiecisſe aſſerunt, dæmonis poſtea ſtudio vitulum efformatum autumant; idq; ex verbis illis eiuſdem Aaron coniiciunt:

Exod. c. 32. *Dixi; Quis ueſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egreſſuſq; eſt uitulus.* Exod. 32. de qua re quidquid ſit (nàm alij ab ipſo vitulum efformatum exiſtimant) quod tamèn habetur ex hoc, illud ſanè eſt, quòd præſulis loco plerumq; vitulus dæmonis arte effingitur: & ſi huius cauſam inquires oſtenti, aliam reſpondebo non eſſe, quàm electorum voluntates, ambitionem, atque malitiam, nam hi multoties, ac præcipuè noſtris hiſce temporibus, omni eligendorum vitæ, morum, talentorum, ſcientiæ, naturæ, ac meritorum ratione poſthabita, in proprium tantummodo intendẽtes commodũ, nonnullos promouent, non vt regant, ſed vt, miſeri, regãtur potius: nec aliud in eis requirunt, quàm vndè ab ipſis quid carpant: & ne cogitent, velint, efficiantque quicquam, niſi quod ipſi volunt, promotores, atq; præcipiunt: ex quo huiuſmodi promoti potiùs, veriuſque regi, immò tyrannicè regi, quàm regere dicuntur, cùm ita ex promotorum arbitrio pendeant, vt ab ipſorum nedum iuſſis, ſed & nutu, nec tranſuerſum, vt aiunt, vnguem diſcedere queant: Vndè Daniel. 13.

Daniel. c. 13. *Egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum;* vbi Hector Pinctus. *Aduerte q̃ non ait: Qui regebant populum: ſed qui illum regere videbantur: præclarè quidẽm; nam huiuſcemodi principibus, & pontificibus applicari poteſt illud, quod ait Zacharias 10. O paſtor, & idolum deſtruens gregem. Idolum oculos habet, ſed non videt: os habet, ſed non loquitur: pedes habet, ſed non ambulat: ità nefarius præſes videtur uidere, loqui, & ambulare, ſed nihil minùs.* Mirum igitur non eſt, ſi ab huiuſcemodi ſuperioribus non miracula eduntur, vt ab Apoſtolis, ab Eliſeo, & ceteris ſupra allatis per Spiritus ſancti inſpirationem conceptis, & cõſideratè electis, ſed ſcandala patrantur: quia non ab incorrupta matre, ſed a proſtituta geniti ſunt. Hinc quærenti quandoq; regi Ludouico à quodam, quid eſt, quòd noſtri temporis Epiſcopi, & prælati miracula non efficiunt, ſicuti illi naſcentis Eccleſiæ facere conſueuerant? Illum reſpondiſſe fertur:

Holchot. *Domine, olim tempore primitiuo, electiones Epiſcoporum, & prælatorũ fiebant per Spiritum ſanctum, cuius eſt facere miracula, modò fiunt per reges, & principes, qui miracula facere nõ poſſunt.* Præfatus Holchot loc. cit.

Cur noſtræ tempeſtatis præſules miracula non edant?

7 *Fratres.* Fraternitatis charitate, non propinquitatis affectu fieri debet præſulum electio: Secundam hanc bonæ electionis conditionem docuit me ſanctiſſimus ille vir, qui diuino potiùs ore laudari debuit, quàm humano, Moyſen dico, qui cùm à Deo ſe morti propinquum audiuit, illicò de ſucceſſore deligendo cogitans hunc dixit in modum:

Num. c. 27. *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Num. 27. quæ verba haùd ignoro, non ſecundum aliquorum recẽtiorum translationem ex Hebræo legentium, *Prouideat Dominus ſpiritum omni carni*, debere intelligi: ità vt Moyſes talem habere optaret ſucceſſorem, quòd pene ex carne minimè compoſitus, totus ſpiritus videretur; ſed potiùs vt dicit Origenes,

Digitized by Google

gentes, quòd non ſpiritum abſolutè, ſed ſpiritum Dei præditum ſucceſſorem cupiebant. *Gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit, homini ſcilicet tali, qui habeat in ſemetipſo ſpiritum Dei.* Prætereundum tamen non eſt, quòd cùm alibi Deum ſemper vel fortem, vel magnum, vel mirabilem vocauerit, hic, Deum ſpirituum omnis carnis appellat: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis.* nec ob aliud fortè tali cognomine, hic, Deum nominat, niſi quia de electione agebatur, vt intelligeremus, quòd in ea prius ſpiritus, quàm caro ſit attendendus, & ſanguis: quod factis ipſe oſtendit dum nulla filiorum, fratris, vel nepotum, habita ratione à Deo electionem fieri poſtulabat: Porrò, ait Theodoretus, quæſt. 48. *conuenit admirari prophetam, vtpote qui cum haberet filios fratrem, & nepotem ex fratre, nullum horum ducem præfecit: ſed Deum ſequutus, quem ipſe delegit, ordinauit.* *Prouideat Dominus Deus ſpirituum.* Sexus autem facientes nõ coctis carnibus, ſed crudis comparantur à Philippo de Greue ſerm. 76. verbis ſimilis: *Aquæ ebullientes carnes coquant, carnes plenè coctæ ſanguinem non habeãt admixtum, ſed purgentur à ſanguine: caro non cocta eſt Prælatus, qui ad ſanguinem ſuum, ideſt parentes habent affectiones: hi non ſunt cibus Domini. de his .n. dicitur Geneſ. 9. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis;* quos etiam ſerm. 236. iterum carpit dicendo: *Melchiſedech ſine patre, & matre, et genealogia fuiſſe legitur: talẽ ſe debet reputare Prælatus. Vnde Deut. penult. Qui dixerunt patri, & matri: neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, &c. Sed nullus hodie ſecũdũ ordinem Melchiſedech eſt ſacerdos: quia quibus Deus abſtulit filios, dedit diabolus nepotes, & genealogiam, vt primum promouean, & extendant.* Vnde verſus:

Cùm Pater omnipotens primaſſet ſemine clerum.
Ad Sataną votum ſucceſſit turba nepotum.

De qua re inter cæteros fusè nimis Rupertus Abbas lib. 4. de operibus Spiritus ſancti cap. 10. & Lyranus ſuper 1. Iud. quos perſege, ſi libet.

Origenes. Dei ſpiritu præditi ad honorũ culmina euehũdi.

Theodoret. In electionibus ſpiritum attendere debemus, non carnem.

Philipp. de Greu. Electio non ſecundũ cõſanguinitatis affectũ, ſed virtutum ordinẽ fieri debet.

8. *Viros* Vir debet eſſe, qui præeſt, non mulier; nam niſi virilis ſit præditus fortitudine, à Luporũ incurſibus oues tutari non valebit: Fratres ante Pharaonis conſpectum introducturus Ioſeph, nè quid minus accuratè, quàm decebat, loquerentur, ipſis ſic regis quæſito: *Quod eſt opus veſtrum?* Gen. 46. reſpondendum iniunxit: *Viri paſtores ſumus ſerui tui:* Quæ reſponſio vſquemodò modicam mihi non ingeſſit difficultatem: cur ſe viros nominare deberent, ſi ſatis fuiſſet de officio loqui; quãdoquidem ſexus patebat omnibus? Verùm Vgonem Cardinalem poſtea percurrens, ſatis conſultò ſic reſpondendum fuiſſe intelligo, quia nullus bonus eſt paſtor, niſi qui vir, nõ mulier eſt: & quia paſcendi munus, quo fungebãtur explicare debebãt, prius ſe viros, quàm paſtores appellant, nè malorum paſtorum nomina ſortirẽtur. Adſit allatus Vgo: *Nota ordinem. Prius debent eſſe viri, qui volunt fieri paſtores. Sed heu hodie fœmina facta ſunt paſtores in multis locis. Eſa. 3. Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Viri ſunt, ideſt ſtrenui in bonis operibus, illi ſunt paſtores ouium. Curamq; habent alendorum gregum: ecce cura, & ſolicitudo in cuſtodiendis ſubditis, cũ per Ioãnẽ dicatur: Paſce oues meas.* *Vgo Card.* Bonus Præſul vir debet eſſe, non fœmina.

9. *Ex vobis.* Ex eligentiũ numero, vel ex congregationis corpore, vel ſaltem ex notorum gremio aſſumi, ſecerni, debet eligendus: quia ſi iuxta D. Thomæ doctrinam in 2. 2. quæſt. 63. art. 2. ad 3. & quæſt. 185. art. 3. in corpore, & aliorum Theologorum ſub graui culpa nedum dignus, verùm dignior eſt eligendus; quonampacto abſque comparandorum cognitione fieri poterit comparatio? adſint pro re hac verba illa Iſaiæ 3. *Apprehendet vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, &c. Princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua:* per quæ & ſi eligentium corruptelam inſinuari aſſerat Gloſſa, dum nulla habita meritorum ratione, fraternitati tantùm attenditur: *Hi eliguntur modò, præſidentes in Eccleſiis communiter, ſcilicet ratione propinquitatis, ratione ſanguinis, vel nationis: quod notatur, cùm dicitur: Apprehendet vir fratrem* *Iſaiæ. 3.* Gloſſa. Quorumdã eligentium corruptela.

Digitized by Google

trem suum, in sensu morali: ego nihilominus, non tantùm fratrem, verùm domesticum etiã apprehendi videns: *Domesticum patris sui.* rem in bonum sensum reduco, dicendo: quòd si non frater ratione sanguinis, saltem domesticus ratione notitiæ est eligẽdus, nàm secus deficiente notitia, casu potius, quàm consultò fieret electio. Vndè Bernardus de consideratione ad Eugenium: *Viros probatos oportet deligi, non probandos; Nos in monasterijs omnes recepimus spe meliorandi: & citiùs bonos facilius recipere, quàm facere consuevit.* Hæc ipse: quibus ignotorum electionem periculosam esse, liquidò constat.

Bernardus.

Ignotꝰ haùd quaquã eligendus.

9 *Boni testimonij.* Quòd bonæ opinionis esse debeat, qui eligendus est, satis declarat locus ille actorum 1. *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam*: nã ex hoc satis colligitur, quòd ideo in Ecclesiæ primordijs, in quibus multorum illustrium virorum florebat sanctitas, hi duo præcisè pro Iudæ Episcopatu statuuntur: *Statuerũt duos, &c.* Quia, fortè, horum præ cæteris sanctitatis fama vigebat: quod (vt reor) Ioseph cognomine declarare intellexit Cronista sacer, cùm dixit: *Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus.* quod idem erat, ac dicere: præ cæteris statuuntur hi, quia adeò istorum præcellit fama, vt iusti per antonomasiam vocentur. Immò adeò verum est, quòd odore plurimo famæ bonæ flagrare debet eligendus, vt Christus ipse, qui est Sanctus Sanctorum, qui etiam vt homo ab initio suæ conceptionis summa gratia, & sanctitate plenus fuit, nunquam prædicare inceperit, nisi post Ioannis attestationẽ; quod ex verbis illis Matt. 4. *Exindè cæpit Iesus prædicare, &c.* colligit Chrysostomus homil. 7. super idẽ: *Ex tunc, ideſt, ex quo testificatus est à Ioãne. Nec n. p̃dicare poterat credibiliter, nec textis Patris existere, nisi testificatus fuisset ab eo, vt omnis qui ordinatur ad prædicandum, bonum testimonium habeat à populo, & ab his qui sunt foris.*

Actor. c. 1.

Matt. c. 4.

Chrysost.

Bene audire debet eligẽdus.

Christus prę dicare nõ in cępit, nisi p̃ dicatus, & quarè?

10 *Plenus Spiritu sancto.* Amore maximo erga Deum feruere debet, qui ad dignitatum culmina est euehendus. Mirabatur Petrus, quòd toties à Domino an eum amaret, interrogaretur, vndè non sine animi amaritudine respondit: *Domine tu scis, quia amo te.* Ioann. 21. verùm nihil prorsus miratur Isidorus Clarus, qui ouium curam ei immediatè committi attendens: *Pasce oues meas.* ibid. propterea id factum fuisse optimè nouit, quia nisi amore nimio erga Deũ feruentes dignitatũ culmina cõscẽdere minimè debẽt: *Ter interrogat, ac si apertius dixisset: Nemo debet pastoris officium accipere, nisi charitate cæteris antecellat: quod & tibi faciendum est*: Immò vt subtilius inquit Ambrosius in cap. 2. Lucæ. quia Christus amoris sui vices gerentem relinquere satagebat, amorem amoris vicarij reliquit. Audi ipsum: *Non interrogat, vt disceret, sed vt doceret, quòd elevandus in Cælum, amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat.* Et hæc est ratio, cur Isaias non antequã ignito calculo incenderetur, sed postquam tactu illius totus igneus (vt ità dicam) erat effectus, ad prædicandum mittitur, vt videre est cap. 6. quia, qui non plenè Dei amore exituat, in præsulem eligi nequaquàm debet. Ità Vgo Card. in sensu mystico: *Notãdum est, quòd Isaias priùs purgatur, & postea mittitur ad prædicandum, in quo notatur, quòd nullus debet prædicationis, vel prælationis officium sumere; nisi prius purgatus fuerit: vndè & Dominus priùs insufflauit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum, & postea dixit: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

Ioan. c. 21.

Isidorus Clarus.

Ambros.

Petri amorẽ amoris sui vicarium rẽ liquit.

Vgo Card.

Amore maximo erga Deũ flagrare ad dignitatem eligẽdi.

11 *Et sapientia.* Quali sapientia pollere debeat, qui præest; declarauit Saluator, qui ob id se Solem, discipulosq; lucem nuncupauit, quia illos ad instar radiorum Solis circumquaque mittendo, vndiq, per ipsorum sapientiã errorũ tenebras pellere satagebat. Ità Remigius: *Sicut Sol dirigit radios suos, ità & Dominus, qui est Sol iustitiæ, dirigit Apostolos ad effugandas humani generis ignorantias.* Et quidem nedùm ad errorum nebulas pellendas, verùm ad commissorum sibi vtilitatem sapientia, atq; prudentia multa regentẽ præditum esse oportet: Quod agnoscens Ioseph Pharaoni non vt quemcumq; Aegypto præficeret, suasit; sed

Remigius.

sa-

Genes. c. 41. sapientem & industrium: *Nunc ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti.* Gen. 41. Vnde Antisthenes dicere cõsueuerat: *Sapientia præstare cum par est, qui antecellit alios imperio.* Quod argumentum prosequutus est Carthusianus in cap. 3. Isaiæ art. 10. dum dicit: *Quales n. debeant esse principes, patet ex eo quod Moyses loquitur: Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, & ponam eos vobis principes: Hinc etiam Sapientia 6. dicitur: Rex sapiens populi stabilimentum est.* Hæc ipse. Tu autem si dicta Moysi verba perpendes, omnes supra allatas eligendorum conditiones reperies.

Antisthen.

Carthusian.

Sapientia alios antecellat, qui alios dignitate antecedit.

12 *Quos cõstituamus super hoc opus.* Ad opus, nõ ad quietem; ad aliorum, non ad propriam vtilitatem se electos agnoscant, qui præsunt: vnde ad Prælatos Bernardus epist. 86. *Tene itaque meo consilio quod teneo, mane in quo es, & studе prodesse quibus præes, nec præesse refugedum prodesse potes: quia væ equidẽ tibi si præes, & non prodes: sed væ grauius, si quia præesse metuis, prodesse refugis.* Forma electoribus, norma electis præscribitur; illis nè indignos eligant, istis nè se indignos agnoscentes, electionem subeant, quòd si electorum aliquando incuria, vel quacumq; alia ex causa se electionis muneri impares sentiunt, dicant illud Isaiæ 3. *Ego non sum medicus, & in domo mea non est panis: nolite constituere me principem:* nam quo pacto aliena curare poterit, qui sua negligit? Quomodo aliorum medicus erit, qui propria curare vulnera ignorat? *Ergo*, ait Hieronymus super præfatum Isaiæ locum, *non statim multitudinis quiescamus iudicio, sed electi in principatum, noscamus mensuram nostrã, & humiliemur sub potenti manu Dei.* Sedentes cogitemus prius sumptus nostros, si possumus onus portare, oues tueri, errantes reducere, lassos reficere, & ægros curare: si competunt sumptus, dicamus ad Deum cum S. Martino; *Si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, sin autem, vineam nostram non custodisse dicamus.

Magis prodesse, quàm præesse debẽt Prælati.

Isaiæ c. 3.

Hieronym.

Propriarum virium sum prius cogitare debet, qui ad prælationis onera assumitur.

Digitized by Google

FERIA SEXTA DOMINICÆ QVARTÆ

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius, &c. Miserunt sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Ioan. 11.

§. I.

E domus limine rarò pedem efferre debent mulieres.

1 PEriculosè ægrotat Lazarus, & domi Maria, & Martha sedent: in magno vitæ discrimine dilectus versabatur frater, & ad cælestem medicum non currunt, sed mittunt sorores: *Ioan. c. 11.* *Miserunt sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Ioann. 11. cur hoc, nisi quia sexus memores cui, & si ad Deum (vt ita dicam) eundum, ad fratremq; suscitandum, vetitus tamen solet esse egressus, mittendum potius, nè externa negotia mulieribus penitùs interdicta tractare viderentur, quàm eundum existimarunt. Ità Carthusianus art. 28. *Non decuit eas personaliter ire ad Iesum, quoniam fœminæ erant, quas non decet discurrere, dummodò per alios queant sua negotia expedire.* Prudentissimum sanè consilium, intra ædium tecta manentes ad medicum mittere, nàm vix nō malè audit, quæ per triuia vagantur. Casta erat Sulpitij Galli vxor, nihilominus ab eo fuisse repudiatā refert Plutarchus in problem. c. 13. nec ob aliud, nisi quia eam capite aperto foris versatam cognouerat. Impudica non erat Q. Antistis, verùm quia in propatulo cum quadam libertina illam loquentem vidit, illicò eam repudiauit: cui (ni decipior) malo, nè scilicet passim repudiarentur vxores, consulere volentes Aegyptij, legem tulerunt, vt nudis pedibus mulieres incederent, & ea fuit legis intentio, vt pedum nuditate verecundia affectę, per triuia non discurrerent: & sic viris, vt impudicæ, inutiles non fierent: cùm vxores sponsi magis ignorari optent, quàm agnosci; iuxtà illud Cuboidæ Lacedemoniæ: *Qui laudat alienam vxorem, videtur habere cognitam, cuius ipse laudes prædicat, quod quidem detrahit pudori fœmineo.* Hinc Lucianus dicere consueuit, quòd excepto eo, quod ad liberorum procreationem spectat, numquam in cœtibus videri debēt: *Quod attinet ad liberorum procreationem mulieres aliquo sint in numero. In cæteris verò, apagè, nè vlla fuerit.* Sic perpetuam mulierum clausurā extulere præfati. Hieronymus posteà epist. 7. quæ est ad Lætam, sic viros, patresq; monet, vt vnusquisq; vxorē, filiumque suam domi retinere sciat: *Nunquam exeat foras, nè inueniant eam, qui circumeunt ciuitatem, nè percutiant, & vulnerent, & auferant pallium castitatis, & fluxum in sanguine derelinquant: Cum pedes aliquis ostiū eius pulsauerit, dicat: Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Vbi vescatur in publico, ideſt, in parentum conuiuio, nè videat cibos, quos desiderat. Surda sit ad organa, tibia, lyra, cithara, cur facta sint, nesciat. Æmuletur eam, de qua dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* De hac clausura impræsentiarum.

Ioan. c. 11. Carthusian. Mulieribus externa negotia vetita. Cuboid. Lacad. Detrahit pudori fœmineo laudari. Lucianus. Hieronym. Aediū tectis rarò mulieres egredi debent.

2 Nedùm vt Balneo vteretur, verùm vt spatiaretur etiam feruente die pomarium ingrediebatur Susanna; ita Danielis. 13. *Cùm autem populus reuertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui.* in stuporem Hectorem Pinctum hæc Susannæ consuetudo adduxit, & quidem non quòd meridie balneo vteretur, Daniel. cap. 13.

Digitized by Google

tum, quia forte ipso æstum temperare studebat: at quòd non mane, nec vesperi, sed meridie, quando in cubiculis calor est declinandus, ipsa ad spatiandum viridarium ingrederetur, mirabile prorsus primo apparet intuitu: verùm historiam percurrentibus facilè innotescit mysterium, quod audi, si libet: ad Ioakim virũ Susannę confluebat populus, cõcurrebãt magnates, visitãtibus, ac litigãtibus plena erat quotidie domus, vix meridie cibum sumpturi recedebant; quid in tanta virorũ frequentia (intra se castissima dicebat Susãna) agendũ? Quonãpactò ad hortum aliquantulùm è domo distantem accedere volens hominum oculos declinabo? Si à Solis ortu vsq; ad occasum viris plena est aula, quomodo per illam inuisa transibo? Quid igitur efficiẽdum? Cedat commodum verecundiæ, & vt cunctorum effugiantur obtutus, meridies incongruens solamini hora ad deambulandum assumatur. Perbellè Hector Pinctus super citatum Danielis locum: *Exibat è domicilio suo, & ingrediebatur hortum clausum, vbi deambulabat. Tempus illud eligebat, quando domus erat hospitibus vacua, nè ab illis videretur: diligebat n. verecundiam, & solitudinem, eam ob causam non peragrabat plateas, nè exemplo Dinæ experiretur detrimentũ, sed in horto suo clauso deambulabat.* Audis quare diei feruor ad ambulandum expectetur, quia aliàs virorum non declinasset obtutus.

Hect. Pinct.

Omnium sẽ per oculos studuit declinare Susanna.

3 Mox quid est, quòd aduenientium explorator Abraham solus esse voluit, vxor autem nihil prorsùs transeuntes obseruabat? *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.* Genes. 18. Si pari pietate, vel saltem prope accedente erga hospites Sara ferebatur, cur illorum non attendit aduẽtum? An quietis cùm esset tempus, sopori se dederat? Nequaquam certè; cur igitur & ipsa aduenientium non explorabat aduẽtum, vel saltem ad senis laborem leuandum, cur non vicissim speculabatur? At quomodo ait Ambrosius lib. de Abraham, charitatis intuitu Sarę pedes tabernaculi limina attingere poterant? Vbi eius fuisset verecundia? Vbi pudor? Absit, vt in propatulo etiã pietatis prætextu mulier talis appareat; speculãdi meritum sibi cumulet Abraham, nam in penetralibus ministrando abũdè se mereri existimat Sara. Audi Ambrosium: *Quod pietatis est, vult esse commune, quod pudoris est, integrum manet Sarę: ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentus, intra tabernaculum Sara tuetur fęmina verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore; foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat.* En quomodo nec pietatis prætextu in propatulo mulier est videnda.

Genes. c. 18.

Ambros.

Nec pietatis prætextu ædium limina attingere debent mulieres.

4 Verùm quia Lazari sorores fãdi tribuerunt ansam, scrutemur (si libet) quid est, quòd Martha Magdalenam sororem suam ad occurrendum magistro, magistri nomine vocat: *Vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.* Ioan. 11. & omissa quæstione, an de vocanda sorore præceptũ acceperit; quia Theophylactum nosco dicentem vtrumq; subsistineri posse, & quòd explicitè hoc ei fuisset iniunctum, quod Marthæ verbis insinuare videtur Euangelista, vel quòd Christi præsentiam, vocis loco habuisset Martha. Theophylacti verba sunt: *Tametsi Euangelista non assignauit, quòd vocauit eam Dominus: hoc tamen latenter insinuat mandatum Marthæ à Domino vt vocet sororem. Vel aduentum Christi, vocis loco habebat. Dicit igitur: Vocat te Magister. Quomodo enim Christo præsente non debebat ad illum etiam ipsa venire? Itaq; aduentum Domini, qui necessario illam petebat, vt occurreret ei, vocem dicit Euangelista.* quod me magis vexat, est; si sororis erga magistrum amorem sciebat, cur præceptum de accedendo exponit? Si amanti satis fuisset dicere: *Magister adest.* cur adiunxit: *Et vocat te?* An de occursu dubitabat? Verùm satis consultò (vt reor) Martha non tantùm Christi nũciauit aduentum, nec de se sororem vocauit, sed magistri nomine, immò magistri præceptum de occurrendo intimauit, quia verebatur fortè è domo vbi illa verecunda sedebat, eam absq; expresso magistri præcepto educere posse: *Domi sedebat,* ait D. Bonaventura, *quieta & tranquilla, quod proprium*

Ioan. c. 11.

Theophyl.

Bonauent.

Mulieres domi velut in philosophiq gymnasio sedere debẽt.

prius mulieris est, vt ait Chrysostomus: quòd vir ab exterioribus circũhauritur turbationibus: mulier aũt velut in quadã schola philosophiæ domi sedens, & intellectum congregans in seipsam more eremos habitantium, qui se perturbet habet neminẽ. Quis sororem (fortè intra se dicebat Martha) è domo ad triuia, & è secretis cubiculis ad forum ducere poterit? Quis scit si verecundiæ causa domi magistrum expectandum existimabit? Cedat reuerentiæ pudor, & dum expressum magistri audit præceptum, præceptori, vt fas est, illicò occurrat.

5 Moriar nisi Deus ab ipsa mulieris creatione, quonampactò circa clausuram se gerere debeat, ostendit: pro qua re quæstionem à Damasceno lib. 1. paralellorum cap. 76. motam adduco; Cur scilicet viro extrà paradisũ creato, mulier intus producitur; *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, &c.* Nõ est bonum hominẽ esse solum: *Faciamus ei adiutorium simile sibi?* Gen. 2. *Quid est*, ait Damascenus, *quòd Deus Adamum quidem extrà paradisum cõduxerit, in paradiso autem ex eius costa Euam fabricatus sit? Cur nõ mulierem quoq; extrà paradisum finxit, atq; ita demum eam in paradisum transtulit?* illicòq; quæstionem soluit dicendo: quòd nunquam muliori clausura: quàm viri similitudinem foris negotia tractantis, debentis, extrà fuisset producta: vt igitur ab initio se clausam agnosceret, in loco clauso producitur: *Nempè nè extrà domum suam vagari disceret, sed domi se tenere, atq; in domesticarum rerum curã incumbere: Nam cùm liceat in paradiso effœta fuerit, tamen illic se tenere nequiuerit; sed & seipsam hinc extruserit, & meritum euecerit, quid futura erat, si extrà paradisum condita fuisset?* Quæ prudẽs, garrula vaga, quietisq; erit impatiens, si ob id se in loco clauso productam intelligit, vt perpetuò domi se continere addisceret.

Genes. c. 2.

6 Quoniam mulieris productionem tetigimus, haudquaquam absque rutinatione verbum illud, *Ædificauit*, omittendum existimo: *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam.* Gen. 2. Si Adæ productio, creatio nuncupata fuerat: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* cap. 1. cur mulier postea non creata, sed ædificata describitur? Si ædificare idem est ac domum struere, numquid domus erat Eua, quòd non producta, nec creata, sed ædificata dicitur? Ità sentit Caietanus, & vlterius ab ipso si cuius sit domus scisciteberis, illicò respondebit; hominis in ea mensibus nouem hospitantis: *Ædificatio costæ in mulierem ex ipsa metaphora ædificationis, significat mulierem ad hoc fieri, vt sit ædificium hominis, vt sit velut domus fouens hominẽ in hominis initio.* Ità Caietanus. Ambrosij tamen mihi magis arridet opinio, dicentis, quòd ideò Euæ productio ædificatio nuncupatur, quia non tam alteri, quàm sibi ædificium, ab initio parabatur, ac si secum veluti gemella comproducta clausura, ab ipso sui creationis exordio se clausam intelligeret. Adfit Ambrosius: *Benè ædificauit, dixit, vbi de mulieris creatione loquebatur. Sicut enim vir publicis officijs, ità mulier domesticis mysterijs habilior æstimatur.* Ità ipse lib. de paradiso cap. 11. Quod pręoculis habens insignis ille Apelles Venerem super testudinẽ depictam Aeliẽsibus dedit, vt ad instar testudinum, quæ in sua concha iugiter receptæ, & recollectæ sunt, à qua si aliquandò exire contingerit, minimè seipsas totas foras mittunt; quinimmò quocumq; leui frangore perterritæ illicò in suas conchas se recipiunt, & includunt, mulieres perpetuò se domi retinere addiscerent; quòd si quandoq; graui de causa extrà conchæ limen pedem, vel extrà fenestram caput est porrigendum, cuiuscumque pergentis strepitu pudore affectę, illicò in cubilis concha se recipientes, virorum fugiãt obtutus.

Caietanus.

Mulier hominis domus.

Ambros.

Mulieribus gemella clausura.

7 Nec Ruperti Abbatis est contemnenda subtilitas, quonampactò mulierem alloqui potuerit serpens, si vndiq; circumseptus erat Paradisus? Si pro magno benefactoris munere in paradiso collocari acceperat Adam, quomodo serpentium esse poterat locus? Tandem post multa non serpentem Euam adisse, sed hanc ad eum accessisse, asserit, non quòd è voluptatis loco egrederetur, sed quia paradisi latitudine minimè contenta, qualis foras

An serpens quandoq; in voluptatis loco fuerit?

Digitized by Google

ras extra paradisum mundus esset, spectabat; ex quo accidit, vt serpẽtem, qui terræ dulcedine illectus prope accesserat, alloqui posset. Audi ipsum lib. 3. in Genes. cap. 2. *Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quòd non serpẽs præsertim à diabolo corporaliter inuadente possessus in paradiso fuerit: sed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulabat, fortè prospectans qualis extrà paradisum mundus haberetur, & serpens, vtpotè astutus, dulcedini terræ propius, vel ambitiosus innititur; locus diabolo datus est, & occasio porrecta vndè tentaret.* O si è concha nunquam caput emisisset, vel saltem si primo serpentis sibilo perterrita ad paradisi interiora confugisset! sanè nec verba venefici incantantis sapienter audisset, nec se, virumq; vt diuini præcepti contemptores, è voluptatis loco extrusisset.

Rupert. Abb.

8 At Eua erratum, Mariã virginitatis exemplar, puritatis speculum, pudorisq; normam semper emendasse reperio: Peruolo illam deuotissimã Bernardini Senẽsis considerationem, quòd nequaquam Angelus ad Virginem ingredi potuisset, nisi domina Clausura Virginis sacratissimæ ostiaria ingrediendi aditum tradidisset: *Nota*, ait modò dictus Bernardinus, *quòd quando B. Virgo fuit annunciata, erat in cubiculo cum septem domesticis. Prima erat domina Clausura, secũda erat domina Timor, tertia erat domina Taciturnitas, quarta domina Honestas, quinta domina Prudentia, sexta domina Humilitas, septima domina Obediẽtia: At domina Clausura erat ianitrix Virginis gloriosæ, & cũ Angelus venit & ianuam pulsauit, domina Clausura ianitrix dixit: Quis es tu, qui pulsas? Et respondens Angelus dixit: Ego sum Angelus domini, qui volo loqui reginæ mundi, scilicet Mariæ Virgini à parte summi regis Creatoris sui. & domina Clausura retulit Virgini, quæ iussit aperiri Angelo: Hinc est, quòd Euangelium dicit: & ingressus est Angelus.* tom. 3. ser. 6. post 3. Dom. Quadrages. de amore præparante, septima penna quintæ alæ amoris feruentis, serm. 38. Omitto Ambrosiũ Mariam propterea cum festinatione ad montana perrexisse asserentem, quia & si necessitatis causa, diù tamen in propatulo esse renuebat: *Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Ecce Maria in domo fera, festina in publico.* Allatus Ambrosius. Non immoror in Diui Bonauenturæ dicto, quòd miraculum (vt ita dicam) fuit, Virginem viri affatus nescia, Magis loqui potuisse: *Conspice quòd domina, cum rubore in verbis, & oculis ad terram demissis, ac cum verecundia loquitur: non delectatur loqui, nec videri, Dominus tamen dedit ei vigorem in hoc magno opere, quia illi repræsentabant vniuersam Ecclesiam futurã ex gentibus.* Sic ipse in opusc. de vita Christi c. 9. Relinquo eiusdem D. Bonauenturæ pium cogitatum, quòd tempore circumcisionis Ioannis, licet Zacharias in suo cantico multa de Christo caneret, ipsa tamen vt virgineum seruaret pudorem, non palàm, sed clam præfatum audiebat canticum: *Die autem octauo circumcisus est puer, & vocatus est Ioannes, & tunc apertum est os Zachariæ, & prophetauit, dicens: Benedictus, &c. Domina verò stans post aliquam cortinam, nè videretur ab hominibus, qui conuenerant ad circumcisionem Ioannis, audiebat attentè canticum illud, in quo de filio suo fiebat mentio, & omnia conferebat in corde suo sapientissimè.* in eodem opusc. c. 5. Nec denique multùm immoror in Anselmi assertione, quòd propterea Virgo cum filio in hortum non perrexit, quia imminente nocte, virgineum non decebat pudorem extra domum manere: *Nox instabat, & non decebat, vt mulieres tunc foris inuenirentur.* in dialogo de passione (si suum est) nàm iuxtà Bellarmini opinionem de scripturibus Ecclesiasticis, ipsi non tribuitur. Sisto autem in quæstione à Tostato motam super verba illa Matt. 12. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* vbi ipse ait. *Quæritur, quare fratres Domini, & mater foris stant eo prædicãte?* quæst. 105. Si ad eum audiendũ ipsi legis concurrebant magistri, confluebant populi, & vix erat, qui (ob sui peruicaciam) à calore verborum suorum absconderetur, cur mater, quæ supra cæteros quis esset, qui loqueretur, agnoscebat, non ingre-

die-

Maria Bux correxit errorem.

Bernardin. Senens.

Mariæ ostiaria quæ?

Ambros.

Maria in domo fera, in publico festiua.

Bonauent.

Maria viri affatus nescia, Magis loqui potuisse miraculũ.

Idem.

Mariæ modestia, & pudor in Ioannis circumcisione.

Anselm.

Matt. c. 12.

Tostatus.

Digitized by Google

dicebatur? Nec multùm responso innitaris: virgini vel ob turbæ multitudinem, vel ob ianitorum inurbanitatem ingrediendi aditum non patuisse, quia oppositum sentiunt multi, præcisè Pascasius, qui lib. 6. super præfata Euangelistæ verba dicit: *Foris stans, non quòd ingrediendi ad eum, vt cæteri non haberent potestatem.* cur igitur non ingreditur, & voluntariè se Verbi verbis privat? Meum dicam cogitatum, quòd non vt se ab audientia Verbi, quam is quidè appetebat, subduceret, sed vt debitam seruaret verecundiam, maluit foris stare, quàm ingredi. Ita Tostatus, qui inter cæteras huius quæstionis solutiones, hanc adducit: *Dicendum quòd licet ætate matrona esset, virgo tamen verecundabatur.* Videbat, videbat virginitatis, pudicitiæque exemplar parum honestam rem esse, virginem in comprimentem turbam irrumpere; maluit propterea se à prædicatione subducere, quàm sibi pudorem inducere.

Pascasius.

Tostatus.

Maria cur prædicante filio non ingreditur, sed foris stat.

9 Nec fœminas adeò facilè deuotionis prætextus fallere debet, vt vel orationis, vel visitandarum Ecclesiarum causa sæpè per triuia discurrere faciat, cùm carius, fortè, Deo sit, ipsas clauso ostio patrem orare, quàm per Ecclesias cursitare: meum non existimo hoc, quod dico, sed Diui Pauli, qui orationem nobis commendare volens, hinc ait in modum: *Volo viros in omni loco orare.* 1. Timoth. 2. quæ verba considerans Ambrosius lib. 6. de sacramẽtis c. 4. dicit: nõ sine mysterio signanter viris esse iniunctum in omni loco orare debere; nè fœminis in mentem veniret, sibi etiam vbique esse orandum, & sic orationis prætextu circumeundi desumeret ansam: *Vtiq; communis est oratio*, ait præfatus Ambrosius, *fœminis, & viris: Sed Apostolus ideo fortè dixit viros orare in omni loco, nè mulieres malè vsurparent, & intelligerent in omni loco, & incipere rem vbiq; discurrere, & clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.* Hæc Ambrosius. Ex quibus fœminas nec pietatis, orationisq; titulo vagari debere Pauli, non meam fuisse mentem, apparet.

1. Timoth. c. 2.

Ambros.

Fœminis et orationis, vel pietatis prætextu interdictus multoties egressus.

10 Cæterum vix non malè audit fœmina, quæ plateas frequentat, & forum: In triuio sedens Thamar, meretrix existimabatur à Iuda. Genes. 38. In viis, quæ sedet, nodum honestam existimat. Ieremias c. 3. verùm etiam leænam vocat, latrenemq; infidiatorem appellat. Gabriel, vagas, quietis impatientes, in domibus pedibus quiescere non valentes, meretrices effrontes putat; & vocat Salomon in Proverb. &c. Nec mirum si vagatale sortiantur nomen; quia, vt Valerius postea ait, raro quæ pudicæ manent, non impudicæ redeunt, quod fœmineus sæpiùs quandoq; accidit. Deq; eadem modò describendum est miraculo, vt humilitatis causa de se dixit castissima, atq; sanctissima Iudith, quòd manq; polluta in vijs, & in aulis esset seductæ: *Vinit autem ipse Dominus, quoniam contaminis me, pergulas eius, & hinc euntem, & illic commorantem, & inde huc venientem, & non permisit me Dominus cubilem suum deinquinari.* cap. 13. Hæc Iudith, ad cuius vnius laudem, & sanctitatem, quæ non accedit, nec malè hunc diadema domus continebat. Hieronymo quidem monita pro Pacatula infantula ad eam epistola tradita *Non libere prodendi in publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatem, in cubili suo notas delicias habeat*, libenter accipiam: nec quæ ne fortis sint dicta.

Mulieres plateas, & fora frequentantes malè audiunt.

Iudith. c. 13

Quæ pudica egreditur, si non impudicè reuertitur, miraculum.

Hieronym.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cũ eo. Ioan. 11.

§. II.

Nec vita rationem habet nexus amor.

AD prophani amoris insignem quandam stultitiam Idalium puerum, quibus ex locis potissimùm finxisse Poetas, nemo illud quod de eo quidam cecinit: *Eunuchius cassum, fama est, finxisse poetas*

Idalium

Idalium puerum; nam lumine obstat Amantum.

haudquaquàm alibi me dixisse latet, at nunc non quia amantes amentes, sed quia amatores vitæ contemptores reddit, ac si illius discrimina minimè viderent, cæcus propterea iure optimo vocandus est, quod declamatione 5. §. 11. his verbis Quintilianum dixisse existimo: *Amor sæpè egit in laqueos, in præcipitia compulit, cruciatusq; laborantis animæ vulneribus emisit.* Hæc ipse. Cæterùm si inhonestus amor tantæ vis est, & virtutis, quòd ab amantibus, velut penitùs lumine carentibus, vitæ discrimina timeri non sinit; quod reprobans Libanius, stultitiæ genus appellat, cùm dicit: *An verò quid amantibus leuius, quàm labores, in quibus sita spes est potiendi amatis? Quamobrem tædiosum esset ipsis pro huiusmodi ærumnas non exequi, ac duos solùm à laboribus liberandi se modos norunt, huic insaniæ magis addicti; vt aut occupent, aut occumbant.* quid Dei dilectio, quæ fortis est vt mors, dura sicut infernus efficiet? quas ærumnas, quæ discrimina, quos cruciatus, immò quam mortem timere poterit charitas, cuius lãpades, lampades ignis sunt, atq; flammarũ? Sanè si vera erit dilectio, & perfecta charitas, iuxta Pauli sententiam omnem foras pellet timorem. Hoc perfecto amore flagrabat dilecta illa, quæ vicos, & plateas, vt dilectum inueniret circumiens, vulnera contemnebat, & plagas. Hac perfecta charitate ardebat Paulus, quando nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculũ, nec persecutio, nec gladius, nec mors, neque creatura alia eum à Christi charitate separare poterat. Et denique quando aliud huius perfectæ dilectionis deesset exemplum, illud Thomæ vitam pro Christo contemnentis extaret: *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Ioann. 11. Quæ Thomæ verba, & si timiditati ascribantur à nonnullis, à vera nihilominùs, perfectaq; dilectione mortẽ ipsam pro amato nihilifaciente prodijsse existimo: cuius sententiæ est Origenes in catena græcorum Patrũ, Ammonius, Ericius, D. Thomas, D. Bonauentura, Carthusianus, Ferus, Paulus de Palacio, Toletus, & Glossa Interl. quæ hunc dicit in modum: *Ecce verus amantium affectus, vel cum eo viuere, vel cũ eo mori.* De quo vero amore fusiùs in sequentibus.

Quintilian.

Liban.

Nil amantibus laboribus leuius.

Gloss. Interl.

Mortem contemnit vera dilectio.

Ioan. c. 11.

2 Latum huic meo excursui aditum aperiunt verba illa Ioann. 21. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus Petro: Dominus est.* quæ quoties percurro, toties obstupeo; cur potiùs dilectum discipulus iste se dicat, quàm diligentem? Si meritum non in diligi, sed in diligere consistit, non discipulum dilectum à Iesu, sed diligẽtem Iesũ vocare se debuisset: Nosco, quòd sicuti Ioannis modestiæ tribuitur, quòd in cunctis ad se spectantibus nomen suum reticeat, vt post multos dixit Claudius Villagud. verbis illis: *Hac periphasi Ioannes seipsum appellat: & modestiæ gratia, nè videatur priuatam gloriam quærere, tacet nomen suum.* sic. quòd suam erga Christum dilectionẽ, fileat, eiusdẽ humilitati ascribi solet, q. iubet vt post omnimodã ꝑceptorũ adimpletionem, seruos inutiles nosmet vocemus. Pro clariori nihilominus huius difficultatis solutione, aliã tãgo quæstionem: quis fuerit adolescens ille, qui tempore comprehẽsionis Christi, nè cum eo teneretur, relicta sindone nudus aufugit, dicente Marco cap. 14. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.* Et quamuis iuxtà Augustini sententiam temerè non sit diffiniendum, quod Euangelista reticuit, Gregorius tamen 14. moralium cap. 26. Chrysostomus, penèq; omnes Ioannem fuisse autumant. Vndè Carthusianus ar. 24. *Iste creditur fuisse Ioannes Euangelista,* & ar. 42. super Matt. 26. *Chrysostomus, & alij communiter tenent, quòd fuit Ioãnes, qui erat notus pontifici.* Qua posita opinione, ecce tibi cur nõ se amantem, sed amatum appellat Ioannes: Diligebat equidem magistrum discipulus, amore magno illum absq; dubio prosequebatur, verùm quia ad illum charitatis punctum (mortem pro Christo subeundi) nunc se minimè peruenisse agnoscebat, propterea fortè (vt piè credere fas mihi erit) dili-

Ioan. c. 21.

Claudius Villagud.

Ioãnis Euãgelistæ modestia,

Marc. c. 14.

Carthus.

Cur se discipulum dilectum, non diligentem appellet.

Digitized by Google

gētis sit, nomē nō vendicabat, tacitè ac si diceret, si nulla humilitatis extaret lex, adhuc tamen quoties mortis timore relicta sindone me fugisse recordarer, toties meam reticerem dilectionem, cùm nullus absolutè censendus sit amor, nisi qui ærumnas, pressuras, & mortem ipsam pro dilecto horreat facit: *Qui non est paratus omnia pati*, ait Thomas de Kempis, *& ad voluntatem stare dilecti, nō est dignus amator appellari*. De imitatione Christi lib. 3. c. 5. quæ, vel his similia quis scit, si animo volutabat Ioānes, quando se morti imparatum agnoscens, non diligentem, sed dilectum vocabat: cùm autem ad perfectissimum charitatis fastigium Spiritus sancti virtute confirmatus relegationes, ollas feruentes, & ipsas nēces nihilipendere didicit, tunc veræ dilectionis fortitus est magisterium, aliosq; verum amorem docere cepit, dicendo: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*. 1. cap. 3.

Thom. de Kemp.

Ioan. c. 3.

Imperfectum Ioſephi ab Arimathæa amorem Saluatoris morte ad satis meliorem frugem redactum fuisse, declarare volens Marcus, ipsum nō simpliciter pro magistri corpore Pilatum adijsse, sed audacter ad illum iuisse describit: *Et cùm iam serò esset factum (quia erat Parasceue, quod est ante sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectās regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*. cap. 15. & hoc nō ob aliud, nisi vt aduerbio illo, Audacter, timoris notā deleret, apertè insinuans, quòd quàm decreuerat timor, dùm non amplius propter Iudæorum metum se discipulum profitebatur occultum, vt ait Ioan. cap. 19. sed publicum, tàm creuerat amor, qui ipsum etiam in maxima vitæ discrimina impellebat. Ità inter cæteros Euthymius: *Marcus dicit, quòd sumpta audacia ingressus est ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Priorem in timorem sequenti audacia mirabiliter abluit, & seipsum in mortem tradidit ob benevolentiam, quam gerebat erga præceptorem*. Optima sanè accretionis amoris mensura, timoris diminutio: ex quo nunquā satis modò dicti Ioſephi ergà magistrum dilectionem extulerim sacra scripturæ Expositores, inter quos Brugensis ipsum in virum alterum mutatum asserit, cùm dicit: *Fuerat quippe metus humanæ infirmitatis, quòd antea Ioseph Iesum nō negasset quidem, sed non fuisset palàm confessus: nunc tanquam mutatus in alium virum, metu illo excusso, cum periculo etiam bonorum, ac vitæ publicum se præbet Iesu propugnatorem*. Illa tamen de Ioſepho non obstantibus, adhuc nihilominus Ioannes Ferus inquirit: An eius amor in audaci petitione corporis Christi ostensus, illum Magdalenæ superauerit, quem in cōsimili petitione patefecit, tunc scilicet quādo ab ipsomet Saluatore, quem hortolanū putabat, lacrymis magis, q̄ verbis locū, in quo magistri iacebat corpus, q̄ ablatū credebat, vt illud auferret, expetijt: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eū: & ego eum tollam?* Ioan. cap. 20. & licet quæstionis solutio, illi esset remittenda, cui cordium patent arcana; ex cōiecturis tamē Magdalenæ petitionem satis feruentiorem illa Ioſephi existimat præfatus Ferus, rationemq; assignat, quia huius dilectio adhuc aliquē admittebat timorem, dùm absq; Pilati facultate corpus nequaquam auferre ausus fuit: illius autem nulla petita facultate, immò nullius habita ratione ad magistri corpus auferendum compellebat: *Vide autem*, ait allatus Ferus, *huius mulieris amorem & audaciam. Ioseph non fuit ausus tollere corpus Iesu nisi noctu & consensu pilati: hæc autem non noctem præstolatur, nec Pilatum reueretur, sed audacter promittit: Ego tollam: cùm tamen hoc supra vires ipsius esset. Verum hæc est natura amoris*. En quomodo ex minori timore maiorē arguit Magdalenæ amorem. Quod satis clarius obseruauit Bernardinus Senēsis tom. 1. ser. 52. de resurrectione Christi art. 3. cap. 1. vbi audacem, omnemq; prorsus foras pellentem timorem Magdalenæ petitionem considerans, cum deuotissimè sic alloquitur: *Sed quid est, mulier, quod dicis: & ego eū tollam? Ioseph non timuit, & non fuit ausus tollere corpus eius de Cruce, nisi à Pilato peteret: Tu autem nolens, nō præstolaris, nec petens, sed audacter promittis, dicens: & ego eum tollam? O Maria si fortè corpus*

Brugens.

Ioan. c. 20.

Ioan. Ferus.

Bernard. Senens.

Euthym.

Accretionis amoris mensura.

Magdalenæ amor cuiuscumq; timoris ignarus.

pus Ieſu eſt poſitum in atrio principis ſacerdotum, vbi princeps Apoſtolorum calefaciebat ſe ad ignem, quid factura eſſes? Et ego eum tollam? Sed ſi in platea foret coram multitudine Iudæorum, quid tuno ageres? Et ego eum tollam. Quod ſi eſſet in domo Pilati, & coram militum turba, quid inquam factura eſſes? Et ego eum tollam. O admirabilis mulieris audacia! ò mulier, non mulier! nullum locum excipit, ſine timore dicit, abſolutè promittit. Dicito mihi vbi poſuiſtis eum: & ego eum tollam. Et ſtatim quòd etiam impoſſibilia tentare auderet iſtius ſanctæ mulieris amor, ſubdit ab eadem cùm quærit: *Sed quomodo mulier, quo robore, quibus viribus, quo ingenio corpus tàm graue poſſes portare ſola, cùm vna fueras de portitoribus ad ſepulchrum? Numquid tecum tuas ſocias habere credis? Receſſerunt. Ego eum tollam.* Amor *n. impoſſibile ad poſſibile ſua opinione reducit, & quod nequit efficere, poſſe ſe credit.* Deuotiſſimum ſanè colloquium, quo plus quàm deſiderari poteſt noſtrum patet inſtitutum, timoris eſſe expertē verum amorem.

Amor impoſſibile ad poſſibile ſua opinione reducit.

4 Eodē prorsus argumento eiuſdem Magdalenæ amorem erga magiſtrum, Marthæ dilectionem præcelluiſſe deducit Theophylactus; nam ſi Martha Iudeorum timore clam Chriſti aduentum ſorori indicauit: *Vocauit, Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.* Ioann. 11. Magdalena verò nullius diſcriminis habita ratione etiā coràm ipſis Chriſti perſecutoribus ad magiſtri pedes ſe iecit, plorauit, & imploranit auxiliū: *Maria ergo, cùm veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius.* ibid. negari nullatenus poterit, quin magis amaret, quę minùs timebat. Ita Theophylactus: *Maria autem maiori feruore quàm ſoror ſua Martha acceſſit ad Chriſtum, procidit ad pedes eius, non reuerita turbam, neq; ſuſpicata adeſſe nonnullos, qui inimico erga Chriſtum eſſent animo. Ad nullum autem horum reſpiciebat, præſente magiſtro, idq; unum curabat, vt illi ſummum impenderet honorem.*

Ioan. c. 11.

Ibid.

Theophyl.

Magis amat, qui minus timet.

5 Pedetentim ad mentem illius Angeli accedo, qui vt trepidantibus in ſepulchro mulieribus animum adderet, dixit: *Nolite timere vos.* Matt. 28. quid per ly, *Vos*, inſinuare voluerit, cū æquè benè timorem abſq; verbo illo repellere potuiſſet, dicendo: *Nolite timere.* nam vltra diſtinctionem à ſepulchri cuſtodibus iure optimo trepidantibus, aliquid aliud indicare intendebat, illud (vt opinor) eſt, quòd nō benè conueniunt, nec in vna ſede morantur timor, & amor, ac ſi apertius diceret: timeant cuſtodes, qui non amant, vos quæ amatis, timoris debetis eſſe expertes: *Nolite timere vos*, ait Bernardus, *Signanter dicitur, Vos, nam nec cuſtodes timerent, & idem eis diceretur, ſi Ieſus ſimiliter ab eis quæreretur.* En quanta amoris, & timoris diſcordantia, quòd non benè amare dicatur qui timet. Vndè S. P. Franciſcus tom. 1. opuſc. c. 26. *Vbi charitas, ibi nec timor, nec ignorantia.*

Matt. c. 28.

Bernard.

Amor, & timor nequaquàm in vna ſede morari poſſunt.

6 Perfectè amantium figuram tunc maximè Petrum in ſe geſtaſſe, exiſtimo, cùm vt ad Chriſtum peruenire, nec mergi timens, nec aliud quodcumq; vitæ attendens diſcrimē, mari ſe præcipitem dedit: *Simon Petrus cùm audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat n. nudus) & miſit ſe in mare.* Ioann. 21. Quia ſi aliàs ſuper mare gradiendi expreſſam Chriſti licentiam petere: *Domine, ſi tu es, iube me uenire ad te ſuper aquas.* Matt. 14. & cū ipſa etiam pericula attendere: *Cumq; cæpiſſet mergi.* aliquantulæ infirmitatis fuit indicium: nunc nec licentiam efflagitare, nec diſcrimina conſiderare, charitatis flammam (nè flammulam dicam) in non mediocre incendium redactam indicat: *Hic autem uide naturam charitatis, non expectat ſocium, non timet periculum.* Ioannes Ferus: ante quem ſatis clariùs Ambroſius: *Ambulauit n. in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus. Non. n. uidebat ubi pedum ueſtigia poneret, uidebat autem ubi figeret ueſtigium charitatis. In nauī n. potius conſiderat Dominum, & amore eius ductus deſcendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dū Chriſtum reſpicit, non reſpicit elemētum.* ſuper illud Matth. 16. *Tu es Petrus.*

Ioan. c. 21.

Matt. c. 14.

Ioan. Ferus.

Ambroſ.

Charitatis greſſibus ſuper mare impunè ambulat Petrus.

7 Nec in præfatis ſiſtit Ambroſius, ſed loco proximè citato vlterius inquirit: Quid eſt quòd hebræos à Pharaonis ſæuitia Deus eripere volēs,

Digitized by Google

non eos tumẽtes fluctus, nec marinos gurgites calcare permisit; sed scisso pelago, per maris concaua transire iussit: Petrum autem super mare ambulare fecit? An quia paruulus illorũ amor pericula attendens aquis labentibus vestigia imprimere timuisset, hic autem magno exstuans amoris incendio, nec vorticibus conuolui, nec marinis gurgitibus absorberi exterruit? Ità sanè modò dictus Ambrosius: *Legimus in veteri testamento filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium nè laberetur vnda in solidatem quamdã eam fuisse mutatam: quanò hic melius vbi ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius inquam est vbi eadem vnda, quæ fluctuat, & subsistentat, vbi idem gurges qui mergitur, & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israel meatum suum natura perdiderat: hic portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt.* serm. 1. in festo cathedræ S. Petri tom. 5. En quomodo vbi maior est amor, ibi minor est timor, immò vbi multa charitas, timor nullus.

Ambros.

Cur hebræis tanti Petro labentes vndas calcare non licuit.

8 Quanta erat parentum Celidonij timiditas, tanta erat ipsius Celidonij magnanimitas, nàm si illi Magnatum pertimescentes insaniam, nec de Christi potentia, nec de curationis modo, quid dicere ausi sunt: Hic nullius indignatione territus, nulliusque minas veritus, apertè coram omnibus potentiam prædicat, miraculum confitetur, sanctitatem pandit, prophetãq; magnum Saluatorem appellat: vndè bone Deus differentia tanta? Vndè inter huius, illorumq; fortitudinem tãtum discrimen? An fortè, quia amoris igniculus, qui in Celidonij pectore iam ardebat, in parentum pectoribus ardere non ceperat? Ita prorsus. Vndè Thomas de Kempis de imitatione Christi lib. 3. c. 6. ac si in Christi persona cæci parenti loqueretur, hunc dicit in modum: *Fili non es adhuc fortis, & prudens amator, quia propter modicam contrarietatem deficis.* Pro cæco autem subdere videtur. *Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis cedit tentationibus inimici.* Hæc ipse. Lyranus aũt infirmorũ imbecillitatẽ in illis, firmorũq; virtutẽ in isto figurari asserit, cũ dicit. *Per parẽtes cæci, q. de modo suæ illuminationis non responderunt timore ducti, significãtur fideles infirmi, qui tempore persecutionis fidem non audent confiteri. Per cæcum verò confidenter veritatem confitentem, significantur in fide firmi, constantes, confitentes veritatem fidei.* Sic vno ore, cum dilectione, timorem stare posse negauerunt præfati.

Thom. de Kemp.

Non est fortis amator, qui propter modicã cõtrarietatem ab amando deficit.

Lyranus.

9 Facit ad hoc de quo loquimur difficultas: Cur præ cæteris prophetis Isaiæ labia ignito calculo tangerẽtur, *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum?* c. 6. Si quia in medio populi polluta labia habentis habitauerat, vtiq; & alij inter consimiles degerant, si quia ad euangelizandum mitti debebat, eodem sanè officio functi sunt & alij: Cur igitur huius, non aliorum purificantur labia? Dicam quid sentio: magnum Isaiæ virtuti à dæmone, eiusque satellitibus parabatur certamen, persecutiones, vincula, & deniq; sectiones eum expectabant; & quia, vt proprio fatetur ore, tacuerat quandoque: *Væ mihi, quia tacui.* ibid. nè in posterum vitæ timeret discrimina, igneo calculo tangitur, vt totus igneus, totusque flammeus, nulla habita vitæ ratione, è peccatorum pectoribus glacies dissiparet: quod illicò rei comprobare cæpit euentus, nam vt Deum magni animi virum non galeatum, nec armis stipatum, sed linguæ gladio munitum ad prædicandum contra rebelles quærẽtem aduertit: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* ibid. omni reiecto timore, statim se talem prouinciam susceptũrum obtulit: *Ecce ego, mitte me.* ibid. Præsto est Hector Pinctus rationem assignãs, cur qui antea timebat, nunc omni abiecto timore prædicationis munus assumat: *Isaias charitate inflammatus nõ timuit futura prædicare, & veritatem proferre. Quibus rebus deuenit in rerum omnium certamen, & discrimẽ, & vitam propter Deum periculis obtulit.* Vides quare, qui antea timebat, nunc timorem abijciat, quia modò calculi admotione auctus prior igniculus, igniq; magnus effectus, persecutionũ glacies facilè dissoluit.

Isaia. c. 6.

Hect. Pinct.

Vbi maior est amor, minor ẽ timor, vbi maxima charitas, timor nullus.

10 Quo-

Digitized by Google

Cant. c. 8.

Quoties in verba illa: *Fortis eſt vt mors dilectio.* cant. 8. incidi, toties cum morti compararetur amor dubitaui, & licet Gloſſam ordinariam adinuenerim dicentem, morti ſatis conſultò amorem aſſimilari, quia ſicuti per mortem, anima à corpore ſeparatur, ſic per amorem à temporalibus, atq; terrenis amantis ſeparatur ſpiritus: *Sicut mors*, ait Gloſſa, *ſeparat animam à corpore, ſic amor Dei à temporalium amore ſeiungit.* Lyrani nihilominus expoſitionem perquirens, ipſum ad rem noſtram locum gloſſantem reperi: *Fortis eſt vt mors dilectio, quaſi dicat: dilectio tua eſt tàm fortis in filijs Eccleſiæ perfectis, quòd propter te non timẽt pœnam mortis, vt patet in martyribus.* Hæc Lyranus, quibus nõ tàm amorem morti comparandum, quàm amorem mortem non timendam inſinuari exiſtimat, ſicuti reipſa in martyribus vitam pro Chriſto nihilipendentibus, comprobatum videmus.

Gloſſa.

Verborũ illorũ: *Fortis eſt vt mors dilectio.* cant. 8. intellectus

Lyran.

11 Verùm ſi in cæteris perfectè amantibus dilectio, & mors pari paſſu incederunt, in amoris, & dilectionis matre, in Virgine inquam, multùm mortem præiuit dilectio: meum non eſt hoc, quod dico, ſed Guerrici; qui rationem aſſignans, cur iuxtà crucem ſtare voluerit Virgo Beata, hunc dicit in modum: *Planè mater, quia nec in terrore mortis filium deſerebat: Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, immò fortior, quàm mors erat?* Quod nihil erat, nihil dicere: Si matrem fugientibus cunctis, cruci aſtare perſpicis, ne miireris, quia mors, quæ contra filium erat ventura, illa fortior non erat: immò cum illa ſatis firmior eſſet eius amor, non vt reliqui fugere, ſed impauidè eam expectare debebat.

Guerricus.

Virginis erga filium amor.

Vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. &c. Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Ioann. 11.

§. III.

Nuſquam non felicitatis indicium Mariæ nomen.

1 VArias varios Mariani nominis interpretationes dediſſe liquidò mihi, Patreſq; percurrentibus patet: verùm inter cæteras ſatis mihi illa D. Epiphanij arridet, Mariam ſpẽ ſignificare aſſerentis: *Mariam* (ait ipſe) *interpretari ſolemus Dominam, atq; etiã ſpem.* cuius interpretationis licet illicò rationem aſſignet ſubdendo: *Peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi: Vndè & ipſa dicit: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & ſanctæ ſpei.* ego nihilominus vltrà allatam rationem, ob id etiam Mariam ſpem interpretandam exiſtimo, quia ſanctiſſimum hoc nomen ſemper felicitatis fuit præſagium; vt ergo iugiter ex eo proſperitatem expectandam intelligamus, ſpes interpretatur: cui dicto fauere videtur Eccleſia, dum Virginem ſpem noſtram appellat: *Spes noſtra ſalue.* ac ſi diceret: mirabilis eſt Mariæ, & ſpei nexus, quia nuſquã felicitatis deeſſe poterit ſpes, vbi Mariæ aderit nomen: ſecus verò ſi Mariæ nomen deerit, haudquaquàm ſperari quid poterit. Vnde Gorranus ſuper illud Matt. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*, hunc dicit in modum: *Felix namq; Maria, quia Ieſus ſine Maria non naſcitur, ſine Maria non inuenitur, ſine Maria non crucifigitur: Ipſa enim miniſtra incarnationis, ideò ſine ea non*

Epiphan.

Maria cur ſpes interpretatur?

Matt. c. 2.

Gorranus.

Digitized by Google

non nascitur. Luc. 2. Impleti sunt dies Mariæ vt pareret. Ipsa formula educationis, ideo sine ea non inuenitur. Matt. 2. Inuenerũt Mariam & Ioseph, & Infantem. Ipsa socia passionis, & ideo sine ea non crucifigitur. Ioan. 19. Stabat iuxtà crucem Iesu mater. Paucisq; interiectis. *Iesus idẽ ac salus; Iesus cum Maria, ideſt salutem cum auxilio Mariæ: nam sine Maria Iesus non inuenitur. Sine Maria Spiritus sanctus nõ datur. Actorum 1. Erant perseuerantes in oratione. Sine Maria nuptiæ non celebrantur. Ioan. 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat ibi mater Iesu.* Et impræsentia visa res est, nàm Lazarum, quem ad Marthæ lacrymas, precesq; suscitare distulit Christus, aduenientè Magdalena propterea illicò ad vitam reuocauit, quia vt Chrysologus ait, Mariæ nomen gestabat: *Mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria: Veniat materni nominis baiula: quatenùs prodeant ab inferis mortui, mortui exeãt de sepulchris.* ser. 64. Vt apertè daretur Intelligi, haudquaquam Mariæ nomen gratijs vacuum esse, sed quòd semper felicitatis est antecursor: pro qua re audi.

Nihil sine Maria conceditur.

Chrysolog.

2 Sicuti ratum reperio apud cũctos sacræ scripturæ Expositores, nemini ante Virginem matrem post resurrectionem Christum apparuisse: Vndè Ambrosius de virginibus, *Vidit Maria resurrectionem Domini, & primò vidit, & credidit.* Quod Beatæ Birgittæ Virginem ipsam verbis illis, *Mihi apparuit filius meus priùs quàm alijs, quamuis hoc non sit scriptum*, reuelasse fertur: & sic sanè fieri decebat, tum ob debit m matri reuerentiam, quæ talem poscebat ordinem, vt ait Rupertus: *Antè omnes mortales filius illi materno virginem nè defraudaret honore, victoriam annũciauit.* tũ qa secũdum dolorũ mensuram, diuinæ solent consolationes respondere, iuxtà illud; *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meã.* psal. 93. & quoniã suprà alios filij nece laborauit mater, antè alios ob filij resurrectionẽ consolari debebat. Ita D. Antoninus 1. part. Chron. cap. 7. de Christi res. titulo 5. de Christi appar. cap. 7. *Creditur, licet in Euangelio non habeatur, quòd ante omnes primò apparuit Mariæ matri suæ, vt quæ plus omnibus doluit, citius, & magis eam solaretur.* Sic patres omnes, quos breuitatis causa omitto, Virgini antè cũctos mortales filium apparuisse concludunt: de qua re noster videndus est Carthagena de triumphante Christi Domini resurrectione lib. 14. hom. 8. id fusè probantem: sic ex verbis illis: *Apparuit primò Magdalenæ de qua ieierat septẽ dæmonia.* Marc. vlt. nullus remanet ambigẽdi locus, cui nã ex ijs de quibus dubitari poterat primò se pãdidisse (nã de Virgine, vt ẽt Anselmus ait, dubitari minimè poterat) primò apparuerit, nã satis clarè id Magdalenæ concessum asseritur, cùm dicitur: *Apparuit primò Magdalenæ.* Quod si curiosius vlterius inquires; cur præ cæteris Magdalenæ priuilegium fuit ante alios Christum rediuiuum videre? Ad alium te scripturæ locum remitto, ad illum nempe, Matt. 28. *Cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, & ibi* difficultatemq; moueo: Cur Apostolorum Euangelistæ mulieres destinantur? Et licet ferè communis sit responsio, ideo id factum esse, vt fide perfidia vinceretur; & vt mulier, quæ viro mortem propinauit, nunc ei vitam nunciaret: Nihilominus Paulus de Palacio non tàm sexui, nec personis, quia aliæ non deerant sanctæ mulieres, quibus talis committi poterat prouincia, quàm sanctissimo Mariæ nomini hoc priuilegium tribuit: nempè quia hæ duæ mulieres, quę Apostolorũ Euãgelistæ ordinatę fuerũt, Mariæ vocabulo erant insignitæ, paulò superiùs dicente Euãgelista, *Venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum.* ibid. propterea hæ duæ præ cæteris viuentibus tali decorantur honore, quia hæ duæ præ cunctis matris nomine decorabantur: *Quòd verò*, ait præfatus Paulus de Palacio, *resurrectionis annunciatrices vocatæ fuerunt Mariæ, illustre iudicio meo est. Voluit n. Dominus ea ratione sacratissimam Mariam Dei veram genitricem egregiè decorare, vt resurrectionis nunciæ, Matris resurgentis nomen haberent: neq; de resurrectione vnquam mentio esset, nisi Mariæ nomen ob oculos præ-*

Marc. vlt.

Matt. 28.

Cur mulieres Apostolorum Euãgelistæ essẽ?

Ibid.

Paulus de Palacio.

Nũquã muneribus vacuum Mariæ nomen.

Rupert.

Psal. 93.

Antonin.

Digitized by Google

præponeretur. Itaq; hæ præcisè ad resurrectionem euangelizandam assumuntur, quia Mariæ nomine erant insignitæ, nè felicitate hac videretur vacuum felicitatis argumentum. Ità sanè: Audi nunc, cur rediuiuus Saluator post Virginem matrem, antè cunctos viuentes Magdalenæ apparere voluerit, quia munus hoc, cui melius concedi debuerat, quã materni nominis baiulæ? Si Mariæ nomẽ bonorum omnium est prænunciũ, quis Magdalenam, quæ Maria vocabatur, in hoc præire poterat, nisi illa tantùm, cuius Magdalena nomen gestabat? Ita dicere videtur Ambrosius relatus à D. Bonauentura lib. 1. Phar. cap. 5. *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit: Vidit & Maria Magdalene, quamuis adhuc & ista nutaret*, ac si diceret: excepta Maria Dei genitrice, ex cuius nomine gratiarum fluenta in Magdalenam transibãt, nullus ante ipsam, rediuiuum Saluatorem videre debebat, cùm nullus vt ipsa, aliæq; nõnullæ simili de causa ad euangelizandum destinatæ, felicitatem nomine prætendebat. Quod firmare videtur Drogo Episcopus Ostiensis super verba illa: *Dicit ei Iesus: Maria.* Ioann. 20. dùm in Christi persona Magdalenæ hunc dicit in modum: *Maria noui te ex nomine*; quod idem erat ac dicere: quòd posthabitis discipulis tibi tot, tantaq; concedantur priuilegia, Mariæ nomen in causa est, cùm nequaquam felicitate vacuum esse possit felicitatis prænuncium.

Ambros.

Magdalenæ vt materni nominis baiulæ ante alios rediuiuum Saluatorem videre cõceditur

Ioan. c. 20.

Drog. Ostiens.

3 Stupet Bernardinus Senens. quòd Christus vbique Magdalenæ patronus exiterit: nam in domo Pharisæi Magdalenæ amorem, lacrymas, & deuotionem fusè extollendo, pharisaicum compressit tumorem: In domo Marthæ iudicis loco, Magdalenæ partes assumpsit; In cæna deniq; vnguenti effusionem, vt admodum commẽdabile opus, per vniuersum orbem prædicandam prædicens, murmurantium ora obstruxit: cur bone Deus (ait Bernardinus Senens.) nulli sic patrocinaris vt isti? An fortè quia & eam quidem defendis, sed nomini magis honorem impendis? Ita sanè: *Vide prærogatiuam Mariæ*, (ait præfatus Bernardinus) *quæ in omni causa habet aduocatum. Indignatur siquidem pharisæus, cõqueritur soror, etiam discipuli murmurant, vbiq; Maria tacet, et pro ea loquitur Christus.* Hæc ipse: tu vero nota illa: *Vide prærogatiuam Mariæ*. & non tàm personæ, quàm nominis priuilegium fuisse intelliges, dùm non Magdalenæ, sed Mariæ prærogatiua dicitur, quòd in omni causa Christum habeat aduocatum.

Bernardin.

Vbiq; Christus Magdalenæ patronus, & quare?

4 Maximam posteà requirit indaginem difficultas illa: Cur Magdalenæ ad Christi pedes sessionem explicare volens Lucas, verbo illo: *etiam*, vti voluerit? *Huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Si æquè benè idipsum sine verbo illo explicare potuisset, dicendo: quæ sedens, cur ly, etiam, addere voluit: *Quæ etiam sedens*? Optima equidem difficultas, at solui vix poterit absq; hac alia: quid est, quòd Magdalena cum Angelis dũ in sepulchro loqueretur, dirempto sermone, inopinanter retrorsum conuertitur, dicente Ioanne 20. *Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, et vnum ad pedes, vbi positum fuerat Corpus Iesu. Dicunt ei illi*: Mulier, *quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; et nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum*. Quæstionem, nè eam in longum traham, soluit Chrysostomus allatus à Bernardin. Senens. tom. 2. ser. 52. art. 3. cap. 1. dicendo, quòd propterea retrò se vertit, quia Angelos, qui antea sedebãt, celeriter consurgere vidit, ex quo magni alicuius Herois aduentum agnouit: nec eam quidem sua fefellit opinio, nam vt subdit Euangelista: *Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est*. Ergo quòd surrexerint Angeli, Christi præsentia in causa fuit, ante quem vt seruuli sedere non audent. Ità allatus Chrysostomus: *Angeli videntes Iesum adesse propter reuerentiam eius stupentes, & faciem in assumptis corporibus immutantes, in signum honoris surrexerunt, quod videns Maria conuertit se retrorsum, vt videret, quem Angeli venerabãtur, & vidit Iesum stantem, &c.* Itaq; coram Saluatore haudquaquã

Luc. c. 10.

Ioan. c. 20.

Ioan. ibid.

Chrysost.

An-

Digitized by Google

Angeli sedere audent, immò si sedentes quandoquio reperiuntur, vt semuli statim assurgunt; ita sanè: Audi nunc, cur non simpliciter sedere, sed, etiam, sedere Magdalena dicatur, quia ly, etiã, emphasim significat, vt sit sensus: quod non solum mortalibus negatur; vndè stans Zacheus Iesum alloquitur, & stans Martha de sorore conqueritur; sed Angelis etiam prohibetur, Magdalenę cõceditur: & non ob aliud sanè, nisi quia non illi, sed hæc Mariæ nomine decorabatur: vndè huius sanctæ mulieris confessum explicare volens Euangelista, ipsam non Magdalenam, sed Mariam vocat: *Huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* vt magis nomini, quàm personæ sedendi prærogatiuam concessam fuisse ostenderet. Huic meo cogitatui Toletum accõmodo dicentem: *Ponit Euangelista inter sorores discrimen. Maria quidèm Domino prædicanti, ac docenti assidebat, ad pedes eius sedens, & auido auditu cordis, & corporis excipiebat, quæ ille dicebat.*

Quod hominibus, Angelisque negatur, Magdalenæ nominis ratione conceditur.

Luc. c. 10.

Toletus.

5 Transuolo Richardi de S. Laurentio subtilitatem, quòd propterea Maria, hominis spiraculum nuncupari solet, quia sicuti spirare vitæ indiciũ est, sic Mariæ nomen saluationis, omnisq; prosperitatis præsagium esse solet; *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, ait modò dictus Richardus, *Maria, quæ illuminatrix, & Domina interpretatur, spiraculum hominis, quia per eam peccator respirat in spe veniæ, & gratiæ.* lib. 1. de laud. Virginis cap. 2. Omitto quòd nusquàm alij antè Mariam *Aue* ab Angelo dictum reperitur, quia id Mariæ nomini bonorum omnium vt prænũcio debebatur. Vndè allatus Richardus loc. cit. *Nusquàm n. in scripturis antea inuenitur, nec ab alio, quàm ab Angelo deferri debuit salutatio illa, Aue, quia nec alij, quàm Mariæ huiusmodi salutatio debebatur; vndè non immeritò mirabatur Maria, & cogitabat qualis esset ista salutatio, pro eo quòd eam aliàs non legerat in scripturis.* Nec deniq, multũ in aliquorum obseruatione sisto, quòd primum nomen, quod post resurrectionem os Domini nominauit, ob id *Maria* fuit, quia nouæ, inaudi-

Richard. à S. Laur.

Maria hominis spiraculum.

Idem.

Primum nomen à Christo post resurrectionẽ prolatũ Maria fuit, & quare?

teq; felicitatis præmunciũ mittebatur. Immoror autem aliquantillum in verbis illis: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Matt. 1. & quæro; quid est quod Angelus Mariæ nomen hic, nominat, quòd in salutatione, ac si indignus proferre verebatur, vt ait Simõ de Cassia lib. 2. de Virgine Maria c. 4. *In declaratione nomen virginis exprimitur, quod in prima salutatione tacebatur: nàm priusquàm Angelus experiretur, quid humilitatis esset in Virgine, cùm ad theotoconium nosceret affuturam, ex eo, quòd ab omnipotenti Deo in legationem acceperat, velut altè dignam, ipse indignior nominare ipsã veritus est?* Si Ioseph animi metum abstergere volebat, satis fuisset dicere: noli timere accipere coniugem tuam, ad quid ergo Mariæ addidit nomen? At ò mysterium ingens! discordabant inter se Maria, & timor, nam Maria spes interpretatur, non timor; vt igitur Ioseph timorem in spem Angelus verteret, Mariam nominat, patentius ac si diceret: Si Maria hominis est spiraculum, cunctorumq; mortalium spes interpretatur, cur spem accipere times, dum Mariam dimittere cogitas? Scias scias, quòd *Non est*, vt posteà dicturus est Richardus de S. Laurẽtio, *in aliquo alio nomine post nomẽ filij, tàm potens adiutorium, nec est aliquod nomẽ, sub cælo datum hominibus post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus refundatur hominibus, sicuti illud Maria.* lib. 1. de Laud. Virg. c. 2.

Matth. c. 1.

Simon de Cassia.

Mariæ nomẽ præ reuerentia Angeli proferre oũ audent.

Richard. de S. Laur.

Post Iesu nomen nullum sensui Mariæ salubre.

6 Dictis minimè contentus addo, quòd nec ipsa Mariæ vmbra est beneficiorum deparca, idq; satis clarè suadet difficultas illa: cur Christus totiès de Lazari resurrectione requisitus eam tam distulit: viduę verò filiũ irrequisitus sic citò ad vitã reuocauit? Si non iste, sed ille Christi amicus per antonomasiam vocabatur, cur tardius dilecto conceditur resurrectio? An plus poterant vnius matris viduæ lacrymæ, quàm duarum sororum epistolæ, preces, & fletus? Sic (ni mea mẽ fallit opinio) existimo, nec mirabile hoc tibi accidat, quòd plus apud Christum vidua mater valeat, quàm duæ dilectæ discipulæ possint, quia destituta illa mater, quæ vnici filij deflebat

orbi-

Digitized by Google

orbitatem, ſecluſa viduitate, matris illius, quæ cùm Virgo ſimul, & mater eſſet, crudeliſſimam vnici filij necem plangere debebat, geſtabat figuram; quæ matris figura, vt ſe Chriſti obtutibus præſentauit, cohibere ſe (vt ita dicam) non potuit pijſſimus Filius, quin matrem honoraret in matre, nè Mariæ vmbra fructu vacua putaretur. Præſto eſt Carthuſianus ſuper cap. 7. Luc. art. 17. rem confirmãs his verbis: *Chriſtus miſericordiæ viſceribus ineffabiliter affluens, miſertus eſt viduæ huic de vnici filij amiſſione, præſertim cùm & ipſe dulciſſimus eſſet, ſuæ dulciſſimæ filius genitricis, & ſciret quantum diligeretur ab ea, & quantum de ſua futura morte, & paſſione illa eſſet contriſtanda, ploratura, & affligenda.* Ecce tibi cur Lazaro præponatur adoleſcens, cur citius ad vitam reuocetur iſte, quia Mariæ intererat vmbra.

Carthuſian.

Nec Mariæ nominis vmbra fructu vacua eſt.

7 Nec tantùm rationis compotes Mariani nominis vmbræ ſentiunt beneficia, ſed ipſa animalia rationis expertia, quid ſanctiſſimi huius nominis vmbra valeat, experiuntur. Quãdoq; de Virgine loquens noſter Carthagena lib. 2. homil. 7. perſubtilem mouet quæſtionem: Quid eſt, quòd Deus, qui terræ, animantibuſque eam incolentibus maledixit, aquis, & piſcibus neutiquam maledicendum exiſtimauit, vndè in vniuerſa ſcriptura nũquàm hæc maledicta legũtur? Cur hoc? Quæ piſcium, aquarumque eſt prærogatiua? Magna equidem idem reſpondet Carthagena, nam Mariani nominis vel decorantur vmbra, vel vmbræ gaudent protectione: aquæ n. dum maria vocantur, Mariano nomine fulgent, cùm ijſdem prorſus litteris maria, & Maria cõponantur. Vndè D. Bonauentura: *Cõgregationes aquarũ appellauit Mariæ.* Piſces poſtmodum, dum aquarum congregationem, quæ maria appellatur, incolunt, aquarum gaudent nomenclatura, Mariæq; nominis proteguntur vmbra. Peracutè allatus Carthagena loc. cit. tactam ſoluens quæſtionem: *Piè n. in primis exiſtimauerim Deum hunc honorem huic ſanctiſſimo nomini Mariæ à principio creationis mundi detuliſſe; vt quia ſacroſanctum hoc Mariæ nomen mare ſignificat, nec aquis eius, nec piſcibus aquarum incolis vnquam malediceret: cùm tamen alioquin terræ, & animãtibus quibuſdam maledixiſſet, ſacra ſcriptura cõmemorat.* En quomodo & ipſa irrationabilia Mariani nominis vmbræ vtilitatem experiuntur quandoque.

Bonauent.

Carthagen.

Animãtium maledictionis piſces immunes, & quare?

8 Mirabili dicto præſentem claudo tractationem, quòd nempè Chriſtus ipſe maiores inter preſſuras aliud (ſi fas eſt dicere) non habebat aſylum, quàm materni nominis vmbram, pro qua re verba illa pſal. 85. *Saluum fac filium ancillæ tuæ.* adduco, quæ & ſi in perſona fidelium Eccleſiæ Dei ancillæ filiorum dicta autument nonnulli, Auguſtinus tamen in perſona Chriſti prolata exiſtimat. Vndè Iacobus de Valẽtia ſuper citatum pſalmi locum: *Principalis intentio prophetæ eſt prædicere in hac oratione totum myſterium, & diſcurſum cuiuſdam orationis, quam Chriſtus fecit in nocte ſuæ paſſionis*; quod ſi verum, vt veriſſimum eſt; cur coæternus, coæqualis, conſubſtantialiſque Patri, cum eſſet, ancillæ filium ſe vocat? Cur non dicit: ſaluum fac filium tuum, quòd potius ancillæ filium ſe maluit appellare? At ſi nulla per antonomaſiam Dei nuncupatur ancilla, niſi Maria, iuxtà illud ipſiuſmet Virginis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Luc. 1. ſe ancillæ filium appellando, Mariæ filium dicere intendebat; ità prorſus Auguſtinus loco citato: Audi nunc ſublime myſterium; æternam Chriſtus ſilet filiationem, quia Patrẽ de toto iuſtitiæ rigore redemptionis pretium exigentem videbat: quid igitur (ac ſi intra ſe diceret) in tanta Iudæorum crudelitate, dæmonumque ſæuitia agendum? In preſſuris à Patre relictus, ad materni nominis confugiam vmbram, vt ibi ſaltèm ſolatium aliquod inueniam, vbi nullus reperitur afflictus: *Saluum fac*, dicit Auguſtinus, *filium ancillæ tuæ: Cuius? Filium eius, quæ dixit: Ecce ancilla Domini.* Vel vt clariùs dixit citatus Valentia: *Saluum fac filium ancillæ tuæ Mariæ.* En quomodo Chriſtus ipſe (ſi ſic dicere non erit incongruum) ad materni nominis vmbram pro conſolatione confugit quandoque.

Pſal. 85.

Iacob. de Valen.

Luc. c. 1.

Auguſt.

Iacob. de Valen.

Inter maiores preſſuras ad materni nominis vmbram veluti ad Aſylum confugiebat Saluator.

Digitized by Google

Domine, iàm fætet, quatriduanus est enim. Ioan. 11.

§. IV.

Terræ, Cælo, & Inferis obolent crimina.

1 DIsertissimus ille Chrysologus, qui ingenij acumine longè multos cæuos suos pcelluit, Marthã fratrem fętere dicentem audiens: *Ioan. c. 11.* *Domine, iam fætet.* Io. 11. se cohibere nõ potuit, quin ser. 65. in Christi persona *Chrysolog.* diceret: *Mulier, quòd fætet, cuius est?* An Deus, qui cuncta bona fecit, hominem tantùm malè olentem produxit? Nequaquam sanè: immò si plusquam verum est, nihil vt virtutẽ redolere; vndè *Origenes.* Origenes: *Virtus spirat vnguenta.* & *Bernard.* Bernardus ser. 42. *Odor deuotio est, odor bona opinio est*, non fætentem, sed maximè benè olentem hominem produxit, qui illum donis, gratijs, & virtutibus refertum cõdidit: quod modò puteat, quid ad Christum? Aliundè igitur graueolentiæ est quærẽda origo, quã si citò inuenire volueris, minimè sit tibi molestum, si dicam: quis illum virtutibus spoliauit, nisi tu? Quis è paradiso eiecit, nisi tu? Immò quis illum in sepulchrum iniecit, nisi tu? Tu in primo Parente suauem virtutum odorem, in fætorem inobedientiæ commutasti: *Chrysolog.* *Modò ad te pertinet, quod à te venit, in sepulchro non sentires fætorem, si in paradiso suaforem noluisses audire.* Chrysologus loco cit. Igitur ò Martha, si de excelso misit ignem in ossibus tuis, & vndè originem duxerit fætor, erudiuit te: si conuertit te retrorsum, vt primæ recordareris mulieris, quæ mali tanti causa extitit, & ruinæ; ne fratre dęsolatã te dicas, cùm tu tibi mali coagulum adinueneris, sed te tota die marore confectam ostende, vt sic ex contritione, confessione, & satisfactione (vt dicit magnus ille Paduanæ ciuitatis iubar Antonius) optima Spiritus sancti virtute effecta confectione, peccati fætorem non sentias: *Optima confectio, ait modò dictus Antonius, cùm ex tribus electis speciebus contritionis, confessionis, & satisfactionis, & balsamo diuinæ miserationis conficitur opere apothecarij, ideſt, Spiritus sancti electuarium animæ pœnitenti.* Hactenus ipse. Verùm quia ad omnium nares, sicuti ad illas Marthæ, spiritualis hic peccati putor peruenire minimè consueuit (quod quidẽ incurabilis morbi solet esse indicium, iuxtà illud Chrysostomi homil. 74. in cap. Matt. 13. *Quid. n. refert, si tu fætorẽ non sentis? hoc. n. incurabilis maximè morbi signum esse videtur, & eò difficilioris, quò humana corpora corrodit, & fœtet*) ideo vt tu illũ sentires, tibiq; ipsi, vt alter Antiochus, qui vt 2. Machab. 9. habetur, fætorẽ suum ferre nõ poterat, molestus effectus, morbi agnosceres grauitatem, diceresq; cum Dauide: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* psalm. 37. te non in domũ, sed in stabulũ pijssimus duxit Samaritanus, ità Lucæ 10. *Imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* vt stabuli fætore, animantium tuorum fætorem sentires. Vndè Carthusianus art. 27. *Propterea potius ait stabulum, quàm domum, vt præsentis vitæ fœtores attendamus.* Et clarius Paduanus Antonius Dom. 13. post Trin. *Stabulum est fœtor propriæ iniquitatis. Anima peccato sauciata, sed Spiritus sãcti emplastro curata, super iumentum obedientiæ ducitur ad stabulum, ideſt fœtorem propriæ iniquitatis.* Quem propriæ iniquitatis putorem, si iàm in stabulum ductus sentis, sede in sterquilinio propriæ conscientiæ, & præuio diligenti examine, confessionis testa, vt fætorem in odorem vertas, peccatorum saniem rade, sicuti ait modò dictus Antonius Paduanus: *Ad fœtorem propriæ iniquitatis ducitur, vt ibi sedeat cum Iob: Testa saniem radebat fatens in sterquilinio. Testa vocabulum ab argilla exocta sumpsit, quæ de molli sic efficitur tosta, vndè testa quasi tosta est dicta, significat asperitatem pœnitentiæ, qua pœnitens sedens in sterquilinio, ideſt humilians se in sui peccati fœtore, debet radere suorum peccatorum saniem.* Sin autem te stabuli putor edocuit, sine, vt fodiam circa te, & mittam stercora (vel vt Vgo Card. glossat) *Sine, vt abominationem peccatorum*

Anton. de Padua.

Optima cõfectio cõtra scelerum putorem contritio, confessio, & satisfactio.

Chrysost.

Psal. 37.

Luc. c. 10.

Carthus.

Ant. de Pad.

Ad stabulũ ducitur sauciatus, vt peccatorũ sentiret graueolentiam.

Idem.

Vgo Card.

Nil sic odorum, vt virtus.

Cunctis exitiũ peperit mulier.

Digitized by Google

Scelerum recordatio abominationem parit.

rum tuorum reducam in mentem tuam. Peccata .n. stercora dicuntur propter fœditatem, & vilitatem. Quia ne saltem quàm mũdo, superis, & inferis tua fœtent iniquitas, intelliges.

2 Scelestorum animas spiritualiter obolere pleno ore dixit Gregorius in Glossa citatus super illud Gen. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem*; rationem assignans; cur non igne tantum, sed sulphure etiam scelestissimæ hæ ciuitates puniri deberent, cum ait: *Sulphur fœtor ẽ carnis, ignis ardor carnalis desiderij; Cùm Dominus carnis scelera punire decreuisset, qualitate vltionis innotuit macula criminis. Sulphur .n. fœtet, ignis ardet. Qui ergo ad peruersa carnis desideria, carnis fœtore arserant, iuxta sulphure, & igne perierunt, vt ex iusta pœna discerent, quod iniusto desiderio fecissent.* Idem dixit Antonius Paduanus in mystica expositione super illud Genes. 11. *Inuenerunt campum in terra Sẽnaar, & habitauerunt ibi. Inuento campo mundani gaudij habitant Sennaar, quod interpretatur fœtor: in fœtore .n. gulæ, & luxuriæ ædificant suæ conuersationis domum.* Et super illud: *Nescies in omni circa regionem.* cap. 19. vbi vlterius annotat iureoptimò à Sodomis elongari debuisse Loth, quia tetro illius ciuitatis odore, vicinæ etiam regiones malè olebant: *Si quis ingressum, & egressum bene consideraret, de Sodomis, ideſt, de peccati fœtore exiret.* Mox dictus Antonius. A præfatis non discessit Glossa ord. cùm super locum illum Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* per crocum virtutes, & p stercora peccata significari asseruit. Cuius verba sunt, *Virtutes anima voluptuosè vescis, & in croceis nutriri videntur, cùm dilectione Dei, & proximi affecta satiantur, & illuminantur. Color .n. croceus claritatem dilectionis designat. Cùm autem charitas amittitur, amplexãtur stercora: quia de bono Dei, & proximi odore dilectionis, transeunt ad fœtorem prauitatis.* Idem prorsùs asseruit Vgo Card. super illud: *Erit pro suaui odore fœtor.* Isaiæ. 3. vbi sicuti per odorem, virtutes, sic per fœtorem, scelera intelligit: *Erit pro suaui odore, ideſt virtutũ; fœtor vitiorum.* Et super illud Dauidis psalm. 136. *Beatus qui allidet paruulos tuos ad petram.* quando paruulis ob putorem peccata comparauit, dicendo: *Dicuntur autem mali mores paruuli propter proprietates paruulorum malas. Paruuli enim fœtent vrina, & immunditia, sic mali mores in anima fœtent in cõspectu Dei.* Quod argumentum prosequutus est etiam super verba illa Ecclesiastici. 9. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* vbi iureoptimò stercori ob fœtorem meretricem comparatã asserit, eiusq; verba sunt: *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quantacumque nobilitatis sit, vel formositatis, quasi stercus in via conculcabitur, plurimorum libidini se exponẽs: & sicut stercus quantò plùs calcatur, tantò amplius fœtet, ità mulier quantò pluribus se exponit, tantò plùs sordet: & sicut stercus quantò recentior, tantò fœtidior, ità est de meretrice.* Et deniq; reliquos vt omittam, benè cum sonitu peccatores perire, iuxtà illud psal. 9. *Perijt memoria eorum cum sonitu,* asserit Bernardinus Senens. to. 1. serm. 22. art. 3. c. 2. quia veluti ventris crepitus fœtent, vicinosq, putore afficiunt: *De talibus,* ait modò dictus Bernardinus, *dicitur psal. 9. Perijt memoria eorum cum sonitu, qui de ventre hominis egreditur fœtens, quia tales in morte repentina, & fœtenti infamia subitò ab oculis hominum elabuntur.* Nec talis est contemnenda comparatio, quia scelesti prius sibi ipsis olebẽt, quàm alijs, vnde Ezechiel. 8. illi viginti viri, qui versa facie ad orientem dorsa contra templum vertẽtes Solis ortum adorabant; ramos quosdam naribus applicabant: *Ecce applicant ramum ad nares suas;* nè scelerum suorum pẽdorẽ sentirent: *Peccatores,* ait Antonius Paduanus in mystica expositione, *ad occasum non respiciunt, quia mortem non considerant. Tales insuper ramos ad suas nares applicant, nè peccatorum suorum fœtorem sentiant.* Hæc, atq; alia recentiores, atq; antiqui patres de vitiorum putore dixerunt.

3 Verùm locum illum: *Mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus, et extrinsecus.* Genes. 6. nequaquam sic curſim transeundum existimo; nam quòd arca ad iusti conseruationem cõstrui deberet, esto: quod ad

Genes. c. 19.

Gregorius.

Peccatorũ putor quantus?

Ant. de Pad.

Thren. c. 4.

Glos. ord.

Verborum illorum *Qui nutriebãtur in croceis, amplexati sunt stercora.* Thren. 4. intellectus.

Vgo Card.

Eccles. c. 9.

Idem.

Meretrices stercori comparatæ, & quare?

Bernardin. Senens.

Ezech. c. 8.

Ant. de Padua.

Genes. c. 6.

Digitized by Google

incolarum commoditatem, atque distinctionē mansiunculæ fierent, benè: quòd deniq; bitumine foris ad coercendū aquæ ingressum liniretur, optimè; verùm ad quid posteà etiam intrinsecus liniri iubetur: *Bitumine linies interius, & exterius?* Rates, triremes, & naues oppicari quidem solēt, at extrinsecus tantùm, nec vsquemodo aliquod nauigij genus exterius, interiusq; picatum visum fuisse existimo, cur igitur sola arca bitumine interius, exteriusq; linitur? At ò magnā Dei prouidentiam, quia non aquæ solum, sed fœtoris etiam cohiberi debebatur ingressus, eadem paulò superius dicente scriptura: *Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippè caro corruperat viam suam super terram.) dixit ad Noe: repleta est terra iniquitate, &c.* iureoptimò non vt rates extrinsecus tantùm, sed intrinsecus etiā arca liniri debebat. Perbellè Petrus Cellensis lib. de panib. cap. 11. *Ecce Noe quasi cloacarius mundi præ nimio fœtore omnem fenestram arcæ bituminauit.* En quantus scelerum putor! quantus fœtor! quòd arcam non vna, sed duplici litura, vt incolumis iusti à tali contagio seruaretur familia, liniri fecit.

Ibidem.

Arca cur bitumine exterius, interiusque linitur?

Petr. Cellēs.

4 Demirabar multoties: Cur non in Dei protectione, nec in Dei potentia, sed in vmbra alarum illius vsq; ad iniquitatis transitum se sperare asserat Dauid, cùm ait: *In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Psal. 56. at nunc scelerum pædore mūdum repleri agnoscēs, ideò ad alarum vmbram vsque ad iniquitatis transitū Dauidem cucurrisse existimo, quia aliam fenestram in Christi latere aperiendam esse prænidebat, tunc scilicet quando ad gallinę similitudinem alas in cruce erat extensurus, cuius rei prophetico spiritu ipse præscius, quid faciam? intra se (vt reor) dicebat: Quò ibo? Vbi me abscōdam, vt peccatorum fœtorem fugiam? Scio, quid faciam: cùm lācea tanquā claue Christi pectoris aperietur arca, tunc ibi ad Noe similitudinem vsq; ad iniquitatis transitum me abscondam, ostiumq; deforis, nè putor ingrediatur, claudi postulabo. Optimè Drogo Episcopus serm. 1. Dominicæ passionis: *Introduc & nos ad te per ostium lateris tui, quod est fides Ecclesiæ: & claude ostium foris, donec pertranseat iniquitas: & cessante diluuio iterum nobis aperies ostium, non iam fidei, sed spei: ostium contra ostium, quod in montis ædificio Ezechieli propheta monstratum est.*

Psal. 56.

Drog. Episc.

Latus Christi arca, in qua inundāte peccatorum diluuio saluari expostulabat DD. ne fœtore inficeretur.

5 Carpo nunc mysterium: Cur in testem suæ pœnitentiæ Saluatorem assumens Magdalena, retro stare voluerit, dicente Euangelista; *Stans retro secus pedes eius.* Luc. 7. quia Christum ad instar hominum à rebus graueolentibus vultum auertentium, à se peccatrice faciem auersurum existimabat, nè eius offenderetur olfactus: & fallebatur sanè, nàm Deo pœnitentium lacrymæ non obolent, sed benè olent. Vndè Chrysologus ser. 65. *Quod perditori fœtet, non fœtet Creatori. Quod horret alieni operis euersor, amator sui operis nō abhorret.* Nec præterea quòd non lacrymis tantùm, quę certè ad diluenda peccata satis fuissent, sed vnguento etiam in Christi pedum lotione vti voluerit, nisi quia vnguenti odore peccatorum suorum malolentiam temperare satagebat. Ita Gomezius in cap. Luc. 11. *Fœtidum valdè est peccatū, vndè cum Maria Magdalene ad Christum veniret, attulit alabastrum vnguenti pretiosi propter suauem eius odorem, vt fœtore, quem peccata ipsa ex se emitterent, eundem Christum dominum non afficerēt. Quam etiam ob causam ipse DD. Deo dicebat: Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Hæc Gomezius, quibus satis cōstat, etiam ipsos peccatores peccati sensisse putorem.

Luc. c. 7.

Chrysolog.

Gomez.

Neuticquam ad Christi pedes Magdalena fine vnguento accedit, & quare?

6 Præstat nunc, quis fuerit ille leo, & cur tàm instanter ex eius ore Christus liberari poposcerit, cùm ait: *Saluame ex ore leonis*, psalm. 21. vastigare: & breuiter, vltra dæmones, & Iudæos, vt multi autumant, Iudam etiā, immò ipsum præcisè per hunc leonē, non tàm ob feritatem, quàm ob oris grauitatem significari non deest qui dicat: Postremò autem noster Carthagena lib. 9. de Augustiss. Eucharistiæ Sacramento homil. 2. idipsum affirmauit; & si quæres: Cur ex istius leonis ore Christus tàm anxiè liberari optauerit? Ne tetrum Iudæ spiritū, qui instar leonis halitum malcolebat, sen-

Psal. 21.

ſentiret, liberari popoſciſſe, reſpõdebit præfatus Carthagena. Quòd ſi vlteriùs; cur tàm grauis eſſet Iudæ odor, noſcere cupis, Ioannem audi dicentẽ:

Ioan. c.13. *Cùm diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* cap.13. & tantæ graueolentiæ cauſam intelliges; quia ſcilicet proditionẽ eructabat. Audi nunc ſublime myſterium; cur ex huius leonis ore tàm inſtãter liberari Chriſtus optauerit, quia præuidebat, quod oſculo eum Iudas erat proditurus, & os, quod abũdabat malitia, ori in quo dolus non eſt inuentus, erat appoſiturus, ex quo proditoris ſpiritum effugere non poſſe prænoſcens; *Libera me ex ore leonis*, ad patrem clamauit, ac ſi diceret: tormenta non timeo, crucem non horreo, mortem pro hominum ſalute prorſus nihilipendo, at tetrum proditoris ſpiritum quonãpactò ferre valebo? Si per proditionem iram in die iræ ſibi theſaurizare ſatagit; alio ſaltem ſigno efficiat, non oſculo, nè oris eius grauitate afficiar; quod apertè (ni decipior) per verba illa eidem

Luc.c.22. Iudæ obiecit: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Lucæ 22. quæ idem, vt puto, ſonant ac: magiſtrum prodere peſſimum ſanè opus eſt; verùm ſi ſic in tui perniciem ſtatuiſti, ad quid os ori applicas? An neſcis quòd plus halitus tuus, quàm Iudæorum tormenta me exulcerant? Ita Bernardinus Senenſ.

Nil Chriſto peccato graueolentius.

Bernardin. Senenſ. p.4.ſerm.45. *Putredo illius oſculi fuit de horribilibus fœtoribus, quos vnquam ſenſerit Chriſtus.* Et clarius allatus Carthagena loco cit. vbi aſſerit, propterea diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum tempore proditionis fuiſſe inſtitutũ,

1.Corinth. c.11. dicente Paulo 1.Corinth.11. *In qua nocte tradebatur, accepit panem.* quia cæleſti illius odore tetrus proditoris fœtor, qui ex ore ſæuiſſimi illius leonis Iudæ egrediebatur, erat pellẽdus: nàm ſi nos cùm aliquod graueolentum offendimus, nè afficiatur olfactus, odoris quid accipimus, naribuſque applicamus; nil aliter Chriſtus in qua nocte tradebatur, panem in manibus accepit, vt huius odore à proditionis liberaretur fœtore. Audi ipſum: *Ea in nocte præbet clemẽtiſſimus Ieſus buccellã ſuæ carnis, qua peſtilens ille odor depelleretur. Erat n. adeò moleſtus, & grauis Deo, vt Chriſtus dixerit: Libera me ex ore leonis, ideſt libera me à Iudæ oris fœtore grauiſſimo.* Ecce tibi cur Chriſtus leonis os pertimeſcat: ecce cur proditionis tempore Euchariſtiam inſtituit, quia fœdum Iudæ ſpiritum proditionem olentem ferre non poterat.

7 At parum ſanè eſſet ſi terrã tãtùm peccati inficeret pœdor, niſi etiam cælum vſque aſcenderet; immò, vt noſtro loquendi modo vtar, niſi ad ipſas Dei nares perueniret; Pro quo argumento linquo quæſtionem, curantè Deum tot thuris odores effunderet Angelus ille, de quo Apoc.8. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coràm Deo.* quia ſæpè de peccatorum cadaueribus fœtorem aſcendere, iuxtà illud Iſaiæ 34. *De cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* te legiſſe exiſtimo: ex quo Angeli mentem facilè percipere potes, nàm vt fœtorem à Dei naribus (vt ità dicã) depelleret, thuris effundebat odores, quo vt vulgari relicto, ſubtiliorem moueo quæſtionem: Cur ſanctorum animæ non in Dei mente, nec in Dei corde, ſed in Dei manibus ſitæ deſcribuntur, dicente Sapient.cap.3. *Iuſtorũ animæ in manu Dei ſunt;* & licet D. Antonij de Padua ſatis mihi arrideat opinio dicentis, quòd ad odorandum vt florũ faſciculos Deus illas aſſumit: *Solẽt nobiles*, ait ipſe, *in manibus florem, vel pomum ad odorandum geſtare*; maiorem tamẽ mihi ingerit difficultatem, cùm Deum nullatenus creaturis indigere agnoſcam; quid eſt igitur, quòd ſanctorum animas ad odorandum aſſumit? Verùm pro difficultatis ſolutione, alia non minor eſt mouenda difficultas: Quonampactò in cælum peccare potuerit prodigus, quòd patri dicere decreuerat: *Pater, peccaui in cælum, & coram te?* Luc.15. Si Dauid Deo ſoli ſe peccaſſe aſſerebat: *Tibi ſoli peccaui.* pſal.50. quonammodò etiam in cælum peccare poterat prodigus? Si peccatum auerſio eſt à Deo, & conuerſio ad creaturas, ſatis fuiſſet dicere: pater, peccaui coram te; ad quid in cælum etiam ſe peccaſſe addit? Difficultati occurrit D. Bernardinus Senẽſis 1.p.ſerm.24.art.2.cap.2. his verbis:

Apoc.c.8.

Iſaia. c.34.

Sapien.c.3.

Ant. de Pad.

Iuſtos vt florũ faſciculos ad odorãdũ aſſumit Altiſſimus.

Luc.c.15.

Pſal.50.

Bernard. Senenſ.

Carthagen. Euchariſtiæ Sacramentũ cur pditionis tempore inſtitutum?

Digitized by Google

eit peccati fætore. Ecce tibi cur iustos veluti florum fasciculos ad odorandũ in manibus assumat Altissimus, quia iniusti peccati fætore cælum inficiũt, vt igitur illorum odore, horum putorem non sentiat, iugiter illos in manibus gestat. Audi allatum Antonium: *Debemus esse in manu Dei tamquàm flos, vel pomum ad odorandum. De anima n. quasi de pomo vel flore odor exit, & tota ipsius affectio, cogitatio, & delectatio in Deo quiescit, vt dicat cum psalmista: Domine ante te omne desiderium meum. Et illud* Cāt.1. *Cùm esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Et ipse; Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus?*

Ant. de Pad.

Cælum vsq; peccatorum fætor ascendit.

8 Modò dicta de iustorum animabus ad odorandum assumptis firmat ille alter Apocalyp. locus: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coràm agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quę sunt orationes sanctorum.* c.5. quia vt Gregorius IX. in canonizatione S.P. Francisci asseruit: ob id in vniuscuiusq; senis manu phiala odoribus plena asseruabatur, quia phialarum fragrantia scelerum putorẽ (si sic dicere licet) fugare satagebant. Nil aliter allatus Gregorius: *Phialæ aureæ, quas vidit Ioannes plenas odoramentorum in conspectu Altissimi ad abolendam nostrorum criminum corruptelam, odorem suauitatis emittunt.* Patet itaq; cælum etiam (si fas est dicere) peccatorum graueolentiam penetrare, dum ad illam depellendam, flores assumuntur, & odores.

Apoc.c.5.

Greg. Pap. IX.

Ad abolẽdã scelestorum corruptelã phialę aureę odoramẽtis plenæ in eęlis assumuntur.

9 Credi vix tãdem poterit, quòd diabolo etiam oboleant quandoque hominum crimina: nec ipsum in porcos semel mitti poposcisse obijcias, cùm, vt Chrysologus ait, vitijs delectetur; *Cænum petunt* (ait ipse) *ruentes è cælo, sordibus vtiq; delectantur, & cæno, qui semper fætore criminum pascũtur:* nàm talia esse solent quandoq; vitia, vt ipsis etiam dæmonibus fœteant; pro cuius veritatis probatione titulũ affero, quem malæ conscientiæ dandũ existimauit Bernardinus de Bustis par.2. quadragesimalis fer.5. de conuersione peccatoris ad pœnitentiam ser.6. §.9. *Est autem conscientia peccatoris latrina diaboli.* Et facilè cur cloacæ peccatoris conscientia comparetur, percipio, quia & si hæc ad exonerandum ventrem accommodetur, tamen emissis sordibus, statim emittẽs, nè fætore afficiatur discedit; ita prorsus diabolus tẽtationes quidẽ immittit multoties, sed statim illis imminssis discedit, vt ex parabola zizaniorum habetur: *Superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Matt.13. vbi Chrysologus serm.96. *Diabolus impellit quidem viribus ad ruinam; sed postquam prostrauerit, derelinquit.* Hæc ipse, quæ si tibi non satis probãre videntur ob fætorem s. cõscientiam diabolum deferere: audi quid de inhonesto quodã Mago, ad quem iuxtà morem apparere quandoque renuebat diabolus, & apparens tandem, de mora interrogatus proprio ore ipsum respondisse refert Rupertus Holchot. lect.118. super caput Sapientiæ 9. his verbis: *Fatet autem luxuria, non solùm in conspectu Dei, & Angelorum bonorum: immò etiam coram quibusdam dæmonibus nobilioris naturæ. Vndè quidam negromanticus cùm dæmonem more solito incantasset, post lõgam expectationem, & carminum suorũ terminationem; tandem apparuit stans à longe, vestibus obturans nares suas: à quo cùm coniurator quæreret, quare ità tardasset? & quare ità remotè staret? respondit: fætor luxuriæ tuæ non permittit me ad te accedere: cognouerat autem meretricem suam Clericus ille parùm ante.* Quis posthac an diabolo vitia oboleant ambigebit, si ipse proprio ore luxuriæ fætorem ferre non posse confitetur; immò si apparere coactus ad inhonestum, nedùm accedere timet; verùm etiam procul ab ipso veluti à fœtidissima cloaca stans nares obturat.

Chrysol.

Bernard. de Bustis.

Peccatoris conscientia latrina diaboli, & quare?

Matt.c.13.

Chrysol.

Rupert. Holchot.

Etiã diabolo fœtent quãdoq; hominũ scelera præcisè luxuria.

10 Haudquaquàm difficilis erit quæstionis illius solutio: Cur diabolus, qui extrà hominem exulare se putat, ab illo nullo cogente egrediatur quandoque: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine.* Luc.11. quia & si peccatoris conscientiam domicilium suum iure belli acquisitum existimet, fætorem tamen illius ferre multoties non valens, veluti immundam, fœtidamque cloacam relinquit, & deserit. Gomezij est, quod dico, qui super

Luc.c.11.

præ-

Digitized by Google

præfatum Lucæ locum; cur diabolus vltrò ab homine egrediatur aliquando, hanc affert rationem: *Fœtidum valdè, & horrendum eſt habitaculum illud, quia tale illud efficit peccatum, quod innuit Dauid dicens: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, vbi alia translatio habet: Omnes fœtuerunt.* Ad quod argumentum faciunt dicta primæ partis Dominicæ tertiæ §. 3.

Gomez.

Diabolus p̃ nimio ſcelerum fœtore hominẽ multoties veluti immundam cloacã fugit.

Digitized by Google

DOMINICA PASSIONIS.

Nònne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Ioann. 8.

§. I.

Ructus cordis verba, quibus quale sit redolet.

1 DE verbis verba facientes nonnulli, eorum descriptionem varijs similitudinibus tradere studuerunt: Hinc aliqui ex latentium cogitationum declaratione disertissimos animi interpretes ea vocare consueuerunt. Ità inter cęteros Ouidius.

Ouidius.

Format .n. natura priùs nos intùs ad omnem.
Fortunarum habitum; iuuat, aut impellit ad iram
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Post effert animi motus, interprete lingua.

Lingua cordis interpres.

A quo nedùm non discordat Prudentius, verùm pectorum etiam prędones ea appellat, cùm dicit.

Digna est fidelis lingua, quæ sit hostia.
Interpres animi, enunciatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris.

Alij ex cordis affectibus, quos ostendunt; cordis imagines verba nuncupanda asseruerunt; Ità Seneca: *Cordis imago est sermo, ex .n. abundantia cordis os loquitur.* Et Halicarnassæus: *Imagines quædam morum verba esse videntur.* cap. 12. de antiquis oratoribus. Alij pulsui, ex cuius motu valetudinis, vel ægritudinis dignoscitur status ea assimilant, quia ex eis animi regularitatē, vel irregularitatem arguimus. Nil alitèr præfatus Seneca, quùm ait: *Qualis vir, talis est sermo eius.* Vndè de cuiusdam adolescētis physiognomia interrogatus aliquando Socrates, non vt physiognomus vultum, sed vt philosophus locutionē ab adolescente poposcit, dicēs: *Loquere, vt te agnoscā.* His, atque alijs peraccommodis similitudinibus verborum naturam declarare satagerunt philosophi. Mihi tamen supra cunctas comparationes ructus arridet similitudo; quia sicuti per ipsius redolentiam facilè concoctarum in stomacho escarum qualitates percipiuntur; sic interioris hominis cogitationes in memoriæ ventre digestæ, ex sermone dignoscuntur. Disertissimè Hieronymus epist. ad Principiam verba explicans illa; *Eructauit cor meū verbum bonum.* psal. 44. dùm dicit: *Ructus propriè dicitur digestio cibi, & concoctarum escarum in ventum efflatio. Quo modo .n. iuxtà ciborum qualitatem de stomacho ructus erumpit, & boni, vel mali odoris flatus indicium est: ità interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur.* Quam similitudinem prosequutus est etiam Toletus super illud Prouerb. 15. *Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam*, cùm dicit: *Stulti enim os velut Cacabus ebullit, & velut stomachus plenus stultitia eam eructat.* Hinc moralissimus Seneca epist. 11. adolescentis cuiusdam bonam indolem primo verbulo se cognouisse testatur verbis illis: *Loquutus est mecum amicus tuus bonæ indolis: in quo quantum esset animi, quantum ingenij, quātum idem etiam profectus, sermo primus ostēdit.* Sed ad quid tot philosophorū vtor sentētijs? Adest impræsentiarū Gregorius, qui Iudæos Saluatorem dæmoniacū appellantes audiens: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ioan. 8. id ipsos eructasse asserit, quo pleni erant: *Si eisdem ista dicentibus respondere voluisset, dæmoniū*

Seneca.

Sermo cordis imago.

Halicarnas.

Seneca.

Socrates.

Hieronym.

Verba cordis ructus. quo concoctarum in mētis corde escarum qualitates dignoscuntur.

Prou. c. 15.

Toletus.

Seneca.

Ioan. c. 8.

Gregor.

vos

vos habetis, verum profectò diceret: quia nisi impleti damonio, tàm peruersa de Deo loqui minimè possent. Hæc Gregorius. Nos autem quàm ex hac oris efflatione digestæ in mentis stomacho cogitationes, & in ventris corde passiones dignoscantur, ostendemus.

2 Ex sermonibus, atque loquela cordium arcana nota fieri, pluribus scripturæ locis probare minimè esset

Psal.72. difficilè, sicuti ex illo psalm.72. *Cogitauerunt, & loquuti sunt nequitiam.* vbi

Incognitus. Incognitus: *Primò ergo cogitant, & postèà loquuntur: quia ex abundantia cordis*

Matt.c.12. *os loquitur*; Et ex illo: *Bonus homo de bono thesauro suo profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.*

Chrysost. Matt.12.vbi Chrysost.homil.43. *Nolì putare, inquit, id in vitijs ità fieri solùmodò, cùm etiam in virtute pariter contingat. Proba.n. verba maltò probatiorem*

Proba verba probatioré virtutem intus esse significat, & è cõtrario. *virtutem intus esse significant: per quæ declarat existimandum esse, & illos peiores esse, quàm verba significarent, & se meliorem quàm verbis confirmaretur.*

Matt. ibid. Et ex illo, *Ex abundantia cordis os loquitur.* Matt.12.addente Paschasio lib.

Paschasius. 4.cap.12. *Quoniam calamus linguæ illa profundit, quæ intùs abundant. Nec possunt de malo thesauro, nisi quæ mala sunt assuetè proferri.* Et ex illo: *Qui de terra est, de terra loquitur.* Ioann.3.super quæ

Ioan.c.3. verba Vgo Card. *Qui de terra est, ideſt*

Vgo Card. *cuius est terrena affectio, & conuersatio, eius est terrena loquutio, & operatio. Ex lingua cognoscitur vndè sit homo. Matt. 26. Verè tu ex illis es, nàm & loquela tua manifestum te facit.* Quæ omnia ideò absq; trutinatione transiui, quia vt vulgaria, satis tibi nota esse existimo; in selectioribus autem sistemus magis.

3 Et in primis illa Bernardini Senensis se mihi offert difficultas: Quid est, quòd Deus, qui multa corporis membra cordi viciniora non sic ei coniuncta produxit, sicuti linguam, quam iuxtà anotomistarum sententiã cordi ligauit? Et facilè difficultatem soluit dicendo, quòd nè à corde lingua discordaret, cordi cohærentem

Bernardin. Senens. produxit: *Fecit homini Deus linguam cordi ligatam, atque coniunctam: per hoc manifestè indicare voluit nobis, quòd nõ aliud loquendum est ore, quàm sit radicatum in corde.* Præfatus Bernardinus tom.2. fer.4. post 3.Dom.Quadr. ser. 29.de odibili, & execrabili detractione art.1. cap.1. At ego non tàm ad voluntariam, quàm ad necessariam, (vt ità dicam) cum corde consonantiam significandam cordi radicatam productam fuisse æstimo, quùm id fere volens, nolens proferat, quod corde concepit; quod præterquàm apertissimè dixit Saluator verbis illis:

Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cùm sitis mali? Matt.12.Probo etiam Herodis verbis ab eodem Matt.c.2.relatis: *Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis renunciate mihi.* dùm solerter inquiro: Quid est, quòd puerum vocat, quem Magi regem natum fuisse cõfitentur: *Vbi est, qui natus est rex iudæorum?* ibid. Cur bone Deus malitiam non simulat? Cur non de rege, sed de puero interrogari iubet? At ò mysterium! quonampactò lingua cordi radicata a corde discordare poterat, nullatenus sanè, & quia diuinitus nunciatum infantulum paruum, non magnum videre cupiebat, puerum illum appellare poterat, regem nequaquàm. Meũ non est hoc, quod dico, sed D.Thomæ dicentis; *Nota, quòd cùm Magi profiterẽtur regem, iste vocat puerum, quia ex abũdantia cordis os loquitur.* En quomodò à corde lingua discordare non valet, sed ei semper consonam se ostendit.

Lingua cur cordi ab ipsa natura ligatur?

Matt.c.12.

Idem c.2.

D. Thomas.

A corde lingua discordare non valet.

4 Docet hanc veritatem, quòd ob colligationem, quam cum corde lingua habet, discordare ab eo non possit, regius Psaltes psal.51. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum;* quia si benè aduertis, duo in modo dictis ipsum asseruisse reperies, & quòd callidè quidem dolum peccator machinari studuerit, & quòd callidas machinationes non tantum non siluerit, nec mussauerit, verùm effutiendo etiam eloqueretur: nec mirum, quòd dolosè molitum sermone prodatur: quia sic cordi iuncta est lingua, vt ab eo dissona esse non possit. Ità Bernardinus Senens.tom.1.Sabb. post 3.Dom.Quad. serm.32. de duplicitate art.2. cap.3.

Psal.51.

Bernardin. Senens.

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, ideſt,

Digitized by Google

Lingua velit, nolit cordi semper consona.

idrift tota die ostendit consuetudinem duplicitatum cùm addit: iniustitiam cogitauit lingua tua; ex coniunctione istorum duorum, scilicet cordis, & oris exprimit, quòd quàm citò cogitatio oritur in corde, tàm citò exprimitur ore, sicut de talibus Ecclesiastici 21. scriptum est: In ore fatuorum cor illorum. In cuius veritatis figura Euphrathæos lego, nec cum euidenti vitæ discrimine Scibboleth, quod spicam significat, proferre potuisse, sed eius loco Sibboleth dixisse, quia vt Vgo Card. ait, non facilè animi, etiam vitæ imminente discrimine, simulari possunt affectus: *Legitur Iudic. 12.* ait modo dictus Vgo, *quòd dicebãt quidam Galaaditę. Nùm Euphrathęus es? quo dicente; non sum: dicebant ei, dic ergo Scibboleth, quod interpretatur spica, qui respondebat Sibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens. Affectio enim trahit ad se linguam, & ideò libenter, & frequenter loquuntur homines de rebus, quas amant; Vndè Hieronym. Vanus sermo vanæ conscientiæ index est, quia ex abundantia cordis os loquitur.*

Vgo Card.

Animi affectus nec cũ vitæ discrimine simulari possunt.

5 Satis variè de facto castissimæ Susannæ adulterio Danielem, senesq; accusatores loquutos fuisse reperio; nam quàm inhonestè rem descripsere illi, tàm honestè ad veritatis dilucidationem loquutus est ille: hi.n. sic accusationem struxerunt, *Venitq; ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea.* Danielis 13. Ille verò contra hos stans, de facto quidèm (vt rectum exigebat iudicium) interrogauit, à concubitus autem, vel commistionis nomine semper abstinuit: sed horum vice colloquutionis vocabulo vsus est: *Nunc autem si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi*, ibid. Cur hoc bone Deus? Vndè tantum inter Danielem, & senes in loquendo discrimen? An quia sicuti concepta in senum corde impudicitia non poterat, non ore produci, sic interna Danielis castitas non, nisi casta proferre faciebat verba? Nil aliter Lyranus: *Curialiter loquens Daniel, sicut homo castus; & verecundus interrogat, non sicut senes impudici, qui dixerunt: Vidimus eos pariter commisceri.* En quomodò obscænè loquuntur obscæni, pudicè pudicus: quia ex cordis, & linguæ coniunctione id ferè ore parimus, quod corde concipimus.

Daniel. c. 13.

Ibid.

Lyranus.

Cõceptos in corde animi affectus os parit.

6 Vexor multum quotiès in verba incido illa: *Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum, qui ad amaritudinem adduxit animã meam. Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Iob. 27. nam haudquaquam capere possum, cur non absolutè se nunquàm Deum offensurum attesteretur Iob, quòd labijs tantùm, & linguæ iuramenti imposito fræno, nunquam contra Deum se loquuturum promittit? Si oculus animam deprędari solet, si manus contra Omnipotentem tendi consueuit, si pedes veloces quãdoque ad effundendum sanguinem sunt; cur relictis manicis, & compedibus linguæ tantùm, & labijs iuramenti frænum imponitur? Sic intrà me hæsitaui multotiès: verùm dubitanti mihi occurrit quandoq; Hieronymus subtiliorem difficultatem mouens, ex qua huius pendebat solutio: Quid est, quòd Satan lingua, labijsq; exemptis vulceribus pessimis à pedis planta vsque ad verticem Iobum percussit, immò vulcere vno corpus totũ infecit? *Pelli meę, consumptis carnibus, adhęsit os meum, & derelicta sunt tantùmodò labia circa dentes meos.* cap. 19. Super quæ dictus Hieronymus sub labiorum nomine linguam etiam, immò principaliter incolumem seruatam asserit; dùm dicit: *Ex omnibus alijs membris vnam mihi linguam reseruauit.* Si absoluta ei fuerat feriendi concessa facultas, cur labia tantùm intacta, linguamque saluam reseruauit? Difficultatem idem eneruat Hieronymus dicendo, quòd non sine mysterio lingua tantùm, & labia integra relinquuntur; quia capere non poterat iniquissimus Satan, quòd ob æruminarũ multitudinem, atq; plagarum acerbitatem contrà Deum obloquuturus non esset Iob: vt igitur apta ad blasphemandum haberet instrumenta, linguam reliquit, & labia: *Ad hoc diabolus* (ait Hieronymus) *consumptis carnibus sancti Iob, labia eius integra dereliquit, vt haberet positus in tormentis, quibus posset facilè blasphemare.* Hæc

Iob cap. 27.

Iob c. 19.

Hieronym.

Idem.

Hic-

Digitized by Google

Hieronymus: quibus amplius hæsitare iam destiti, cur cæteris relictis mẽbris, labijs,& lingua nunquam contra Deum sẽ loquuturum iuraret Iob, quia Diabolum non ob aliud hæc reliquisse videbat, nisi vt blasphemandi non deessent instrumenta;Cui diaboli cogitationi in Iobi persona se opponens Nicetas, hunc ait in modum: *Quamuis cruciatus,& pœnæ producantur, quamuis acerbiora sint mihi perferenda, nihil tamen absurdi,nihil à dignitate Dei alienum iuro me loquuturum, aut animo cogitaturũ,& vsq; ad extremum spiritum peccato repugnaturum.* Apertius, iudicio meo,dicere volens;deciperis certè, deciperis deceptionum inuentor, linguam ad blasphemandum relinquẽs, quia si ideò hæc cordi à natura ligata producitur, nè ab illo discordet,quonampacto à lingua mea,quæ cordi recto inhæret, obloquutionis verba prodire posse existimas? In astutia proculdubio comprehenderis; quia blasphemiarum loco, laudis voces cordi consonas personare audies.

Nicetas.

Lingua Iobi cur à sathana incolumis reseruata?

7 Quis postea fidem asserẽti præberet,quod diabolus ipse in assumpto corpore quacumq; calliditate vtens, aliter(vt ita dicam)loqui ignoret,nisi quã,& mente ipse conceperat?& tamẽ re id probatum reperio: tunc scilicèt quãdo esurienti Saluatori lapides versipellis proposuit hostis: *Dic vt lapides isti panes fiant* Matt.4.quia tunc tentãdi artis se prorsus ignarum ostendit; vt benè obseruauit Chrysologus serm. 11.vbi ipsum his verbis irridet: *Miser, malus vis esse,sed non potes: cupis tentare, sed nescis, esurienti tenera offerre,non dura debuisti,famem non asperis palpare, sed blandis,inediam, non horridis vrgere debueras,sed gulosis. Istis non modò Dei filium, sed hominis filium tu laqueare non posses.* Et cur putas dulcium vice,aspera obtulisse, & mollium loco, dura proposuisse,nisi quia mente durus aliter loqui nõ poterat,nisi durè? Meum non est hoc,quod assero, sed Bedæ dicentis: *Benè de lapidibus panem facere suasit, vt qui durus est mente, duritiam ostenderet sermone.* Audis quare diabolus(vt Chrysologi vtar verbis)malus esse velit,sed non possit;quare tentare cupiat,sed nesciat:quia etiam ipse in assumpto corpore sermonem (vt ita dicam)à mente dissonum proferre non valet.

Matt.c.4.

Chrysolog.

Beda.

Etiam diabolus in assumpto corpore à cogitatis dissona loqui ignorat.

8 Augustinus in cap.Ioan.i.tract. 36.subtiliter inquirit: Quid est, quòd inter omnes Euangelistas,Ioannes solus de Christi diuinitate fari cœperit dicendo, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Si alij vel à temporali prosapia, vel ab Isaiæ prophetia, vel à Zachariæ sacerdotio scribẽdi sumpserũt initium, cur non simili modo incœpit & ipse;quòd veluti terrena,ac temporalia fastidiens ad æternam generationem se contulit?Et facilè ex illo ipsiusmet Ioann.13. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus*, difficultatem enucleat dicendo, quòd Ioannes aliud ructare non poterat,nisi illud,quod biberat;& quia ex ipso Dominici pectoris fonte diuinã hauserat generationem,quod alijs concessum non fuerat,hãc primo verbo ructauit, quod alij quia non sic plenè saltem biberant,non fecere.Scitè modò dictus Augustin.loc.cit. *Sanctus Ioannes apostolus de domini diuinitate quomodo nullus alius est loquutus, hoc ructabat,quod biberat. Non.n.sine causa de illo in isto ipso Euangelio narratur: quia & in conuiuio super pectus Domini discumbebat:de illo ergo pectore in secreto bibebat, sed quod in secreto bibit, in manifesto eructauit, vt perueniat ad omnes gentes non solùm incarnatio filij Dei, passio,& resurrectio; sed etiam, quod erat antè incarnationem,Vnicus Patri,Verbũ Patris,Coæternus generanti,Æqualis ei,à quo missus est.* Hæc Augustinus,quibus satis datur intelligi,quòd ex abundãtia cordis os loquitur.

Ioan. c.1.

Idem c.13.

Augustin.

Cur solus Ioannes æternâ Christi generationem describa:t

9 Stupet Bernardus ser.7. in Cãt. sponsam amoris sui initia sic exorsam fuisse:*Osculetur me osculo oris sui.* cãt.1. Quis vnquàm (ait ipse) sic abruptè amorem ostendit?Vbi sponsæ est verecundia? Cur saltem beneuolentiam prius non captat, quòd nullo præuio phalerato verbo, statim animum, amoremq; pandit? At quonampacto præfationibus vti poterat, quæ sponsi ardebat amore? idem ait Bernardus, hoc primo verbo ructauit, quo plena erat.Audi ipsum: *Vide.n. quale præri-*

Cant. c.1.

Bernard.

Digitized by Google

Os ex cordis abundantia nullo præuio phalerato verbo repente prosumpit.

piat sermonis exordium. Magnum quid à magno petitura, nullo tamen, vt assolet vti tur blanditiarum fuco, nullis circumuolutionibus ad id, quod desiderat, ambit. Non facit proœmium, non captat benevolentiam; sed ex abundantia cordis, repentè prorumpens, nudè frontoseq; satis, osculetur me sit, osculo oris sui. Sic cordis haudquaquam ità simulari possunt passiones, quin per sermones foras erumpant.

10 Diligentissimus sui semper scrutator, quid est, quòd natura, quæ membra multa in propatulo posuit, linguam sic abscõdit, vt duplici septo labiorum & dentium circumclausam produxerit? An quia ac si penè omniũ corporis partium abiecto consilio, linguæ tantùm cauſę grauem curam suscepit? Prorsùs ita: & equidèm satis consultò tantam, talemq; curam pro lingua assumpsit, quia si natura, nè cordis arcana paterent, cor in secretiori corporis parte abscondit, cùm lingua ea facilè prodat; & ad Ezechiæ morem, omnia, quę in cordis domo sunt, ostendat, omni diligentia custodiri, dupliciq; septo circumcludi debebat, nè cordis absconſa paterent. Intellexit hoc Dauid, qui psal. 140. Deum hunc precatur in modum: *Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* vbi in Dauidis persona Titelmannus: *Quoniam facillimè in lingua video labi homines, & raros admodũ esse, qui in lingua non offendant. Ideircò hoc peculiariter à te posulo, vt os meum tua custodia ita obseres, nè quid per os loquar, siuè mendacium, siuè vanum, siuè otiosum, quod non decet. Sicq; labijs meis ostium ponas, quod ipsam circumstet, & custodiat per circuitũ, vt nihil per ipsam possit egredi, quod præstitisset nõ egressum fuisse.* Vides quomodò linguæ lapsui consulere volens natura, nè qualem quis sit prodat, intra dentium, ac labiorum mœnia produxit. Vndè Augustin. serm. 3. ad fratres de eremo: *Debemus.n. linguas infra dentes reseruare illaſas; sermo enim vanus, vana conscientiæ index est. Qualis .n. est homo in mente, talem verbositas depingit in ore.*

Psal. 140.

Titelman.

Lingua cũ duplici sepro labiorũ, & dentium à natura circumclusa.

Augusti.

11 Ex dictis concludo, haudquaquam difficile esse vniuscuiusq; naturam agnoscere; quia si sermo animũ pingit, qualem quis se per sermonem ostendit, talem ipsum existima: Vndè interrogatus quandoque Plato, quonampacto hominis dignosci posset natura, respondit: *Et homines, & vasa singuli simili ratione probãtur; hæc quidèm ex sono, illi verò ex sermone facilè agnoscuntur*: immò, vt ait Bernardinus Senens. tom. 1. in Dom. de Pass. ser. 41. de horrib. blasphemia art. 3. cap. 1. sicuti ex vniuscuiusque idiomate eius regio argumẽtari potest, sic ex sermonibus, cuius quis regionis sit, cælestis, mundialis, an infernalis, agnosci facilè poterit: *Tres autem regiones possidet Deus*, ait modò dictus Bernardinus, *scilicet* cælestialẽ, mũdialem, & infernalem. *Quælibet autem illarum habet idioma suũ vndè cognosci possit. Regio cælestialis habet pro idiomate semper Deum benedicere, & laudare, teste Propheta, qui ait: Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Vis autem agnoscere quis sit ũm in terris cælestis ciues? Considera hominem in angustijs positum, paupertate, penurijs, infirmitatibus, & alijs aduersitatibus conquassatum, & in omnibus semper laudantem, & benedicẽtem Deum: hic cælestis ciuis est, sermo indicat, laus q; Dei manifestat, teste Domino, Matth. 12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, scilicet Dei gloriã & honorem. Mundialis autem regio suos etiam ciues habet ex sermonibus cognoscẽdos. Superbi n. loquuntur de fastu seculi: Luxuriosi de vanitatibus, & lasciuijs, & carnalitatibus: Auari de lucris, & thesauris, & consimilibus. Ioan. cap. 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Infernalis autem patria etiam nunc in mundo multos cõcives habet. Sermo infernalis nihil aliud est, quàm blasphemiæ, & maledictiones Dei, & Virginis, omniumq; Sanctorum, sicut Apoc. 16. scriptum est: Blasphemauerunt Deum Cæli præ doloribus, & vulneribus suis. Blasphemi igitur quia iam scripti sunt in libro æternæ perditionis: ideò iam assuescunt loquelæ officio, quod facturi sunt in Inferno.* Hæc Bernardinus. Quæ propterea sic distinctè posui, vt cuius regionis tu ciuis sis, agnoscas.

Plato.

Bernardin. Senens.

Cuius regionis cælestis, terrestris an infernalis quis ciuis sit, ex sermonibus facilè dignoscitur.

Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meũ seruauerit, mortem nõ gustabit in æternum. Ioann. 8.

§. II.

Mortem propterea non sentire, nec pati: sed vix gustare dicuntur iusti, quia nequaquàm eius afficiuntur molestijs.

1 IN mari mortales animam efflare solere, iuncta illud Apocalypsis 16. *Omnis anima mortua est in mari.* Ideo dictũ existimat Bernardinus Senens. quia non absq; amaritudine maxima occumbunt: *In mari dixit, id est in amaritudine doloris.* At numquid omnes in obitu isdem amaritudinũ obuoluuntur vorticibus? Nequaquàm sanè: sed illi tantùm, qui peccatorum nutriti sũt felle. Quod apertè expressit Ecclesiasticus verbis illis: *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis.* cap. 41. Apertissimè verò dixit Bernardinus Senens. tom. 3. ser. 52. de peccati maledictionibus 2. parte principali cùm de improborum, proborumq; obitu sic fatur: *Moriendo peccator extendit pedes, & voluit oculos, extenuat membra, torquet ora, & dolor mortis aeterna circumdat eum, & efficitur turpis sicut diabolus; vndè David in persona illius tristis anima dicit: Circumdederunt me dolores mortis, & periculà inferni inuenerunt me. Sed iustus cogitat bona, quæ facit, & habet spem salutis, & considerat, quòd transit de morte ad vitam; quia nullus confisus in Domino derelictus est: & iustus felix anima cum Hieronymo dicit: Anima mea liquefacta est, vt inuenire possem dilectũ meum.* Et paulò infra aliam subdens tantam lætitiæ in his, doloris verò in illis; hæc habet: *In extremo puncto mortis aspiciet peccator visibiliter dæmones. Et similiter videtur Dominus noster Iesus Christus; quia nullus moritur, quin videat Dominum nostrum Iesum Christum, & dæmones: quia si est malus, diaboli veniunt inhiando, & Christus apparet iratus, & rigorosus contra eum, & diaboli sunt parati cum gaudio ad arripiendam illam animam dolorosam. Sed bonis Christus apparet mitis, & benignus, brachijs apertis paratus recipere, & amplecti animam beatam.* Hactenùs ipse. quibus satis liquidò non omnium, sed improborum tantùm mortem infelicem appellat; immò quàm malorum amaram, tam proborum dulcem asserit. Quòd etiam Socrati Ethnico aliqualiter innotuisse asserit Simplicius, dum ipsum morti propinquum, mortemq; nihil prorsùs formidantem sequentibus verbis describit: *Mors non omnibus videtur terribilis, nam Socrati terribilis visa non est, qui cùm eam effugere posset, sustinuit tamen, totumq; illum diem apud amicos immortalitatem animarum declarauit, & qualis sit repurgatrix philosophorum vita, edocuit.* Eluxit etiã veritas hæc Diopruſæo, qui orat. 48. dicere consueuerat: *Quisquis autem rebus optimè gestis discedit è vita, ille felicissimè moritur.* Quod si Ethnicos non latuit, inreoptimò in præsenti mortem iusti non gustare dicuntur: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem nõ gustabit in æternum.* Ioan. 8. quia vltra mortem secundam, & æternam, quæ vera nuncupanda est mors, & de qua præcipuè hic Veritas loquitur, nec tẽporalis primoribus labijs amaritudinem attingunt. Vndè Diuus Thomas in catena: *Qui enim rectè, & medicum peccant; tantummodo gustant mortem: qui autem perfectius susceperint spiritualem virtutem, non gustant eam, sed vino pane semper vescuntur.* pro quo argumento selecta quædam adducam.

2 Et ante alia, quòd contra mortem mortis Victor progressurus patrẽ oraret, esto; quia forte, quibus armis stipatos nos contra eamdem exire debeamus, edocuit: verùm quid est, quòd in tali obsecratione nil penitus ipsum à Patre efflagitasse scribitur, nisi vt calix tantopere optatus trãsiret à se: *Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste.* Matt. 26. quod non semel, sed pluries ipsum postulasse

modo

Apocal. c. 16.

Bernardin. Senens.

Eccli. c. 41.

Ioan. c. 8.

Bernardin. Senens.

D. Thomas.

Matt. c. 26.

Simplicius.

Nemo absq; Christi, & dæmonis visione occumbit.

Mors nõ omnibus terribilis.

Mortem minimè gustãt iusti.

Proborum. Improborũque mortis discrimen.

modo dictus Euāgelista cum reliquis testatur? Si calix iste ille erat, quem adeo sitierat, vt cōtradicentem Petrū, ac potationem impedire volentem, Satanam illum nuncupauit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi, etc. Calicē, quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?* Matth. 16. Quomodo nūc illum renuit, & vt à se trāseat, Patrē sic instāter exorat? Difficilis sanè quæstio, sed facillimè alio scripturæ loco soluetur, illo scilicet: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Inclinauit ex hoc in hoc: verumtamen fex eius non est exinanita.* Psal. 74. quia si iuxtà Alensis expositionem per calicem in manu Domini, passionem in eius libera potestate positam intelligere vellemus, dicente ipso loco superius allato: *Calix autem in manu Domini fuit propriè eius passio, & tribulatio, quam in terra pro nobis substinuit. Vndè dixit Matt. 20. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ad quem ipsum inclinauerit vestigando, facilè primæ difficultatis haberetur solutio, & nè hac ad aliā scripturā cōfugiā (seruata pro dānatis fæce) in Apostolos, & Martyres, cęteroſque pro se passuros calicem inclinasse, & inclinare asserit præfatus Alensis; quia dolorum, passionum, & martyrij reliquias, quibus ipse exaturari non renuit: à suis libari voluit, quod vt cōpleret (ni temerarius videor) nequaquam totum aceti, & fellis vas exhauriuit, quia compotoribus illius relinquebat reliquias: quo posito veluti à notis, clarisq; præmissis talis sequitur conclusio, quòd passionem minimè recusabat, cùm calix vt transiret orabat, sed illum ex se in Apostolos, ex Apostolis in martyres, & ex his in reliquos, sui imitatores illū inclinabat. Nil prorsus aliter Hilarius, q̄ in Christi persona Euangelistæ verbis: *Transeat à me calix iste*, & vt Dauidicum illud: *Inclinauit, ex hoc in hoc*, verificaret, addit: *Transeat à me in meos.* Et si ex hoc non propositum, sed oppositum nostri instituti probari obijcias: quia si in suos calicem trāsire faciendo, eos passionis suæ reliquias libare fecit, ergo mortis amaritudines quodāmodo iusti gustāt, & pœnas? Cū præfato Alēse respondeo, quòd calicē quidē in suos inclinat, sed nequaquàm immixtum; nàm tribulationibus, ac passionibus spiritus infundens dulcedinem, omnē adeò dulcorat amaritudinem, vt sentiri nullatenus possit: *Cum aliquis* (ait ipse) *habet duo vasa, vbi est vinum diuersarum specierum, si vult facere mixtionem, inclinat, & effundit de vno vase in aliud: sic Dominus in calicem tribulationis inclinat calicem æternæ iucunditatis, quando homini in tribulatione posito cōsolationem infundit de consideratione tribulationis: & tunc homo melius potest libare, quia dulcedo, quam considerat, temperat amaritudinem tribulationis.* Super præfatum psalmi locum. Ex quo satis consultò in suos calicem transire optabat Saluator, quia mortis amarities, quas solus ipse hauserat, illi nequaquam libare poterant. Perbellè præfatus Hilarius. *Transeat à me calix iste, hoc est, à me in meos, vt sicut à me bibitur, sic à meis bibatur sine metu mortis.* En quomodo nec pitissant quidem iusti lethi amaritudines, neq; mirum, quia si consolationum infusione mixto calice dulcorantur, libari quonampactò poterunt? Vndè post multa de hac re Bernardus: *Quid igitur non temperat illa dulcedo, quæ mortem quoquè facit esse dulcissimam?*

3 Calamum nunc ad verba illa; *Sunt quidam, de hic stantibus, qui non gustabunt mortem.* Matth. 16. inflecto, nec non subtiliter, qui nam hi essent, qui mortem minimè erant gustaturi, inquiro, & si cum Glossa, Carthusiano, Gorrano, alijsq; non paucis Petrum, Iacobum, & Ioannem præcisè fuisse asseres: ecce scopuli, ecce difficultates, si Iacobo præsertim, & Ioanni primarum sedium loco, & primatus vice passionis calix erat porrigendus iuxtà illud: *Calicem quidem meum bibetis.* Matt. 20. quonampacto mortis amarulentæ expertes esse debebant, quòd mortem nequaquam gustaturi dicuntur? Verùm ex dictis facilè difficultatis solui poterit nodus, nam calix hic discipulis porrigendus, nō immixtus, sed mixtus erat tribuendus; immò Christi labijs admotus super mel, & fauum dulcoratus, haudquaquam amaroris quid retinere poterat: *Soli enim nequeunt gustare mortem, qui posſunt*

Matt. c. 16. Ioan. c. 18. Cur Christ⁹ calicem tantopere exoptatum vt trā siret, orauerit? expenditur.

Psal. 74.

Alensis.

Hilarius.

A se in suos transire orabat.

Alensis.

Non illū immixtum, sed mixtum cōporibus luis porrigit

Hilarius.

Melle, & lacte sub Christi lingua existentibus passionis calix dulcoratur.

Bernard.

Matt. c. 16.

Ambros.

Digitized by Google

Petrus & Iacobus, & Ioānes mortem quonā pactò minimè effent gustaturi, expenditur?

sunt stare cū Christo. In quo licet ex verborum ipsius qualitate perpēdere, nec tenuem quidem mortis sensum habituros, qui Christi videntur meruisse consortia. Ambrosius in cap. 9. Lucæ. Nec illud, *Donec*, quod subditur: *Donec videam filium hominis venientem in Regno suo.* ibid. te penitus vexet, quia non terminum, sed absolutam negationem dicit. Quod optimè annotauit. Ioannes

Ioan. Ferus.

Ferus, dum ait: *Possunt tamen, & hæc verba de omnibus bonis christianis intelligi, qui non gustant mortem, donec, ideſt quamdiù vident Christum regnantem. Eo modo quo Matthæus supra dixit: non cognouit eam, donec peperit, ideſt nunquam cognouit. Hæc igitur christiani dignitas est, quòd à morte securus est.*

4 Audire modò malleim, quàm dicere: Cur discipulis Iacobo scilicet, & Ioanni ad calicem se impauide bi-

Matt. c. 20.

bendum offerentibus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.* Matth. 20. nequaquam in præsenti, sed in futuro respōderit Saluator: *Calicem quidem meum bibetis.* ibid. Cur non statim porrexit? Cur non illico bibendum tradidit? Cur non bibite dixit, sed bibetis? An quia nequaquam ferui Dominum præire debebant, sed sequi? Et quidē, verū ob id etiam Saluatorem in futuro fuisse loquutum existimo, quia prius quàm oris sui dulcedine calicis dulcoraret amaritudinem, os mortales minimè apponere poterant; secus verò melle, & lacte sub lingua eius existentibus dulcis effectus, ac suauis, exhauriri facilè poterat. Præsto est Hector Pinctus de præparatione ad mortem

Hect. Pinct.

cap. 5. *Per mortem Christi mors, qua pœna, & tormento aggrauabatur, in lætitiam, & meritū iusti redacta est.* Clarius (meo iudicio) dicere volens: si Christus est illa dulcedo, quæ iuxtà Augustini dictum omnem dulcorat insuauitatem: *Tu es dulcedo ineffabilis, per quem cuncta amara dulcorantur.* in Soliloq. cap. 22. quis post hac eius calicis formidabit amarorem? Imò quia fuit in manu eius, securè ori illum admouere poterimus.

Mors Christi morte dulcorata, martiribus terrori non fuit.

Augustinus.

5 A Iacobo, & Ioanne ad Andreā oculos vertens, obstupeo, quòd crux illa, quæ (si dicere licet) Dominum potentem, & fortem, potentem in prælio Dominū exterruerat, ipsum timoris vice, gaudio tali affecisset, vt eam bonam, pulchram, decoram, atq; diù desideratam nuncuparet; quòd antè me Bernardum etiam in stuporem adduxit, qui serm. 1. de S. Andrea sic habet: *Si non videor temerarius, longe est ab ea voce: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Agnosco plane in duce belli pusillanimitatem, trepidationem agnosco, ægroti si nocem in medico. Cōsidero charitatem, stupeo miserationem, expauesco dignationem!* Sic ipse. Qui tandem Isaiam (vti reor) considerans dicentem: *Dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portauit.* cap. 53. mysterium facile percipit, vndè concludit: *Quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos mortificabat mors tua, tua nihilominus, et trepidatio robustos, et mœstitia lætos, et hadium acres, et turbatio quietos faceret, et desolatio consolatos.* Quòd nihil erat, nisi dicere: omnis desinat admirationis ansa, quòd patente duce, miles non timeat, quia hauftis ipse calicis amaritiebus, dulcedinem tantum pro suis reliquit.

Bernardus.

Cur mors, quam Christus dimere videbatur, Andreæ dulcis apparuit?

Idem.

6 Animum non semel pulsauit meum difficultas illa: Cur toties in sacris paginis somnus vocetur iustorum mors, dicente inter cæteros Davide: *Cùm dederit dilectis suis somnum?* Psal. 126. Si quia, vt Tullius ait, *Nihil est tàm morti simile, quàm somnus*, vnde teste eodem in Tuscul. mortis nuncupari consueuit figura: *Somnus est mortis imago*: non minus peccatorum mors sopor vocari deberet: Si quia ad instar dormientium opportuno tempore euigilandorum Angelica tuba in finali iudicio excitari debent: sanè sicuti æque probi, & improbi excitandi sunt: sic isti æquè ac illi dormire dici deberent: Præ oculis difficultatem hanc habuit Philippus de Greue, qui serm. 285. idcirco sopori iustorum obitum comparari asserit, quia si ille operantibus dulcissimus præ nimia lassitudine apparere consueuit, iuxtà illud Ecclesiastes cap. 5. *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multū comedat*; dulcissima & iustis

Psal. 126.

Tullius.

Somnus mortis imago.

Ecclesiast. c. 5.

in

in vineæ Domini cultura fessis videri solet mors. Audi ipsum: *Somnus dicitur mors iustorum. Ioann.11. Lazarus amicus noster dormit; quia sicut somnus est finis operis, sic & mors magis delectabilis est post laborem vitæ præsentis, vt dulcis est somnus operanti.* Iniqui verò, quia iugiter feriantur, non dormire, sed occumbere dicuntur, quia somni dulcedinis sunt expertes: Vndè Ecclesiastici cap.41. *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis.*

Philipp. de Creu.

Iustorum interitus cur somno comparetur?

Ecclesiast. c.41.

7 In lætitia illa, quam Sanctiss. P. meus Franciscus in supremis vitæ suæ diebus ostendit, quæ Fratrem Eliam cum cæteris in stuporem adduxit, non immoror; quia sciebat post tot labores in vineæ cultura assumptis dulcem sibi fore somnum. Vndè cum D. Anth. septuagenario animam etiam efflaturo dicere videbatur: *Anni mei exilij iã perfecti sunt: nunc cum Babylonis captiuitas adimpleta est, ad supernam Ierusalẽ ciuitatem properabo: Perfecta mea peregrinatione contentus, & spontanea mea voluntate ab hac vita discedo, vt in alia diuina clementia præmijs remunerer.* Ex vita eiusdem.

Exultat morti propinquus SS. P. Franciscus.

8 Quod post eum bene experta est eius discipula re magis, quàm nomine Clara, quæ in virginum Virginis osculo animam efflauit, vt in eius vita D. Bonauentura, vbi post multa concludit: *Procedit igitur ad lectum reginali, vbi sponsa filij decubabat: & amantissimè super eam se inclinans, complexum dulcissimum præstat. Profertur à virginibus mirę pulchritudinis pallium, & Clarę virginis corpus tegitur, & thalamus adornatur.* Omitto, quòd vt iusti commodius, ac dulcius quiescant, infantium more in brachijs Domini, & non sine Angelorum concentibus (vt Nicolao Tolent. accidisse eius legenda testatur: *Sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelicum concentum audiuit: cuius suauitate, cùm tam paradisi gaudia præstaret; crebrò illud Apostoli repetebat: Cupio dissolui & esse cum Christo*) obdormire dicuntur; quia vbi nostra Vulgata habet: *Mortuus est Moyses seruus Domini iubente Domino.* Deuter. 34. non desunt qui legãt: *Mortuus est Moyses seruus Domini in brachijs Domini.* Nec denique Balaami petitionem: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Num. 23. multum trutino, quia facilè iustorum mortem à peccatoribus concupisci agnosco, dicente Tostato: ibid. *Omnes autem mali bonam mortem appetunt: quia benè mori felicitas est;* sed aliquantillum sisto in verbis illis Pauli: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Philipp. 1. in quibus & si lucri nomine commutatio laboris cum requie, viæ cum patria, & infelicitatis cum perpetua, atque æterna beatitudine intelligi soleat; nihilominus interitum ipsum respectu vitæ lucrum illum putasse existimo, quia quamuis primo intuitu horrẽda appareat mortis facies; iustis tamen mitis est, & suauis; nam quò fortius in Dei vineæ cultura se laborasse sentiunt, eò dulcius in occubitu se sopori dandos agnoscunt. Vndè in tractatu de bono mortis Ambrosius: *Quid igitur prodest longinquos expetere annos, siquidem quò magis vita longa est, eò latius nostrum exilium extenditur, nostrumque gaudium abbreuiatur: & quò magis viuimus, eò graviores persentimus ærumnas.* Quòd pro modulo suo etiã intellexerũt Ethnici, vndè Ammianus Marcellinus mortem finem viuendi, & doloris appellabat. Et Tullius 1. Tusc. obitum portum vocat, longam verò vitam, ventos contrarios. Et Euripides (teste Plutarco) longum, & permolestum laborem vitam pluries nũcupauit. Et Sallustius de morte sermonem habens, sic ait: *Non est infelicitas, sed infelicitatis finis.* Quæ si agnouerunt Ethnici, quis nostrum cum Augustino non clamabit: *O mors digna, quæ optetur! O mors finis malorum præsentium..! O mors finis laborum, & quietis principium! quis tuarum felicitatum vtilitatem poterit comprehendere?* libro de visitatione egrotorum. Quòd si iustos etiam interitum quandoque timuisse obijcias. Audi D. Ephrem: *Aestimo, quòd in hora illa contremiscet omnis spiritus, sed gratia Dei Saluatoris corroborabit, & lætificabit corda iustorũ, rapienturq; in nubibus obuiam ei. Venite igitur fratres mei, præparemus nos expectantes Dominum nostrum: ecce n. iam fulget, ecce iam venit: Filij lucis festinate ad lucem, & ite in occursum domini cum gaudio.*

Num.c.23.

Tostatus.

Philipp.c.1

Ambros.

Quò quis magis viuit, eò grauius sentit ærumnas.

Sallustius.

Augustin.

Mortis vtilitates.

Ephrem.

Qui

In Virginis brachijs spiritum efflauit B. Clara

D. Bonau.

Non absque musicali concentu in brachijs Domini obdormiunt iusti.

Deutcron. c.34.

Digitized by Google

Abrahã pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit,& gauisus est. Ioan.8.

§. III.

Non tantùm homines, & angelos: verùm ipsos etiã penalibus claustris inclusos Christi dies exultare fecit.

Sen. Troad.

1 QVi cecinit:

Nulla dies
Mœrore caret: sed noua, fletus
Causa ministrat.

Antè Christi aduẽtũ absq; mœrore dies nulla.

falsa eum lactauit opinio, quia vt scitè Tibullus 3.6.ait.

Tibullus. *Venit post multos vna serena dies.*

Ea scilicet secundum nos fidei lumine præditos, quæ Domini Saluatoris aduẽtu in lætitiã mœstitiam,& in cantus planctus conuertit. Vndè Bernardus ser.in vigil.Natiuitatis turturis gemitus in exultationis voces tũc mutatos

Bernard. asserit,dum dicit: *Vox exultationis audita est in terra nostra.*nec mirum,quia iusta tandèm Dei sedata indignatione secundum Ouidianum illud:

Ouid. *Sed solet interdum fieri placabile Numen.*

Nube solet pulsa candidus ire dies.

felix illa, & plusquam beata apparuit dies,quæ(vt Bernardi vtar verbis)lætitia, ac iubilo cælum antè repleuit, quàm terram. Hanc diem de longinquo speculans, quia illam præuidebat tantũ,iuxtà eiusdẽ mystici Diei dictũ,

Ioan.c.8. exultauit Abraham: *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit,& gauisus est* Ioan.8.*Abraham vidit,*(ait Carthusianus) *ideſt per spiritum prophetiæ cognouit diem aduentus mei, vel me tunc venturum,& spiritualiter lætabatur.* art. 23. Hæc dies an eluceſceret speculantes Ieruſalem filiæ,per murum diſcurrebant,iuxtà illud Geneſ.49. *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum;* quia ſancti illi veteris teſtamenti patres illum perſpicere cupiebant,qui orbis futurus erat exultatio,vt optimè interpretatur Pererius dicendo: *Quòd ſi myſticam huius ſententiæ ſcrutemur intelligentiam: Per filias diſcurrentes ſuper murum,non ineptè intelligemus animas ſanctas veteris teſtamenti,quæ cupientes animo videre pulchritudinem venturi Meſſiæ diſcurrebant per murum,ideſt longè tranſcendebant humanam cognitionem, quæ originem, & fundamentum habet in ſenſibus corporis. Eſt.n. corpus humanum quaſi murus vndiq; circumdans,& concludens animum. Iſtæ igitur ſpiritu prophetico pulchritudinem Meſſiæ perſpectam habentes, eum videre cupiebant. Sicuti Chriſtus dixit: Multi prophetæ,& reges voluerunt videre,quæ vos uidetis.* Quali tandem hæc dies (de qua Vgo Card. *Dies hæc,dies æternitatis eſt, quæ eſt ipſe Chriſtus*) homines,Angelos,patreſq;in Limbo exiſtentes ſuo aduentu lætitia perfuderit, præſens oſtendet argumentum.

Pererius.

Ardens Sãctorũ Patrũ vidẽdi Saluatorem deſideriũ, deſcribitur.

Vgo Card.

2 Anxiè nimis Domini Saluatoris aduentum mundum totum expectaſſe,vt cæteros linquam,Dauidem apertiſſimè expreſſiſſe puto,cùm cunctos populos Marianum Fiat: *Fiat mihi ſecundum uerbum tuum.* Luc.1.efflagitaturos prædixit: *Dicet omnis populus:Fiat,fiat.*pſal.105.Vndè Bernardus hom.4. ſuper Miſſus eſt, ac ſi populorum ad Virginem pro hoc Fiat, legatione fungeretur, eam hunc in modum alloquitur: *Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat.Da Virgo reſponſum feſtinanter. O Domina reſponde uerbum,quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi.* Et hoc non ob aliud ſanè, niſi quia verbo tranſitorio,Verbum illud ſempiternum nobis erat cõcedendum, quod mundo, Angelis, & ipſis in Limbo exiſtentibus gaudium maximum erat allaturum.Bernardini ſunt verba:*In illo actu antequam puriſſima Virgo diceret: Ecce ancilla Domini; omnes Angeli,& omnes creaturæ,limbus, & mundus expectabãt conſenſum Virginis, dicentes; Conſenti Maria, & dic fiat uoluntas tua ſicut in cælo, & in me. Angeli quidem,ut implerentur ſedes Angelorum pulſorum. Limbus,ut indè ſancti patres exuto tartaro exirent. Mundus,ut liberaretur à poteſtate diaboli,& fieret regeneratio,& ſublimatio naturæ humanæ.* Et ſtatim efflagitatum Fiat, iam prolatum,atque conceſſum conſiderans,

Luc.c.1.

Pſal.105.

Bernard.

Mariannm Fiat à cũctis sũmopere eſt flagitatum.

Bernardin.

Digitized by Google

Maria cœlestib⁹ exhilararis, & Angelis de ipso et sanctissima Trinitas diem festum celebranit.

subdit: *Hodie sicut magnum festum Trinitas, scilicet Pater, Filius & Spiritus sanctus, & Virgo Maria, & sancti patres, & omnes Angeli.* Et deniq; satis iuste Luciferum cum suis punitum concludit, quia festissimum hunc diem custodire, & venerari renuit: *Causa damnationis Luciferi fuit, quia primum festum huius incarnationis Verbi sibi revelatæ noluit custodire.* tom. 3. serm. 37. de amore incarnante 3. parte principali. Quo ex discursu excepto dæmone, cunctis Christi aduentum lætitiam maximam attulisse, liquidò constat.

3 Cæterùm mortalium gaudium ob talem aduentum satis Ioannem expressisse censeo, tunc scilicet cum ex vtero in vtero Saluatorem perspiciens, nedum (iuxtà matris dictum) exultare cepit; verùm vt Chrysostomo piè excogitare licuit, etiam sedentibus in regione vmbræ mortis, vt lætissimum hunc diem nunciaret, vētris carcerem rumpere contendit; de qua re videndus est ipse Chrysostomus apud Metaphrastē mense Iunio. Verùm hoc vt vulgari omisso, subtilem mouco difficultatem: Quid est, quòd Ecclesia antè Christi natiuitatem septies antiphonas ad Magnificat per, O, incipit: *O sapientia: O Adonai? &c.* Si quia Deū hominem factum obstupet, nil minus passionis tēpore facere deberet, quia Deum mori, nisi fides doceret, ratio non suaderet. Difficultati etsi Thomam de Kempis occurrisse reperiam asserentem ly, O, aduerbium vocandi esse, sanctorum patrum desiderium incarnationis exprimens, cuius verba sunt: *Hæc siquidem exclamatio, O Sapiēntia, &c. sanctorum prophetarum ingens desiderium insinuat, nec non cuiuslibet fidelis animæ affectum Christi optantis aduentum. Tanquam inter votiua precem diceret: O bone, mansuetissime Iesu, vera, & æterna sapientia Patris, qui nos mirabiliter creasti, veni, & salua iam lapsos mirabili ordine, quorum facere disposuisti. Veni ad visitandum nos in ergastulo carnis, nascendo sine contagio carnis: vt liberentur electi tui.* Meam tamen si dicere liceret sententiam, ea esset, quòd exclamatio illa nō tàm vocationem, quàm exultantis Ecclesiæ ob Saluatoris aduentum affectum exprimat, iuxta illud Terent. in Andr. *O factum bene beatis!* nec mirum, quia si Abraham in spiritu tantùm illum præuidens exultauit. Si Dauid à longinquo illum considerans antè arcam, quæ ab ipso assumēdam figurabat humanitatem, præ gaudio magno totis viribus choræas duxit, iuxtà illud: *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg. 6. Vndè Gualfrid. apud Tilmannum: *Arca ista carnem Christi figurat, in qua omnes thesauri sapientiæ, in quo plenitudo diuinitatis; in quo virgæ mysterium euidenter apparuit, dùm etiam mortuus resurrexit. Quid ni exultaret, qui præuidebat eius aduentum?* multo magis exultare debet Ecclesia, cùm de propinquo Christi Domini est celebratura natalem: immò, vt melius dicam, satis consultò; *O sapientia, O Adonai, &c.* exclamat; quia per ly, O, qua lætitia de propinquo sponsi aduentu perfundatur, insinuat.

2. Reg. c. 6.

Gualfrid.

Præuisus tàm Christi dies exultare faciebat mortales.

Antiphonæ O, cur ab Ecclesia ante natiuitatem decātantur?

Thom. de Kemp.

4 Et quidem quonam pacto de Christi die exultare non debet Ecclesia, si ex ipso tota eius felicitas, & exaltatio pendet? Sapidissima est pro re hac difficultas illa ab Ambrosio mota: Quid est, quòd nullius alterius descripta corporis exiguitate, de Zachęo tantùm dicitur: *Quia statura pusillus erat?* Luc. 19. *Quid sibi vult*, ait ipse, *quòd nullius alterius staturam scriptura, nisi huius expressit?* Statimq; ex immediatè antecedentibus: *Quærebat videre Iesum, quis esset:* quæstionis solutionem carpit dicendo: *Non dùm viderat Christum, meritò adhuc pusillus: Ioānes autem magnus, quia & Christum vidit, & spiritum sicut columbam super Christum manentem; sicut ipse ait: Vidi spiritum descendentem sicut columbam, & manentē super eum.* Hæc ipse; ex quibus deduco, quòd si Zachæus ideò corpore exiguus, quia Saluatorem non viderat: & Ioannes propterea magnus nuncupatus, quia eum perspexerat; iureoptimò in Christi die, in qua omnis exaltatio sumpsit exordium, fidelium Ecclesia inbilat, & exultat.

Luc. c. 19.

Ambros.

Idem.

A Christi die omnis nostra pepēdit exaltatio.

5 Nec tantùm Christi die gauisi sunt homines, verùm ipsi etiam cœlestis patriæ incolę, qui quotidiè torrente voluptatis Dei potantur, non minori perfundebātur lætitia Deum homi-

nem

nem factum aspicientes. Hinc D. Bonaventura cap. 7. de vita Christi ideo cum Angelo multitudinem cælestis exercitus factam iudicat: *Subbito facta est cum angelo multitudo cælestis exercitus* Luc. 2. quia fortè ab angelo pastoribus misso, Christi diem iam illuxisse intelligentes, nè modicum quidem tanti gaudii, tantæq; exultationis essent experres, certatim, & auidè adesse studuerunt. Pulchrè nimis præfatus Bonauentura: *Nato Domino Angelorum multitudo exiliens suum Deũ adorauerũt, & confestim ad pastores venerunt, nũtiãtes eis ipsam Natiuitatem, & locũ: ex indè ascenderunt in cælum concinibus suis, ea similiter nunciantes. Tota igitur superna curia exhilarata magno festo, & laudibus, et gratiarum actionibus Deo patri exhibentibus venerunt omnes successiuè per ordines suos videre faciem Domini Dei sui.* Nec vacat mysterio, ait Beda, quòd diuino lumine circumdati cælestes hi spiritus, quomodo nusquam in veteri testamento apparuisse legimus, in præsenti appareant, dicente Euangelista: *Claritas Dei circumfulsit illos.* ibid. quia nouis amicti apparere debebãt, qui nouæ intererãt festiuitati: *Nusquam in veteri testamento*, ait modo dictus Beda, *reperimus Angelos cum luce apparuisse: seruabatur id tempore Christi.*

Luc. c. 2.

Bonauent.

Christo nato iubilant omnes cælestes spiritus, il lumq; auide & certatim in stabulo adórare contẽdunt.

Beda.

Nouis induuntur vt decentius tantæ adessent festiuitati.

6 Tali equidem ob Christi diem lætitia perfundebantur Angeli, quòd ni temerè dici existimarem, faterer vtiq; quòd præ nimio gaudio, nimioq; pro iubilo extra se quodammodo effecti, quid dicerent, quidue agerent, ignorarent: Neutiquam mentiri me sinet Angelus ille, qui pastoribus causam maximi gaudii, quod nunciare veniebat explanans, hunc dixit in modum: *Annuncio vobis gaudium magnũ, quia natus est vobis hodie Saluator.* Luc. 2. nàm si eum alloqui fas mihi esset, dicerem sanè: Quid est, quòd noctem diem vocas ò Angele, si dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo, iuxtà patrum petitiones, & vota aduenit, cur non hac nocte, sed hodie cunctis gentibus desideratum apparuisse asseris? An fortè quia (præter quam nox, vt dies iam illuminata dici, non noctis sortiebatur vocabulum) gaudio perfunderis tanto, quòd (si liceret dicere) extasim patiens, quid dicas minimè attendis? Tangere id videtur Vgo Card. verbis illis: *Hodie, dicit, cùm nox esset, quia gaudium venerat nunciare.* Clarius (ni fallor) dicere volens: si Angelus noctis vice diem ponit, parcite ei, quia gaudio efferebatur tali, vt quæ diceret, ignorabat.

Luc. c. 2.

Vgo Card.

Tanto perfundebãtur gaudio, vt extra se quodãmodo effecti, quid dicerent ignorabant.

7 Verùm parum planè esset, si hominem tantummodo & Angelos Christi dies lætitia afficisset, nisi ipsos etiã pœnalibus claustris inclusos exultare fecisset: Adduco pro re hac locum psal. 50. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata*, & quonam tempore Dauidis auditui talis danda erit lætitia, quòd etiam ossa exultare debent, plusquam libẽter intelligerem: Nam & si nonnullos tunc Dauidis ossa per peccatum humiliata exultasse asseruisse noscam, cùm eius auditui peccati translatio per os Nathan personare cœpit: *Dominus quoquè transtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. quia tunc iuxtà Augustini sententiam, Verbi ei fuit reuelata incarnatio; tamen adhuc meum pulsat animum difficultas; cur in futuro loquitur, si iam ei incarnationis fuerat reuelatum mysterium? Pro cuius difficultatis solutione alii nõ minori calamum inflecto, illi nempè; Quid per verba illa: *Tu es, qui venturus es?* Matt. 11. intelligere vellet Ioannes? Si iuxtà philosophi sententiam viuere viuentibus est esse, quomodo ad essendum venire poterat, qui erat? Et facilè tecum Hieronymo, & Ambrosio respõsurum agnosco, quòd benè Ioannes eum, qui erat, venturum dubitabat, quia an Messias, quem iam in mundũ venisse non solum agnouerat, ac pluries prædicauerat, in infernum esset descensurus percontabatur. Optima equidem responsio, verùm quid ad Ioannem Christi ad inferos descensus, si ipse cursum suum iam laudabiliter complebat? Si iam præcursoris erat functus officio, quid aliud agere intendebat? An quem mortalibus prædicauerat, mortuis etiam nunciare contendebat, vt communi gau-

Psal. 50.

2. Reg. 12.

Matt. c. 11.

Digitized by Google

dio mundus perfunderetur, & limbus? Ita Glossa super citatum Matthei locum: *Considerandum autem est, quòd non ideò Hieronymus, & Gregorius dixerunt, quòd Ioannes aduentum Christi in infernum prænunciaturus esset; quia eius prædicatione aliqui non credentes conuerterentur ad fidem: sed vt istis in expectatione Christi manentibus, ex vicino aduentu consolationem afferret*: itaq; vt in loco horroris, & vastæ solitudinis inclusis gaudium afferret, atq; lætitiã, Christi aduentum eis prædicare contendebat, ita prorsus: Audi nunc cur de aurium gaudio, & de ossium exultatione non in præsenti, sed in futuro loqueretur Dauid; quia spiritu ductus diuino in limbo sibi Christi aduẽtum annunciandum præuidens, gaudium tale tunc auribus suis dandum prænouit, vt etiam ossa in sepulchro existentia exultatura viderentur. Viuat semper Arnobij memoria, qui hanc mihi subtilitatem sugessit dicendo: *Exultabunt ossa humiliata: Hoc. n. fiet si auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, cùm dictum fuerit mihi pastori omnium; Nuncio tibi gaudium magnum, quia natus est hodie Dominus. Ecce gaudiũ, per quod exultent ossa humiliata.* Ecce quomodo etiam in limbo existentes Christi dies exultare fecit.

Glossa.

Vt claustris pœnalibus inclusos cõsolationẽ Ioannes adduceret, Christi aduẽtum eis nunciare exoptat.

Arnobius.

Christi diẽ cluxisse audiẽs limbus exultat.

8 Gorranus super verba illa: *Annuncio vobis gaudium magnum.* Luc. 2. Secundum omnem quantitatis dimentionem gaudium hoc fuisse concludit, secundum longitudinem, scilicet, latitudinem, & profunditatem. Audi ipsum singula explanantem: *Hoc gaudium est magnum secundum omnem dimẽsionem, quia altum, profundum, longum, & latum; quia eius altitudo attingit cælum; profundum, quia eius profunditas, descendit vsq; ad sanctos patres, qui erant in limbo; & longum, quia eius longitudo protenditur à principio mundi; & latum, quia eius latitudo occupat orbẽ terrarum.* Sic ipse, quibus satis apertè concludit, vltra cælum, & terram inferos etiam Christi aduentum lætitia repleuisse. Quod cùm satis probatum existimem, ad alia calamum inflecto.

Luc. c. 2.

Gorranus.

Gaudiũ ab Angelo ob Christi nati nitatem nũciatum magnum secundũ omnem dimensionẽ.

Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Ioann. 8.

§. IV.

Sui copiam subtrahit multoties Deus, vt auidius reuocetur: quia amoris fallacia amorem magis inflammant.

1 VErbum illud, quod in principio erat, quod ex ore quidem Altissimi prodijt, sed cũ Domini Verbum sit, in æternum manet, si Horatius agnouisset, nequaquam irreuocabile, sicuti hominis verbum:

Verbum reuocabile? ?

Et semel emissum volat irreuocabile verbum. *Horatius.*

epist. 28. sed reuocabile proculdubio illud vocasset, ideo. n. ab anima, licet nõ per motum, nec per mutationem, cùm omnino immutabile sit, sed per corporalis præsentiæ subductionem, vel per spiritualis dulcedinis subtractionem euolare multoties videtur, quia auidius reuocari vult, atq; teneri: quod superno lumine præditus agnoscens Bernardus serm. 84. in Cãtica hunc in modum præfatum Horatij corrigit dictum: *Præteriens teneri vult, abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile verbum. It, & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo, & subitò probans.* Patentius meo iudicio dicere volens: quidquid de hominis verbo dicat Horatius, quis Dei Verbum irreuocabile censere audebit, si idcirco euolare solet ab anima, vt per sui subtractionem amoris flammula vastissimum effecta incendiũ, in diligentis pectore fortius ardens dilectum, auidius reuocet, maioribusq; charitatis vinculis alliget. Nil sanè aliter paulò superius allatus Bernardus: *Et forte ideò subtraxit se, quò auidius reuocaretur, teneretur fortius.* Sic cum sponsa illa, cuius fores penè pulsando confregerat, Verbum hoc se gessisse obseruat Gilibertus serm. 44. nam cùm tædio tandem affecta illa, relicto cubili ad fores, vt eas panderet, peruenisset, ipsum

Bernard.

Idem.

Subtrahit se multoties sponsus, vt auidius reuocetur.

Digitized by Google

sum ad spōsæ amorem magis inflammandum absceſſiſſe annotat: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: at ille declinauerat.* Cant.5. ex quo, ac si sponsæ effectus patronus, pro ea sic Christum in sponsi persona figuratum alloquitur: *Cur abis bone Ieſu? Cur declinas? Cur fraudas illam à deſiderio ſuo? Tu deſiderium inducis, tu deliberationem ſubducis? An fortè hoc modo in maiorem auiditatem, & ardentius deſiderium concupiſcētiam protrahis, dum copiam ſubtrahis? Ita eſt: iſtæ amoris fallaciæ ipſum amorē magis inflammant.* Sic cum cæterorum iuſtorum animabus iocari (vt ita dicā) videtur multoties. Vndè Thomas de Kempis de ſoliloquio animæ cap. 13. *Domine Deus, quid ſic facis? Quis eſt iſte ludus ò pie Ieſu? Quid in hoc facto prætendis? Si tibi non diſpliceret, optarem latius inter te, & dilectam tibi habere colloquium. Ex eo, quod ipſa votis omnibus tuam gratioſam quærit præſentiam, quæ iuſtis fruatur delicijs; miror, cur ipſam pateris interdum ſedere ſic deſolatam, quaſi ipſa non eſſet, quæ te expetiſſet, ita pertranſis & recedis: ipſa autem gemens, & ſolā hanc emittit vocem: Anima mea deſiderauit te in nocte. Diligis eam, an non? Si diligis, cur fugis dilecte mi? Si non diligis, cur eam viſitaſti? Etiam ſi non diligis, cur denuo reuerteris, & pulſas, & intras? Num quid leuitate veteris eundo, & redeundo? Abſit. Sed non eſt illi leue, immò ex hoc naſcitur deſiderium, non modicum.* Hæc Thomas de Kempis. Quæ omnia si deeſſent, adeſſet nihilominus verbū volans quidem, modo prædicto, quemadmodum Ioannes teſtatur: *Abſcondit ſe, & exiuit de templo.* cap.8. sed reuocabile; nā ideò ab amicis, de quibus impræſentiarū fari iam cępimus, abſconditur multoties, & ab eorum animarum templo se ſubducere aliquantillum videtur, vt in ignem magnum amoris verſus igniculus, auidius reuocetur. Ita Bernardus loc.cit. *Verbo igitur abeunte vna interim, & continua animæ vox, continuum deſiderium eius donec veniat.* Quod argumentum, vt magis, magiſq; percipias, audi.

Cant. c.5.

Gilibert.

Thom. de Kemp.

Ludit quodāmodo cū anima Deus quando ab ea ſpirituālem, quā cōcuſſerat dulcedinē, ſubtrahit.

Ioan. c.8.

Bernard.

Grauis amāti amati abſentia.

2 Venenoſis ſerpentis afflatibus vix aures noſtri primiparentes præbēdo, vetitæ arboris fructum guſtauerāt, vix (vt clarius dicam) diuinum fuerant tranſgreſſi præceptum, quòd ecce offenſus iuſta indignatione adeò feruēs, vt nec ipſæ paradiſi arbores ſenſu carentes, ſecundùm Moyſis Barcephæ ſententiam, abſq; tremore eius aduentum ferre potuerint. Ita mox dictus Barcepha ſuper illud: *Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Geneſ.3. *Aduenit nimirum humana ſpecie formidabilis, turbidus, difficilis, & quaſi peregre adueniens, iraq; tumens, furenſque, & ſuo inceſſu concutiens terram; atque adeò ipſas paradiſi arbores preſſis veſtigijs tremefaciens.* parte 1. de paradiſo cap.27. quod ſi verum eſt: Cur tranſgreſſores non illicò vocat? Cur non interrogat? Cur iuxta indignationem, quam prætendebat, non ſtatim ferit? Cui difficultati licet idem occurrat Barcepha dicendo, quòd non punire, ſed miſereri volebat, qui ſic indignabundus acceſſerat, nam reos terrefaciendo ad ſe reuocare intēdebat: *Huiuſmodi inquam habitu hic nunc videtur ab illis; nimirum vt pauidi confiteantur ſua delicta, atque illius miſericordiam, veniamq; implorēt: Eò enim ſpectat, quòd ambulantis vocem audiſſe dicantur.* loc.cit. omnino tamen non acquieſco, ſed vellem, vt ratio mihi daretur aliqua; ſi ſe indignatum ſaltem oſtendere intendebat, cur in paradiſum veniens Adamū non præteriuit, quòd eum potius circumire maluit, cùm in Hugonis de S. Victore ſententia idcirco non ambulaſſe, ſed deambulaſſe dicatur; quia nō in directum pergens ab illo elongabatur, ſed iuxta illum gyrans; prope ſe oſtendebat. Cuius verba ſunt: *Non ambulauit, ſed deambulauit huc, & illuc quaſi errabundus, & vagus in directum non vadēs, ſed pergens quocumque.* Si ad reorum terrorem iuſtam indignationem oſtēdere intendebat, cur eos non præteriuit? Cur non illos quaſi nihilifaciendo tranſiuit? At ò magnam Dei miſericordiam! pietatem ò verè magnam! quonampactò elongari poterat, qui reuocari optabat? Si Verbum irreuocabile fuiſſet, volaſſet vtique, atque diſceſſiſſet; verùm quia reuocabile erat, circuibat, reuocantium voces expectās. Ita modo dictus Hugo in allegorijs Tilmanni: *Neque.n. abyt in directum elon-*

Gen.c.3.

Moyſes Barceph.

Idem.

Hugo de S. Vict.

Idem.

Digitized by Google

Haudquaq̃ volat Dei verbum, sed reuocari exoptat.

longans quasi irrevocabilis, nec reuersurus amplius; sed prope gyrans, & iuxta deambulans, abijt, & non abijt: modo vadens, modo rediens, quasi nolens sedem suã deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere. Quia fortè siculneis foliis eos in pœnitẽtiæ signum (vt Diuus dixit Irenæus cap. 37. lib. 3. aduersus hæreses) indutos videbat, grestibus veluti insufflationibus amoris igniculum, vt denuo reuocaretur, accendere satagebat. Nil aliter citatus Hugo, qui Adã hunc in modum alloquitur: *Quid facis Adam? Quare sules? Voca discedẽtem, sequere fugientem, quoniam adhuc propè est, & expectat si fortè reuocetur, & ideo moram facit, & blandè minatur abscessum, læsum se dolens, & violẽter ejectum: redire se velle ostendit, si fortè inuitetur, vt veniat.* O si nunc adesset Horatius! sanè verbum aliquod satis reuocabile agnosceret, quod etiam secluſa culpa, vt patebit, volare per sui subtractionẽ videtur multoties, vt auidius reuocetur.

Idem.

Cur Deus in paradiso ambulãs Adam circũire potius, quàm prætereire voluit?

Ioan. c. 20. 3 In ea verba Ioann. 20. *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum; & ego eum tollam.* quoties incido, toties obstupesco: Quid est, quòd Christus Magdalenam pro se flentem, suspiria emittentem, immò pene mœrore confectam videns, non statim eam consolatur; sed hortulani speciem ostendendo, adhuc sui cognitionem distulit? Scio non deesse dicẽtes, quòd cælestis agricola, qui ab initio vineam sibi electam plantauerat, & postea in temporum plenitudine gratiarum aquis rigauerat; volebat, vt inter iudæorum ingratitudinis spinas Magdalenę præcise anima, veluti ferax esset ager, qui vberes virtutum fructus temporibus suis produceret. Ita inter cæteros Carthusianus art. 57. *Spiritualiter quoq; erat Iesus hortulanus cordis Mariæ, de ea eradicans germina mala dubitationis, & ignorantiæ, atque peccati, & inserens ei semen virtutum, fidei lumen, & cæteros fructus Spiritus sãcti.* Pia equidem cogitatio: Verùm difficultatem radicitus non euellit, quia cùm Christus æquè cunctarum animarum agricola sit: quid est, quòd Magdalena excepta, nulli alij sub hortulani specie apparuit? Sic mihi hæsitanti occurrit quandoque Drogo asserens; quòd non tam, vt agricolæ ostenderet formam, sed vt sui cognitionem adhuc aliquantulum protraheret, hortulanus putari voluit; & hoc non sine mysterio, ait ipse, quia si per sui subductionem Magdalenæ amor iugiter crescebat, protrahi debebat cognitio, vt perficeretur amor. Audi ipsum in allegorijs Tilmanni serm. Dom. pass. lib. 1. *O pium! O delectabile pietatis spectaculum! ipse, qui quæritur, et desideratur: et occultat se, et manifestatur. Occultat se, vt ardentius requiratur, et requisitus cum gaudio inueniatur, inuentus tum solicitudine teneatur, et tentus non dimittatur, donec in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac arte ludit sapientia in orbe terrarum, et deliciæ eius cum filijs hominum.* Aurea sanè omnia, sed præsertim illa: *Occultat se, vt ardentius requiratur.* nostrum probant argumentum, quòd amoris fallaciæ amorem magis inflamment.

Carthusian.

Ferax ager Magdalenæ anima.

Drogo.

Hortulani habitu. cur Magdalenæ apparere voluerit Saluator?

4 *Dum ergo fleret, inclinauit se, et prospexit in monumentum.* verba sunt Ioannis cap. 20. de Magdalena loquẽtis, quæ difficultate animum pulsant, si pluries sancta hæc mulier monumẽtum perspexerat, si vacuum iam viderat, si magistri corpus ablatum iam existimauerat, cur denuò aspicit? An se aliàs in monumentum prospexisse nõ reminiscebatur? Nequaquam sanè; immò quia magistri corpus in monumento se non vidisse recordabatur, ideò denuo aspiciebat, ac inquirebat; non tam quia amor vehemens quietis esse solet impatiens, vt ait Paulus de Palacio: *Impatiens amoris affectus non sinebat Magdalenam cõsistere: ideoq; primò stabat ad monumentum foris plorans, deindè vero ingreditur monumentum, et inclinans se prospexit;* sed quia, vt super citatum Ioannis locum ait Ferus, quò minus inueniebat, eò ardentius requirebat; cùm ea sit amoris natura, amati absentia semper auidius æstuare. Citatus Ferus: *Sæpè in monumentum prospicit, quia semper sperabat eum inuenire, et quantò minus inueniebat, tantò magis ardebat; quia sancta desideria dilatione crescunt; si autem deficiunt, desideria non sunt.*

Ioan. c. 20.

Paulus de Palac.

Ioan. Ferus.

Amati absẽtia haud facilè ab amãte patitur.

5 Ve-

Digitized by Google

5 Verùm quia huius sanctæ mulieris amor se nostris obiecit obtutibus, vlterius inquiro: Quid est, quòd vna ipsa è monumento se diuellere ignorat? Recedũt discipuli, reuertũtur mulieres ad propria; redeunt omnes, sola ipsa nec noctis tenebris territa, nec persecutorum indignatione concussa, nec Angelorum apparitionibus pauida immobilis perseuerat? Quod aperte describit Ioannes, cùm discipulorum reditum, & Magdalenæ perseuerantiam scribit: *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans.* c.20. in Magistri pedibus instar catellæ pluries ipsam quelenisse non ignoro, at non iugiter sub pedibus illis cubabat, quid est, quòd nùc sepulchrum relinquere nescit; *Maria autem stabat ad monumentum?* Pro cuius rei solutione illius alterius difficultatis se memorè vellem: Quid causæ est, quòd sponsa non sponso præsente, sed ipso absente amore languet, *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo?* Cãt. 2. Si languor ille maiorem amoris excessum ostendit, vt ratum existimo, nũ absente dilecto, maiori ipsius desiderio flagrat, quàm ipso præsente? Ita sentit Bernardus serm. 51. in Cãt. nam sponsi copiam non habere, sponsum vehementiori amore prosequi faciebat. Audi ipsum: *Nec n. sitibunda putanda est exisse de cella vinaria, in quam se introductam modò nouissimè gloriatur. Immò verò sitibunda; quoniam qui bibit me, inquit, adhuc sitiet. Post ista omnia sponso more suo secedente, illa languere amore se prohibet, ideſt præ amore. Quò n. grationem fuerat experta præsentiam, eò post modum absentiam molestiorem sensit. Subtractio n. rei quam amas, augmentatio desiderij est, & quod ardentius desideres, carere egrius.* Itaq; sponsi absentia sponsæ amorem adeò auxit, vt ipsam languere fecerit, quæ non languebat. Audi nùc cur Magdalena, quæ à Christi pedibus discedebat quandoque, à sepulchro se diuellere nesciat; quia dilecti subtractio, amoris erat augmentum, & quò illius præsentiæ se magis expertem videbat, dum non tantum mortuum, sed sublatum existimabat, eò sepulchro inseparabilius inhærebat. Disertissimè Drogo apud mox dictum Tilmannum loco superius allato, dum dicit: *Non habebat vnum, & tota super mortuum ardebat: corpus erat sublatum, & à monumento recedere non valebat; quò plus de manibus, & oculis auferebatur, eò ardentius animus insequebatur.* Hæc Drogo, cuius illa præcipuè: *Quò plus de manibus, & oculis auferebatur, eò ardẽtius animus insequebatur*; nostrum probant institutum, quòd amati subtractio, amantem magis inflammat.

6 Persubtilem quæstionem mouet Gilibertus abbas: Cur Christus, qui cum discipulis tam familiariter in vita fuerat versatus, post resurrectionem quasi furtim apparendo, vix agnitus ab eorum oculis euanebat: *Illæ Dominicæ resurrectionis apparitiones*, ait modo dictus Gilibertus, *quam breues erant, quam subitæ, quam succisæ. Quandoq; vix patitur ab aliquibus tangi. Cũ putatur teneri, quasi furatur præsentiã gratam: furtim accedens, & furtim recedens.* serm. 44. in Cant. An quos socios, comites, & commensales habuerat, nunc alloqui dedignabatur? Absit, cur igitur sic furtim apparet, statimq; apparendo discedit? Difficultatem ipsemet eneruat Gilibertus, cùm dicit: *Ista amoris fallaciæ ipsum amorem magis inflammant, ad eius cumulum proficiunt, dum sic decipiunt.* Patentius, vt reor, dicere volens; eò tota subtractionis tendit origo, vt magis, magisq; inflammetur amor, & ad perfectũ perueniat, quod decipitur. Cuius rei præscius forte Ecclesiastes quodam amplexuum tempus, & quodam longè fieri ab amplexibus vocauit, quia quos vt infantulos Deus amplexatur, eos adolescentiores per sui præsentiæ subtractionem, vel per internæ dulcedinis diminutionem relinquit quandoque, vt per hoc charitatis augmenta recipiant. Scitè Hugo de S. Victore super illud: *Tempus amplexãdi, & tempus longè fieri ab amplexibus* Ecclesiast. 3. *Fugit n. dilectus, sed non fugit, vt effugiat: sed abscondit se tantum, et egelat in irritationem dilectionis, vt quæratur in desiderio, et non inueniatur, quoadusque ardentissimè diligatur.* Hæc ipse apud Tilmannum, quibus sole clarius apparet

Ioan. c.20.

Cur Magdalena à Christi sepulchro se diuellere nesciat.

Cant. c.2.

Bernard.

Subtractio rei amatæ desiderij, & amoris augmentum est.

Drogo.

Maiori dilectione Christũ post mortem prosequebatur Magdalena, quã antea, & quare?

Gilibert.

Rediuini Saluatoris apparitiones cur tam breues?

Eccles. c. 3. Hugo à S. Victore.

Verborũ illorum: *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus* Ecclesiast. 3. intellectus.

Digitized by Google

ret, cur tam breues essent rediuiui Saluatoris apparitiones, quia vt discipulorum excresceret amor, tempus longè fieri ab amplexibus aduenerat, vt scilicet per sui copiæ denegationem, irritato discipulorum desiderio, eorũ excresceret amor.

7 Mox scrutor; cur sponsus dulcissimos sponsę amplexus relinquens, ad myrrhæ mõtem pergeret aliquando: *Vadam ad mõtem myrrhæ, & collem thuris?* Cant. 4. Et vbi sponsi suspiria? Vbi voces sponsam de Libano aduocantis? Vbi denique sponsi amor? An forte amoris vicissitudines non inuenit, & ideò illam amare destitit? Minimè sanè ait Hugo de S. Victore: immò vt ardentius redamaretur, ad tempus se ab illa subduxit: *Nota quòd non semper domi est sponsus iste. Cauet enim, ne forte vilescat amor suus; & quia citius in tadium veniret, si semper præsens esset; ideo aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit, vt dum quæritur absens, strictius teneatur præsens.* Præfatus Hugo.

Cant. 4.

Idem.

Vilescere solet rerum copia.

8 Eximius est pro re hac, de qua loquimur locus ille: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Actor. 1. nam si bene aduertis, in ipso discedendi actu, immò in ipso ascensionis initio, antequam ab oculis sancti cętus tolleretur, de reditu loquuntur angeli, *sic veniet*, quia vt dicit Glossa ordinaria, adeò adstantes ob Christi discessum anxios videbant, vt ad eorum solamen iterum Domini erat prænuncianda præsentia, cùm vix ad modicum diligẽs dilecti ferre possit absentiam: *Cùm verò sic essent loquuti*, ait Glossa, *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, nè consternerẽt illorum animos, subdiderũt: Sic veniet; respirarunt aliquantulum, cùm audissent eum rediturum.* Hoc (ni decipior) vltra passionis tempus, est illud modicum, de quo proprio dixit ore Saluator: *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem* Ioan. 16. quod haudquaquam modicum animæ æstuanti apparet, sed quantumcumq; modicum, longum diligenti videtur. Vndè Bernardus ser. 74. in Cant. hunc clamat in modum: *O modicum, & modicum! ò modicum longum pie Domine modicum dicis, quòd non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum nimis: verumtamen vtrumq; verum, modicum meritis, & non modicum votis.* En quomodo interiori decrescente dulcedine, crescunt vota; quod potissima internæ suauitatis, vel externæ Saluatoris præsentialitatis subtractionis consueuit esse origo.

Act. c. 1.

Glossa ord.

Christo in cælum abeúnte ad adstãtium solamẽ de eius reditu loquũtur Angeli.

Ioan. c. 16.

Bernard.

Etiã ad modicum dura amãti amati videtur absentia,

9 Theodoretus in catena relatus ad rem, de qua agimus annotat, quòd ob id Christus Dominus è populorũ frequentijs se sępè sępius subducebat, ac relictis quandoq, ciuitatibus, Tiberiadis mare transmeabat, iuxta illud Ioann. 6: *Abijt Iesus transmare Tiberiadis*. quia per sui subductionem tenuẽ populorum amorem in ardentiorem connertere satagebat; quod re ipsa accidisse subdit Euangelista: *Et sequebatur eum multitudo magna.* Allatus Theodoretus: *Transit enim de loco ad locum probando populi voluntatem, & auidiores homines omniscuiusq; ciuitatis, & solliciciores reddens, unde sequitur: Et sequebatur eum multitudo maxima.* Idẽ prorsus asserit D. Bonauentura super illud Luc. 24. *Finxit se longius ire. Et coegerũt illum, dicentes: Mane nobiscum.* Vbi eam potissimam rationẽ fuisse existimat, cur Christus Dominus se ad vlterius procedendum disposuerit, vt amoris flammula in discipulorum cordibus vrens, per sui copiæ denegationem excresceret: *Hoc autem faciebat Dominus, non simulando, sed potius occasionem dãdo, vt affectuosius inuitarẽt, & magis mouerentur.* Conspicias ergo eum quomodo fingit se longius ire, vt eorum angeat desiderium. Nec à præfatis discrepat Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 2. c. 47. dũ dicit, quòd ob id naufragos pene discipulos præterire volebat Saluator: *Circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans supra mare: & uolebat præterire eos.* Marc. 6. quia per hoc discipulorum vota augenda præuidebat: *Quomodo ergo eos uolebat præterire, quos pauentes ita confirmat; nisi quia illa uoluntas præteremdi ad eliciendum illum clamorem ualebat, ei subuenirí oportebat.* Quod argumentum prosequutus est etiam Bernardus ser.

Bonau.

Cur se longius iturum finxit?

Marc. c. 6.

August.

Cur Christus solitudinem multorties peteret?

Luc. c. 24.

Tbeodoret.

Ioan. c. 6.

74.

74. in Cantic. verba perpendens illa: *Cant. c. 2.* *Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Cant. 2. cùm dicit: *Bernard.* *Quomodo in bonum sponsæ ordinat sponsus præsentiam, & absẽtiam suã: istã nãq; vt auidius reuocaretur, & fortius teneretur.* Deniq; hoc etiam in Christi fuga: *Matt. c. 2.* *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Matt. 2. obseruauit Ioannes Ferus, qui vltra præfatos addidit, quòd nedùm ad amoris profectum, verùm etiam ad amoris tyrocinium se multoties subducebat Saluator; quam ob causam Iudæã deserens, Aegyptum pergebat, vt iudęi propter suam duritiem Verbi fame tabescentes, ipsum reuocarent, quod in fine quando famem amplius ferre non valebunt, efficient: *Fugit Christus,* ait citatus Ferus, *vt veritas figuræ respondeat. Sicut n. Ioseph à fratribus abiectus, & venditus, in Aegyptum veniens eosdem à famis periculo liberauit, vnde & Saluator mundi dictus est. Sic Christus à Iudæis repulsus ad gentes migrauit, eosq; ab horrenda illa fame spirituali, quæ omnem terram oppresserat, liberauit: nec quisquã alius id potuit, aut potest. Vndè & Iudæi fame compulsi tandẽ Christum agnoscent: Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes.* Hæc Ferus. Tu autem huc reuoca dicta partis primæ fer. 5. Dom. 1. §. 3.

Ioan. Ferus. Relicta Iudæa Aegyptũ pergit, vt Verbi fame tabescentes Iudæi ipsum quærant.

Digitized by Google

FERIA SECVNDA DOMINICAE PASSIONIS.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Ioann 7.

§. I.

Iureoptimò principes ad capiẽdum Iesum misisse dicuntur, quia nullus vnquam sic Saluatori infensus, vt nobiles, ac diuites.

1 PRincipes iubent, subditi non obtemperant: Principes ad capiendum Saluatorem ministros mittunt, missi Verbi verbis irretiti capiuntur: Principes satellites mortis Christi antecursores expectant, isti conciionatores effecti, immò sapientiæ Christi præcones reuertuntur dicentes: *Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo.* Ioan. 7. Quid sibi vult hoc? Cur satellites immite genus hominũ, & ad omne opus facinusq; qualẽ quale fuerit mercenariũ, mutatis animis, depositò liuore ac odio, omniq; immanitate posthabita breui Saluatoris capiuntur eloquio; Principes autem, & Pharisæi nec beneficijs cicurantur, nec miraculis confunduntur, nec rationibus vincuntur: immò mitescendi vice, sæuius semper in Christum crudescunt? *Ecce scribæ & pharisæi*, clamat Chrysostomus in catena relatus, *miracula videntes, & scripturas legentes nihil profecerunt. Ministri autem nihil horum habentes, ab vna sola alloquutione sunt capti.* Cur hoc? Forte quoniam tunc maximè verificabatur illud, quòd .s. quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi, vt confundat fortia: & ignobilia, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, tunc elegit, vt ea quæ sunt destrueret? Ita sanè: nam popularibus semper facilè Christo adhærentibus, diuites, nobilesq; nunquam illum persequi destiterunt. Sic Chrysostomus hom. 65. *Ecce Iudæorũ turba quæ subdita erat, bene sentit, principes verò insaniunt. Quòd.n. illi crediderint, testantur frequenter euangelistæ: quia multi de turba crediderunt ei; ex principibus minimè, sed inquiunt: numquid aliquis principum credidit in eum? Sed quid inquiunt de turba? Qui non nouerũt legem maledicti sunt. Qui credebant, eos maledictos dicebant, se autem, qui negabant, sapientes.* Nec miror, quòd semper pauperibus Christo æquis, diuites, nobilesque inuidia tabescentes in eum sæuiãt; quia si paupertas humilitatem seruando recte philosophari permittit, diuitiæ, & nobilitas intellectum furando, insanire faciunt. Vndè immediatè ante præfata Chrysostomus: *Quemadmodum diuitia incautos perdere consueuerunt, ita principatus: illæ namq; in auaritiam, hic in insaniam hominem impellit.* Qua insania nedum Christi tempestate, verùm iugiter etiam nobiles, diuitesque vexati, semper se Deo infensos ostendunt. Quare Vgo Card. super illud Ioann. 7. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?* horum impietatem cõdemnare volens, secus verò pauperum, simpliciumq; pietatem commendare, hunc ait in modum: *Ideò propheta eos maximè accusabant. Ierem. c. 1. Audite principes Sodomorum: & in eodem: Principes tui infideles, &c. vbi alia littera: Principes tui non obediunt. Item Michæa. 3. Numquid non malum est cognoscere iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Ita etiam in ecclesia fuit, & est, quòd simpliciores sunt meliores frequenter. Vnde Isai. c. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit:* de qua re fusius in sequentibus.

Idem.

Idem.

Ioan. c. 7.

Vgo Card.

Verborum illorum: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me nõ cognouit.* Isai. 1. intellectus.

2 Vix natum Redemptorem Sco-

po

Ioan. c. 7.

Chrysost.

Pauperibus erga Christũ pijs, crudescebant cẽ per in illum nobiles.

Digitized by Google

po Simeonem ipsum comparasse reperio: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur.* Luc. 2. vbi Brugensis: *In signum contradictionis, seu contentionis. Huiusmodi signum est scopus, quem sagittarij sibi præstituunt, in quem certatim omnes sagittas suas iniciunt, atq; configere, confodere, lacerare, ac destruere contendunt. Hinc sumpta metaphora prædicit Simeon, quòd certatim Israelitæ Christo, quando se ipsis manifestabit; contradicent, rebellabunt, odij sui sagittas in eum conijcient.; contradicent verbis, & rebus.* Quod vt legi, à quibus in hunc scopum contradictionis sagittæ essent dirigendæ, diligentissimè inquisiui; & tandem post multam inquisitionem Paulū solummodo rem explanantem reperi, nam ad Hebræos scribens à peccatoribus hanc contradictionem Christum sustinuisse asserit: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem.* cap. 12. qua Pauli solutione non obstante, adhuc prima viget difficultas; quia si Virgine excepta, quæ speciali filij sui gratia ab omni culpa tàm actuali, quā originali præseruata fuit, peccati immunem nullus æstimare se potest, iuxtà illud: *Si dixerimus quia peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ioan. Canon. 1. c. 1. adhuc sub generalitate sumus, à qua si ab vniuersali ad singulare affirmatiuè haudquaquam valet consequentia; ex Pauli verbis, qui fuerunt hi sagittarij, qui in hunc scopum contradictionis sagittas emiserint, concludi minimè poterit; ita equidem primo videtur intuitu, nihilominus si quis inter homines peccatoris nomine intelligi soleat, curiosius vestigabimus, Paulum satis indiuidualiter fuisse loquutum reperiemus: quia cùm diuites per antonomasiam peccatores vocari consueuerint, iuxtà illud: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo.* psalm. 72. vbi ad conuertentiā dici videntur peccatores, & abundantes in seculo, non quòd diuitiæ de se malæ sint, sed quia tota possidentium corda ebibendo, illos malos efficere solent. Vndè Hieronymus in epist. ad Hedibiam: *Fac tibi amicos de Mammona iniquitatis. Pulchrè Mammonam iniquitatis dixit; omnes.n. diuitiæ de iniquitate descendunt: Vndè & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima. Diues aut iniquus, aut iniqui hæres.* diccndo Paulus quòd à peccatoribus contradictionem Saluator sustinuit, à diuitibus ipsi contradictum fuisse demōstrat. Vnde Toletus super citatum Lucæ locum: *Hic est vexillum, cui contradicetur, idest vexillum contradictionis, & oppugnationis: cōtradixerunt enim Iudæi doctrinæ eius, legis transgressorem, & populi seductorem eum esse dicentes. Contradixerunt miraculis, principi dæmoniorum ea tribuentes. Contradixerunt moribus, voracem, & vini potatorem vocantes. Contradixerunt conuersationi, amicum publicanorum, & peccatorum accusantes. Contradixerunt personæ, eum esse Samaritanum conuiciantes, & à Deo esse negantes.* Hinc per antonomasiam non turbas pauperculas, sed nobiles, diuitesq; Christi aduersarios nuncupauit Lucas, cùm c. 13. ait: *Erubescebāt omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat, &c.* Vbi Carthusianus ar. 33. *Aduersarij erant Scribæ, & Pharisæi sūmæ gloriæ cupidi.* Patentius, meo iudicio, dicere volens: si difficultas vos vexat, qui adeò effrontes esse potuerint, vt Christo contradicere, eique semper se opponere minimè veriti sint; notum sit vobis, quòd Scribæ, & Pharisæi: diuites, ac nobiles contra hunc scopū nunquam contradictionis sagittas dirigere destiterunt; quæ potissima ratio est, cur aduersariorū vocabulum sortiantur, quia iugiter se ei opponere studeant.

Cæterū si scripturas te percurrere minimè piguerit, primam, & vltimam Christi persecutionem non ab alijs, nisi à diuitibus, nobilibusq; motas fuisse reperies: nam si benè aduertes; prima ab Herode originem sumpsit, ad complendam verò nequissimi regis sæuitiam Principum, Scribarū, & Pharisæorum accessit malitia, quia de loco vbi expectatus Messias secundum scripturas nasci deberet interrogati; ex prædicatoribus proditores effecti, margaritas ante porcos proiecerunt, mysterium pandentes: *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudę* Matt. 2; vbi

Luc. c. 2.
Brugens.
Cur scopo Christus à Simeone cōparatur?
Hebr. c. 12.
Ioan. 1. Cano. c. 1.
Psal. 72.
Hieronym.
Diues aut iniquus, aut iniqui hæres
Toletus.
Quātā Christus à diuitibus, sapientibusq; cōtradictionē sit passus, expenditur.
Carthusian.
Matt. c. 2.

Prima Christi persecutio à diuitibus, nobilibusq; mota.

vbi Imperfectus eos malitiosè id reuelasse autumat, vt sæuissimi Regis compleretur facinus: *Dant responsum Regi interroganti, ex corde non bono, cùm deberent celare mysterium Regis à Deo præfiniti ad salutem gentis Iudeæ, maximè in conspectu Regis alienigenæ, qui non solùm zelo regni, sed etiam generis alieni odio aduersaturus Regi postmodum futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare: tamen non solum manifestauere mysterium, sed etiam ad fidem sermonum suorum propheticũ protulerunt exemplum, tamquam, qui thesauros Domini sui absconditos hostibus eius prodant; et facti sunt non prædicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum eius, et non doctores Herodis, sed imitatores malitiæ eius.* Sic de prima Christi persecutione Imperfectus. Vltimam postea eam puto, quæ vltra personam, ad nomẽ et odij virus effudit, tunc scilicet quando salutari Christi nomini, in quo ab vtero claudus gradiẽdi virtutem receperat inuidentes quamplurimi, magicæ arti miraculum ascribere volebant; quod considerans Cornelius à Lapide, hunc ait in modum: *Volebant apostolos obruere sua auctoritate, et præiudicio, vt fatererentur se miraculum non in nomine Christi; sed ludicum quid arte mirabili, seu magica edidisse.* Quod si quorum nam tanta potuerit esse iniquitas, quæ etiam Christi nomini derogare fatageret, scire cupis, audi scripturam: *Factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum, et seniores, et Scribæ in Ierusalem; et Annas princeps sacerdotũ, et Caiphas, et Ioannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Actor. 4. Itaq; conglobati sunt omnes, ait Carthusianus, ita sanè: nec ab alijs, nisi à regibus, ac principibus talis, tantaq; contra Saluatorem oriri poterat persecutio: hi ab initio contra eum astiterunt, & hi in fine conuenerant in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.

Imperfect.

Cornel. à Lap.

Actor. c. 4.

Vltima ab ijsdem.

Carthusian.

4 Lucem faciunt modò dicta difficultati illi: Quid est, quòd Lucas Zachæum describere volens hac vtatur loquẽdi serie: *Ecce vir nomine Zacheus et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives?* cap. 19. Si dicendo hic erat princeps publicanorum & dives, rectius loqui potuisset; cur nouo hoc loquendi modo adinuento principem, & ipsũ diuitẽ appellat: *Hic erat princeps publicanorũ, et ipse dives?* At ò mysterium! quia nãq; diuites, ac nobiles in vnũ cõtra Iesum conuenisse videbat, ideò mirabile ei videbatur, quòd à conuentu malignantium Zachæus discordaret; quod eò miraculosius apparebat, quòd vltra diuitias, nobilitate etiam pollebat, quam rem vt ostenderet Euangelista, ipsum non principem, & diuitem appellat: sed principem, & ipsum diuitem dicit, vt hac inculcatione verborũ apertius rei magnitudinem, & nouitatem ostenderet. Meum non est hoc, quod dico, sed Carthusiani, qui art. 42. hæc habet: *Ista de ipso narrantur, vt eius conuersio gratiosior, mirabiliorq; appareat.* Et sanè omni stupore dignum hoc Zachæi factum videri debebat, quia si mirabile aliquibus videbatur, quòd Christo principes non aduersarentur, iuxtà illud: *Ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid verè agnouerunt principes, quia hic est Christus?* Ioan. 7. vbi Toletus: *Perpende in his verbis quanta fuerit rabies principum contra Christum: Ecce palam loquitur, ac si dicerent: maxima diligentia, et rabie iste ad necem quærebatur; et nunc tam libere loquitur, et reprehendit, aduersarijs obmutescentibus, cuius causa alia profectò non videtur, nisi quia nouerunt tam hunc esse verum Messiam.* mirabilius apparere debebat, quòd & princeps, & dives Christi discipulus efficeretur; quod agnoscẽs Lucas, vt rei magnitudinem explicaret, verborum reduplicatione vtitur, non illũ principem, & diuitem; sed principem, & ipsum diuitem appellando.

Lucas c. 19.

Diuitem ac præpotẽtem Christo adhærere miraculum non vulgare.

Carthusian.

Ioan. c. 7.

Toletus.

5 Transuolo illud: *Ecce ascendimus Ierosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum.* Matt. 20. vbi Paulus de Palacio subtiliter annotat, quòd non sine mysterio principibus se tradendum asserit; quia semper hos sibi infensos agnoscebat: *Expende illud,* ait dictus Paulus, *tradetur principibus, et videbis mundi sapiẽtiam, nobilitatem, et culmẽ contra Christum armata.* Quod etiam

Matt. c. 20.

Paulus de Pal.

Semper mũdi sapientia, nobilitas, & diuitiæ in Christum pugnarunt.

Digitized by Google

Luc.c.9. ...animaduertauit Vgo Card. super illud Luce 9. *Oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis*; vbi sic habet: *Ab illis, qui erant in lege honorabiliores plura passus est dominus, à quibus potius debuit honorari*. Nec multum immoror in expositione Gorrani super illum locum Ioan. 7. *Alij dicebant: Quia bonus est. Alij autem: Non, sed seducit turbas.* Vbi quàm apud plebeios Christum benè sensisse, tàm nobiles contra eum obloquutos fuisse, his verbis ostendit: *Quidam n. dicebant, quia bonus est, vt paruuli. Alij autem dicebant, non, & isti erant Pharisæi maiores, qui vocauerũt eum seductorem. Matt. 27. Recordati sumus, quia seductor ille dixit, &c.* sed moram aliquam facio in verbis illis: *Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum nõ veniat anima mea, &c. Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Genes. 49. vt de quo viro, & de quo muro loqueretur hic Iacob edocear; nam ipsum asserere Sichimitarum cædem tunc præ oculis habuisse (vt sentiunt multi) plures habet difficultates, sicuti: quid est, quòd in singulari, virum occisum, non viros occisos asserit, si Sichimitarum cædes per cunctos ciuitatis viros grassata fuerat? Et postea, quem murum suffoderunt, si id nullatenus scriptura cõmemorat? Nec Hebræorũ sententia de Iosepho verba fuisse asserentium difficultatibus vacat; tũ quia Ioseph venditus quidem fuit, occisus autem nequaquam; tum etiam, quia euersi muri metaphora Iosepho nullatenus congruere potest; deniq; casu Carthusianum percurrens, quod alij me non docuerunt, ipse edocuit, dum iuxta aliquorum sententiam de Christo prophetiam fuisse asserit, quam expositionem pro præsenti instituto nequaquam contemnẽdam existimo, quia vltra quòd viri nomine Christus in scripturis per antonomasiam intelligi solet, iuxtà illud Zachariæ 6. *Ecce vir oriẽs nomen eius.* Et illud Ierem. 31. *Mulier circũdabit virũ.* à Simeone, quoque & Leui cedes ortũ habuit, q.a à diuitibus, & sacerdotibus, ab illis præcipuè descendentibus, vsq; eò dimicatũ fuit, donec perforato, & fusditus euerso innocentissimæ carnis muro, virum hunc sanctissimum Christum Dominum morti crudelissimè tradiderint: *Nõnulli exponunt ista*, ait præfatus Carthusianus, *de Sacerdotibus, Scribis, et Pharisæis ex Leui, et Simeone natis, qui præ cæteris iudæis contra Christum pugnauerũt, et multa contra eum habuerunt consilia, et quem tandem interfecerunt. Et murum, hoc est corpus ipsius, seu ipsum Christum, qui fuit fortissimum Israelis propugnaculum, vulneribus suffoderunt, sic vt fertur: Foderunt manus meas, et pedes meos. Deniq; tam pertinax fuit Sacerdotum, Scribarum, et Pharisæorum furor in Christũ, quòd quantò plura, atq; maiora fecit miracula, tantò plus insaniebant in eum, cogitantes qualiter eum occiderent.* Hæc Carthusianus, quibus etiam multo ante Christi aduentum, potentium, ac diuitum furorem contra Dominum ostendendum præuisum fuisse, dignoscitur.

Carthusian.

Verborum illorum: *In furore suo occiderũt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Genes. 49. intellectus.

6 *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Saluatoris est interrogatio à Matt. cap. 16. relata, quam considerãs Brugensis non parum miratur, quòd relicta nobilium, ac sapiẽtum opinione, de hominum, hoc est de populariũ sententia interroget; quòd apertius, immò apertissimè scribit Lucas, qui idipsum referens cap. 8. vice verbi illius, *Homines*, turbas posuit dicendo: *Quem me dicunt esse turbæ?* Si indocti facilè decipiuntur, cur de sapientum sententia non interrogat? Et facilè difficultatem ipsemet soluit dicendo: *De primatibus iudæorum aduersarijs, calumniatoribus, et persecutoribus suis manifestis plerisque omnibus, non rogat, vt quos constaret nihil de ipso boni prædicare. Apud plebeios porrò benè audiebat.* Quia scribæ, pharisæi, & ferè omnes doctores, diuites, & præpotentes quotidie Christi virtutes calumniando, & opera; suam iam dicebant sententiã, ea propter eorum relicta opinione, de popularium percontatur Saluator, quia semper hos quò minus inuidos, eò magis benevolos experiebatur.

Matt. c. 16.

Lucas c. 8.

Brugensis.

Quàm apud plebeios benè, tã apud potentes diuites q; malè audiebat Saluator.

7 Firmat hoc locus ille: *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejcit dæmonia.* Luc. 11. vbi, reliquos vt omittã, quærit Aymo; qui

Luc. c. 11.

Zach. c. 6.

Ierem. c. 31.

Nobiles, diuitesq; semper Christo infensi.

Genes. c. 49.

Gorranus.

Ioan. c. 7.

Vgo Card.

quinam fuerunt hi sic scelesti, qui sic similia de Domino fari nõ erubescerẽt. Et statim non turbas, sed Scribas, & Pharisæos fuisse diuinatur, nàm hi quantò sapientiores videbantur, tantò maiori inuidia excæcabantur. *Non quidam de turba hoc dixerunt*, ait ipse, *sed scribæ, et pharisæi, qui Domino inuidebãt, sicut alij Euangelistæ testantur. Turba. n. quæ minus erudita erant, quàm scribæ, et Pharisæi, miracula, quæ à Domino fieri videbant, etiam mirabantur, et laudabãt. E contra, scribæ, et pharisæi legis doctores videntes opera Domini, quæ negare poterant, negabant, et quæ negare non poterãt, malè interpretabantur, sicuti hic, quando dixerunt eum in Beelzebub eijcere dæmonia.* Sic Lucas Brugensis vulgarium descripta æquitate, diuitias, nobilitatem, doctrinamque contra Christum semper pugnasse asserit: quod cum in dies semper magis, magisq; experiretur Saluator, frequenter relicta Iudæa in Galilæa hospitabatur, iuxta illud: *Ambulabat Iesus in Galilæam, non. n. volebat in Iudæam ambulare.* Ioann. 7. quia ibi potentibus, locupletibusque incolentibus semper nouum quid cõtra se moliri videbat; hic verò quia simplicium, pauperculorumque locus erat, quieti magis erat idoneus. Ita Diuus Vincentius Ferrerius serm. vnico fer. 3. Dom. pall. *Sciendum est, quòd terra promissionis ultra mare diuidebatur in duas prouincias, scilicet in Iudæam, et Galilæam; et in Iudæa est ciuitas Ierusalem tamquam metropolitana, et ibi stabant doctores, magistri, et studium generale, et ibi morabantur inimici Christi; sed parentes eius, et amici stabant in Galilæa, quia Christus ibi fuerat nutritus in ciuitate Capharnaum, et ibi non habebat inimicos tot, sicut in Iudæa.* sic D. Ferrerius; quod breuioribus verbis clarius expressit D. Antonius Paduanus dicendo: *Principes, et Pharisæi mortem eius procurabant: Galilæi verò erant homines simplices, et sic opera Christi non sic calumniabantur.*

Aymo.

Pharisæi, Scribæque quò turbis sapientiores, eò in Christi. crudeliores.

Ioan. c. 7.

Vincent. Ferrer.

Cur Christus relicta Iudæa, Galilæam sæpè incolebat.

Ant. de Pad.

8 Dubitaui, & nõ semel; Quinam fuerint fortunati illi pauperes, ad quorum euangelizationem se Christus missum fatetur: *Reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quòd unxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Luc. 4. & licet pauperum nomine generaliter omne hominum genus, omnesq; homines spiritualiter per peccatum depauperatos intelligat Ambrosius: Et arctius rem interpretando Origenes hom. 32. cum Tito Bostrensi per hos pauperes gentes paupertate pressas, dum sine Deo, sine lege, sine religione, sine salutis via, sine doctore, & propheta viuebant, intelligendas asserat. Et denique quamuis per hos, spiritu pauperes significari autumẽt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, Hieronymus super cap. Isaiæ 61. Eusebius lib. 3. de demonstr. Toletus nihilominus verè egenos, opibus s. destitutos pauperum nomine hic significari autumat, cùm dicit: *Hoc tamen in loco mihi accommodatius dici uidetur, si pauperes in sua propria significatione intelligamus, ut pauperes sint, quos uulgo pauperes homines, nempè diuitijs temporalibus destitutos appellamus.* Qua posita Toleti sententia, quæ mihi nec quidem displicet, modica non insurgeret difficultas: Quonampactò ad euangelizãdum pauperibus Christus missus dicatur, si pro omnium salute venerat, pro omnibus patinõ est dedignatus, & pro omnium deniq; conuersione in omnem terram eius sonus exiuit; nisi ipsemet Toletus insurgenti illi occurreret dicendo, quòd ad omnes quidem euangelica est missa doctrina; verùm quia contradicentibus ferè cunctis opulentis, egeni facilè doctrinam cum doctore receperunt, ob id ad euangelizandum pauperibus se missum dicit Saluator. Præfatus Toletus: *His. n. primis annunciatum est euangelium, et hi primi Christum receperunt, quales fuerunt discipuli Christi, qui erant piscatores, et pauperrimi, alijq; discipuli, et credentes de media turba, et plebei. Ex illis. n. principibus, et Pharisæis, ac primis Iudæorum pauci, et ferò crediderunt.* Et paulò infrà: *Licet. n. omnibus euangelizare uenerit; pauperes tamen primi efficaciter receperunt eum.* Quæ omnia sole clarius pauperculorum erga Christum beneuolentiam, & locupletum, nobiliumq, in eum sæuitiam ostendunt.

Luc. c. 4.

Toletus.

Idem.

Cur Christus non ad euangelizãdum diuitibus, sed pauperibus missum se dicat.

9 Quod videri etiam potest ex il-

lo

lo Ioann.9.vbi habetur;quòd magnatis poſt cæci illuminationem Dominum legis tranſgreſſorem,& peccatorem vocantibus: *Nõ eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*, illuminatus tamen prophetam illum vocabat: *Ille autem dixit:quia propheta eſt*. Vbi Chryſoſtomus homil.55.in Ioann. *Tu autem intuere pauperis ſapientiam; quæ cæteros ſuperauit. Cõfeſſus eſt prophetam eſſe, neq; prauum Iudæorum iudicium ipſum perterrere potuit,cùm dicerent: Quomodò poteſt eſſe hic à Deo, qui ſabbata non cuſtodit?* Probat etiam modò dictum Theophylacti obſeruatio, quòd turbis ad Chriſtum pro Lazari reſurrectione concurrentibus, phariſæi, & ſcribæ cũ cæteris primoribus, vt quod negare non poterant, obnubilarent, Lazarum interficere moliebantur: *Beneuoli fuerunt hi, qui ad Ieſum venerunt,& non ſicut alij maleuoli,& inſani: phariſæi namque tàm inhumani erant, vt non ſolum Ieſum,ſed & Lazarum occidere cogitarent*. Allatus Theophylactus ſuper cap.Ioann.12. Nec parum facit pro maiori huius veritatis dilucidatione,quòd cùm turba Lazari reſurrectionis teſtimoniũ perhiberet, cùmq; Chriſto cum palmarum ramis obuiam veniret, ipſum regem, prophetamq; clamando, vt videre eſt Ioann. 12. Phariſæi inuidia tabentes, quid in tanta populi acclamatione agerẽt, ignorabant: *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abijt*: Ioan.loc. cit.vbi Toletus: *Quia viderãt turbam obuiam venientem Chriſto,& audierunt magnificas eius acclamationes, propterea hæc inter ſe phariſæi confuſi & dolentes,indignanteſque proferebant*. Spectat etiam (nè rem pluſquam par eſt, in longum protraham)ad hoc, de quo loquimur locus ille: *Timebant vero plebem*. Luc.22.Vbi Vgo Card. *Timebant plebem,quæ amabat Ieſum,& libenter audiebat eum,& liberaret eum,& auferret de manibus ſacerdotum. Nec timebant ſeditionem populi, ſed quòd in proprias eorum perſonas fortè manum injicerent*. Quæ omnia,multaq; alia,quæ poſſent adduci, quàm turbas erga Chriſtum pias, tàm magnates in illum impios oſtendunt: immò apertiſſimè declarant.

Ioan.c.9. — *Chryſoſt.* — Pauperculorum erga Chriſtũ pietas,dimiſſiq; in illum impietas ex pluribus ſcripturæ locis expenditur. — *Theophyl.* — *Ioan. c. 12.* — *Toletus.* — *Vgo Card.*

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum:& vado ad eum, qui miſit me. Ioan.7.

§. II.

Salua gratia incolumitate,etiam propriæ beatitudini proximorum præferenda eſt ſalus.

1 IMparem ſanè verbis tuis: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum:& vado ad eum,qui me miſit*. Ioan.7.intellectum meum fateor Domine: Quid eſt, quòd ad necem quæreris, & de temporis breuitate cõquereris? Vel,vt aptius loquar; quid eſt, quòd mortalitatem dimiſſurus, corporis glorificationem acquiſiturus, nominis exaltationem auditurus,immò ad Patrẽ proximè aſcenſurus quereris, & triſtaris? An fortè quia charitati tuæ pro dilectis vitam in diſcrimen adducere,& pretioſum pro ipſis ſanguinem fundere minimè ſufficit, quapropter vltrà illam amantium viam, animam nẽpe pro amatis ponentium,nouam,inauditamq; dilectionis ſemitam aperis? Ita ſanè,nam dum corporis glorię,& nominis exaltationis terminos pro humani generis ſalute inuertis, & inauditum charitatis præbes exemplum,& etiam nos cum propriæ beatitudinis iactura (ſalua ſemper gratiæ incolumitate) proximorum conuerſionem quærere debere edoces. Hac doctrina edoctus, & hoc exẽplo roboratus Paulus, quid potius expediret,cũ Chriſto .ſ.in cælis viuere,an cum hominibus in terra cõuerſari,licet aliquantiſper hæſitauerit: *Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos*. Ad Philipp.1. Vbi Auguſtinus de doctrina Chriſtiana: *Non ita diſtinguendum eſt,vt dicatur: Coarctor,& poſtea ſequatur:è duobus deſiderium habens diſſoluendi, & in carne manendi: quod ex ipſo textu ſermonis diiudicatur,quando ſequitur.Diſſolui & eſſe cum*

Ioan. c.7. — *Philip.c.1.* — *Auguſtin.*

Digitized by Google

Aneeps Paulus an militanti relicta Ecclesia, triũphanti interesse deberet.

cum Christo multò melius est. Apparet .n. eum eius, quod optimum est dicere se habere concupiscentiam, vt cum ex duobus compellatur. Alterius necessitatem propter fratres: Sic ergo distinguendum est. Coarctor, vel compellor è duobus: Deindè sequitur, ego dico desiderium, vel concupiscentiam dissoluendi habens ab his miserijs, quibus quasi cõpedibus vinctus sum, & cũ Christo esse præsentialiter: Et quasi quereretur, quare huius rei potius habeat concupiscentiam, Subdit; quia multo magis melius est quantum ad me. Et quasi iterum diceretur: Cur ergo è duobus compelleris? Subdit, quia est manendi necessitas; dicens. Permanere autem in carne necessarium est propter vos, non propter me. Quia illud melius est mihi, hoc necessarium est vobis; ideo illud cupio, hoc non recuso. Tandem propria voluntate abdicata, ad præceptoris similitudinem cum hominibus se mansurum promisit: *Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* ibid. Quam optionẽ stupet Chrysostomus, dum ad eumdem Paulum versus sic clamat: *Quid dicis Paule? Cũ hinc abiens in cælum migraturus sis, & cum Christo futurus, acerbam hic vitam ducis in fame, siti, frigore, nuditate, curis, persecutionibus, & angustijs; & acerbam hanc adhuc vitam desideras? Quis mercator nauem habens multis rerum copijs plenam, cùm liceat iam ad portum peruenire, tutoq; quiescere adhuc tamen in mare nauigare vellet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cùm iam liceat coronari? Quomodo ergo cupis adhuc in hac vita consistere?* Denique ideò Paulum hoc elegisse asserit, quia, ac si suæ immemor felicitatis, proximorum tantũ vtilitatem attẽdebat. Vndè in eiusdem Pauli persona huiuscemodi optionis rationem subdit dicendo: *Vt agricolationem illam, quam plantaui, frugiferam reddam, non quod mihi vtile est, quæro.* Et satis clarius Cornelius à Lapide: *En quanti fecerit Paulus animarum lucrum, & salutem proximorum, vt eam suæ beatitudini prætulerit, & propter eã suam cum Christo conuersationem differri optauit: licet .n. hoc suum votum, et electionem diserte nõ exprimat Apostolus, satis tamen insinuat, cùm ait: et hoc confidens scio, quia manebo.* Hanc etiam dilectionis semitam sanctissimus ingressus fuit Martinus, qui quamuis cælestis patriæ ardore ferueret, Deumque assidua oratione precaretur, vt eum è mortali carcere liberaret; discipulorũ nihilominus lacrymis madefactorum voces audiens: *Cur nos pater deseris? Cui nos miseros derelinquis?* statim illorum profectum propriæ beatitudini prætulit dicendo: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quem charitatis excessum considerans Bernardus in serm. eiusdem D. Martini, hunc clamat in modum: *O verè sanctissimam animam! ò inæstimabilem charitatem! ò obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum cõsummasti, fidem seruasti, de reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi dominus hodie iustus iudex: & adhuc dicis: Non recuso laborem, fiat voluntas tua? Magna quidem obedientia vestra Sancti Angeli, sed, quod dicere audeam, pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Non est hoc; Si adhuc populo tuo sum necessarius: non recuso laborem.* De qua noua charitatis semita, ab eo, qui charitas est adinuenta, potiora quædam adducam.

Chrysost.

Idem.

Cornel. à Lap.

Vt animarum incumberet salutis etiã ad tempus paradisi gaudia recusabat.

Bernard.

Angelos et charitate quodammodo superare videbatur D. Martinus, dum animarum salute propriã beatitudinẽ progari petebat.

2 Et ante alia Paulus de quo fari iam cepimus, semper me in stuporem adduxit, nàm cæteris martyribus moriendi desiderio flagrantibus vnus ipse totis viribus, totoq; ingenio mortẽ semper hùc, illucq; pergendo declinauit, & fugit: & tandem cùm in Cæsarea adeò arcta teneretur custodia, vt nec per murũ in sporta, vt aliàs effecerat, nec alitèr quomodolibet è Festi manibus euadere posset; nè morti traderetur, Cæsarẽ ipsum appellasse reperio: *Ad tribunal Cæsaris stò, ibi me oportet iudicari, Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si .n. nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.* Act. 25. Si Stephanus ad Christum eundi cupidus crepitantibus saxorum turbinibus sic altè personauit: *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Act. c. 7. vt facilè in cælis etiam audiri potuerit: Si Andreas

Actor. c. 25.

Vitam & alij pro Christo perfundere optabant, Paulus conseruare studebat, & quare?

Ibid. c. 7.

Digitized by Google

dreas ad locum martyrij ductus crucẽ à longe proſpiciens clamare cæpit: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando concupiſcenti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Si deniq; cæteros vt omittam, adeò martyrij deſiderio flagrabat Ignatius, vt non à beſtijs ſe deuorandum, ſed ipſis ſe fruiturum dicebat: *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ: quas & ore mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicium, & allici ad comedendum me, nè ſicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciã, ego me vrgebo, vt deuorer.* Ita eum dixiſſe refert Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis, quid igitur eſt, quòd ſolus ipſe viuendi deſiderio tenebatur, & adeo, vt non minus ipſe vitam conſeruare ſtuderet, quàm alij eam pro Chriſto profundere peroptarent? Quæ quidem difficultas cùm parui ponderis minimè ſit, pro eius clariori ſolutione ad illam aliam quæſtionem cõfugio: Quodnam ſit maioris charitatis indicium, pro Chriſto mori, an pro Chriſti fidelibus viuere? Beatitudinem optare; an, ſemota culpa, pro fratrum ſalute beatitudinem recuſare? Et ſi Molinæ aſſentiri voluerimus (vt fas exiſtimo) dum charitatis eſt, ſua non quærere, ſed quæ Dei, & proximi; cùm maior Dei gloria, maiuſque bonum ſit multorum conuerſio, quàm vnius beatitudo; multorum ſalutem propriæ felicitati anteponere, nedum licitum erit; verùm maioris charitatis cenſeri debebit argumentum. Ita præfatus Molina 1. parte quæſt. 24. in fine. Quod etiam Cornelius à Lapide ſuper cap. 9. ad Rom. his verbis confirmauit: *Hoc .n. maius eſt Dei bonum, & gloria, quàm ſit mei vnius beatitudo; & conſequenter hoc optare, non minuit, ſed auget charitatem, & propriam perfectionem, ad quam magis inclinat charitas, quàm ad propriam gloriam, & beatitudinem.* Quo ſuppoſito: audi cur non vt cæteri citò mori, ſed diù viuere optaret Paulus; audi cur per muros nunc fugiendo, nunc appellando incolatum ſuum, quem alij prolongari videntes conquerebantur, vnus ipſe ſibi prorogare ſtuderet; quia (ſalua multorum pace) eò Pauli peruenerat charitas, & eò ſe extulerat, vt indignum putaret, niſi (è communi dilectionis via exeundo) pro hominum ſalute etiam proprię beatitudinis dilationem optaſſet. Audi Chryſoſtomum hom. 7. de laudibus Pauli, fugę, & appellationis eius rationem reddentem: *Illa faciebat, vt prædicationi inſiſteret, cumq; multis hinc credentibus, atq; omnibus ornatus iret ad Chriſtum: iã profectò metuebat, nè pauper hinc atq; inops multorũ ſalutis aſcẽderet.* En quare non cito mori, ſed diù viuere optaret Paulus; en tota appellationis origo, quia adhuc circũire, adhuc prædicare, adhuc peccatores conuertere, adhuc cõuerſos firmare volebat; ideò in ſporta per murum ſe demitti patiebatur, ideò hùc, illùcq; fugiebat, ideoq; cùm mortẽ aliter effugere non poſſet, appellabat: quòd igitur (vt Chryſologi vtar verbis) bellicoſus hic miles in bello fugerit, artis fuit, non timoris; nàm non vt ſibi viueret, ſed vt alijs prodeſſet, vitam ſic ſtudioſè ſeruabat. Vnde Anſelm. ſuper c. 1. ad Philippenſ. in Pauli perſona hunc dicit in modum: *Niſi hic fructificare adhuc quotidie poſſem, haùd dubium quin mori eligerem, cùm Chriſtum haberem lucrum: Sed quia me video multis aſſiduè prodeſſe, charitas eorũ adhuc me retinet in carne.* Vides quomodo (ſalua multorum reuerẽtia) eò Paulina peruenit charitas, eò ſe extulit, vt etiam pro fratrum ſalute ſuæ beatitudinis ſpatium producere ſtuduerit; ad quod Bernardus (vt in ſermone de S. Martino diximus) an Angeli ipſi ſi oporteret, parati eſſent, ignorat.

Toſtatus ſuper verba illa Matt. 10. *Cùm perſequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: Cur Apoſtolis fuga demandetur, ſubtiliter inquirit: *Quæritur ſpecialiter circa fugam Apoſtolorum, quibus Chriſtus iſta dicebat; an indiſtinctè eis fuga licebat? vel quomodo licebat?* quæſt. 109. Si Apoſtoli (dicit ipſe) oues erant, & vt oues in medio luporum mittebantur, cur fugiendum iniungitur? Si vt agni neci iam addicti ad occiſionem duci debebant, cur

Quodnã ſit maius charitatis indiciũ pro Chriſto mori, an pro Chriſti fidelibus viuere? expenditur.

Cornel. à Lap.

Chryſoſt.

Fratrũ charitate tẽtus, beatitudinẽ ſuam prorogari cupiebat Paulus.

Anſelm.

Matt. c. 10.

Toſtatus.

Digitized by Google

lanienas cauere edocentur? Cui quæ-
Idem. stioni facile respondit subdendo: *Vt ad meliora tempora seruarentur, in quibus esset mors sua fructuosior, nam prædicaturi erant toti orbi; & diuulgato euangelio, tunc morituri erant: sic etiam Christus sæpè fugiebat, & eripiebat se è manibus iudæorum volentium ipsum occidere, scilicet quia non dum venerat hora eius. Ioan. 7. 8. & 10. ita ergo Apostoli cauere debebant persecutionem fugiendo.* Manifestius meo iudicio dicere volēs; quia fortè nō omnes, vt Paulū fratrū vtilitatem propriæ felicitati tunc prælaturos agnoscebat, nè cælestis patriæ desiderio in primo certamine vitam darent, persecutionibus vsq; ad præfinitum tempus cedendum præcepit.

Vt diutius proximorū vtilitati incumberent Apostoli, nō pressuras, & morte subire, sed fugere eis iubetur.

4 Petrum in Thabor tabernacula construere volentem: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Matt. 17. ideo de inscientia
Matt. c. 17. argutum fuisse, dicente Luca c. 9. *Non enim sciebat quid diceret.* in 1. p. diximus: vel quia ibi tabernacula figere, ibique manere optabat, vbi se hospitem, & peregrinum sentiebat: vel quia in via Dei sistere, non progredi contēdebat; vel denique; nè cūctas recensea causas, quia per præfata diuisionem insinuare videbatur, dum ab vnitate exiens, ad pluralitatem progrediebatur: hic verò cum Timothæo Antiochæno aliam adduco rationem, illam nēpè; quia proprio commodo consulēs minus, quàm par erat, commissorum curæ inuigilabat, cùm horū saluti nedū felicitatis arrha, sed ipsa quoque esset
Luc. c. 9. posponenda felicitas: *Quid tibi in mētem venit Petre?* ait præfatus Timothæus, *Tui nè solius curam geris, an totius mundi?* Si totius orbis tibi cura est demādanda, nequaquam diù hic permanere debes, sed plus aliorum; quàm propriæ vtilitati consulēdo descende, prædica, iusta, opportunè, importunè, vsq; ad præfinitum tempus ab eo, qui te ex multis ad multorum profectum elegit.

Timoth. Antioc.

De insciētia arguitur Petrus tabernacula in Thabor construere volens, & quare?

5. In verbis illis (nè à Petro sic cito discedam:) *Ecce Angelus Domini astitit: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter, &c. Dixitque Angelus ad eum: Calcea te caligas tuas.*
Actor. c. 12 Actor. 12. duas non vulgares difficultates reperio: Si Angelus feras facilè aperiebat, si catenas disrumpebat, si Dei iussu ad Petri liberationē veniebat, ad quid Petrum velociter surgere, citoq; ipsum egredi præcepit? Et postea, quod maiori stupore dignum censeo, si surgere, properare, currere, immò volare præcepérat, cur postmodum quasi ad otium ipsum se calceare iniunxit? *Ad eximendum Petro metum, quomodo per dispositas militum custodias pertransiret, tanto Angelus illum auxilio, & præsidio confirmat, vt otiosè pallium induere, atq; sandalia, & laxatā stringere vestē possit.* ait Proculus in encomio vinculorū S. Petri; & licet difficultatibus his non desint respondentes, quòd Angeli cum sint veloces, alacres, & agillimi ad exequenda Dei mandata, à cliētibus eamdem pariter exigunt velocitatem; & quòd idcirco caligis suis Petrum calceari fecit, nè quid in carcere relinqueret, ad quod accipiendum postea in eumdem rediret, & sic itefum se mortis occasioni traderet, iterumque inter sceleratos se reperiret, à quorum cętu, qui se velociter non eripit, facilè cę spitat. Ego nihilominus præfatis solutionibus totaliter non contentus, dico; quòd ideò fortè Angelus Petrum surgere, & festinare iussit, qa illum in fratrū vtilitate curāda segnē videre nolebat: nam non, vt Petrus putabat, mortis, sed vitæ, non coronæ, sed prælij, nō quietis, sed p̄dicationis tēpus tūc erat, à qua nè per momentum quidem desisteret, velociter surgere, & currere fecit, ac si diceret: si tuam modò expectas beatitudinem, si nunc ad cælum pergere cupis, falleris, quia adhuc hominum saluti magis, quàm tuæ coronæ insistere debes; & taliter quidem, vt veluti aliger non ad cælum vt voles, sed ad illorum profectum pennas assumas: & si euangelizantium pedes propter spinas, & tribulos verbum Dei blasphemantium calceati esse debent, iuxta illud: *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* ad
Proculus. *Ephes. c. 6.* Ephes. 6. Propterea pedes tuos calceari præcipio, vt ad iterum prædicādum te seruatum agnoscas; propter quod munus etiam tua producenda

est

Digitized by Google

eſt gloria, quod pro gloria habere debes. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed D. Gaudentij Brixienſis Epiſcopi, qui in 5. tract. Exodin. *Ideo beatus Petrus calceauit ſe in carcere calceamentis ſuis, & ſic exijt iterum ad hoſtes indaos, & aduerſarias poteſtates; vt calceatus pedes in præparatione Euangelij, calcaret ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Sic ipſe: Ex quo ſatis etiam patet, cur ſurgere, & properare iuberetur, quia ad prædicandum miſſus, etiam cum propriæ beatitudinis abſtinẽtia pigritare minimè debebat, ſed pro fratrum ſalute currere, & feſtinare.

Gaudentius.

Petro è vinculis egreſſuro nedum feſtinare, ſed ſe calceare iniungitur, & quare?

6 Optimè veritatem hanc, quòd etiam cum propriæ beatitudinis dilatione, proximorum ſit quærẽda ſalus, intellexit ſanctiſſimus ille Latro, qui cùm prædicator minimè eſſet, ſtudio tamen charitatis incenſus, priùs ſuo ſocio prædicauit, quàm pro ſe, ſuaq; gloria precaretur; nam nullatenus regnum poſtulare voluit: *Domine, memento mei, &c.* Luc. 23. niſi completa concione: *Neque tu times Deum.* At me cohibere nõ poſſum ſanctè Latro, quin dicam: Si vix tibi Deus innotuit, ſi breuiſſimum tibi vitę tempus reſtat, cur ſocium latronem alloquẽdo pretioſiſſimum vitæ tempus conſumis? Iuxta te eſt Deus tuus, Saluator tuus, Redemptor tuus; qui fecit te, creauit te, redimit te, immò glorificare te expectat; cur vicinum Deum pertranſiẽs, ad ſcelerum cloacam feſtinas? An fortè ſtudio charitatis ductus, adeò priùs alteri, quàm tibi cõſulere cupis, vt etiam cum aliquãtula paradiſi promiſſionis abſtinẽtia id efficere cupis? Chryſoſtomi fuit ſententia, qui hom. de Cruce, & Latrone rem his verbis confirmat: *Suas neceſſitates prætermittens, aliorum vtilitatem cogitabat: magiſter pendebat in cruce: & ſanis perſuaſionibus alium inuitabat ad vitam.*

Luc. 6. 23.

Chryſoſt.

Socij ſalutẽ etiã luę beatitudini præferebat Latro.

7 Verùm ſi hac charitate Latro nouus Chriſti athleta feruebat, quæ ardere debebat dilectionis mater, eam dico, quæ illum peperit, qui amoris, & dilectionis cognomen habet? Impar ſanè erit omnium lingua ad tãtæ matris charitatẽ exaggerãdam, immò an humana mens eam excogitare valeat, ignoro, prætereunda tamen non eſt Anſelmi obſeruatio: quòd in cælum Chriſtus aſcendere volens, matrem in terris reliquit; cùm ad triumphi gloriæ complementum ſecum matrem ducere debuiſſet; præſertim cùm triũphantis currum turba ſit ſequuta ſeruorum: *Quomodò potuiſti pati ò bone Ieſu,* ait præfatus Anſelmus, *vt te in regnum tuæ gloriæ remeante, Virginem quaſi orbatam in miſerijs mundi relinqueres, & nõ eã ſtatim tecũ regnaturã aſſumeres?* Et quamuis Chriſti prouidentiæ hoc ipſe tribuere videatur, dum ſubdit: *Fortaſſis Domine, nè tuæ curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret tibi domino ſuo, an ipſi dominæ ſuæ, &c. Prudentiori ergo consilio vſus, eam præcedere volebas.* Mihi autem pro præſenti inſtituto dicendum videtur, quòd & filij quidem fuit conſilium, ſed matris etiam fuit voluntas, quia tali filij ſanguine redẽptorum amore æſtuabat, vt pro ipſorum ſalute etiam filij abſẽtiam, quam triduo ferre minime potuerat, nunc ad illorum profectum per multos annos facilè pateretur; vndè ex recentioribus Benedictus Iuſt. verbis magna ex parte à Richardo de S. Laurentio deſumptis hæc habet: *Quædam ſũt, quæ pertinent ad rudes, atque imperitos inſtituendos; aliaq; non pauca peragenda, quæ doctoris, ac magiſtri præſentiam flagitant. Et hæc cauſa fuit, vt poſt Chriſti in cælum aſcenſum aliquot annos beatiſſima Virgo fuerit in vita ſuperſtes, vt Apoſtolis Eccleſiæ magiſtris multarum rerum ſcientiam, & cognitionem impertiret, quam nemo præter illam noſſe poterat, ſuaq; præſentia mæſtos ſolaretur, ac cõfirmaret.* Quod Virginis deſiderium obſeruauit etiam Guilhelmus ſuper verba: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* cant. 7. quæ Virginis in mundi agro ad redẽptorum vtilitatem commorari optãtis verba eſſe autumat, cùm in Virginis perſona dicit: *Egrediamur in mundũ vniuerſum: Commoremur in villulis gentium vſq; ad veſperam ſeculi, nam grata erit mihi gentium ſalus.* Sic dilectionis mater redemptos diligebat, vt etiam pro ipſis corporalem filij libenter pateretur abſentiam.

Anſelm.

Cur filio in cælum aſcẽdente mater in terra reliquitur?

Benedict. Iuſt.

Filij abſentiam, quam nec p triduũ ferre potuerat Virgo, libẽter poſt illius aſcenſum pro Eccleſię profectu pertulit.

Cant. c. 7.

Guilhelm.

8 Dictis minimè contentus, ad-

do, nedum beatitudinem in ſpe, ſed in re quoque, fieri ſi poſſet, proximorũ ſaluti eſſe poſtponẽdam; vel vt clarius dicam, non ſolum ad aliorum profectum vitæ ſpatium, & incolatus eſſe à Deo prolongationem petendã, ſed ipſum etiã cælum, ſi relinqui poſſet, pro fratrum vtilitate relinqui debere: Omitto, quòd hoc in ſermone S. Martini, vt ſuperius dixi, laudauit Bernardus, & poſt ipſum ex occaſione Pauli idem commendauit Molina loco citato, & extulit Cornelius à Lapide ſuper cap. 9. ad Romanos, vt dictum eſt ſupra. Probari etiam poſſet, verbis illis Iſaiæ c. 6. *Ecce ego, mitte me.* Quæ cæleſtibus ſpiritibus accommodant nonnulli dicentes, quòd illi cæleſtis patriæ ciues, cùm pro delegatione ad infantis cuſtodiam Deum dicentem audiũt: *Quem mittam? et quis ibit nobis?* certatim, & auidè vnuſquiſq; hominis ſalute inardeſcens ad Deum dicat: *Ecce ego, mitte me.* Quod aliqualiter inſinuare videtur Hilarius canon. 18. in Matt. verbis illis: *Hominum deſideria, et poſtulationes ambitioſo famulatu, ac miniſterio perſoluunt,* quibus oſtendit vſq; eò, Angelorum deſideria hominibus inſeruiendi ſe extẽdere, vt eorum ambitioſus dicatur famulatus. Rupertus præterea lib. 1. in Iſaiam cap. 30. in Protomartyris perſona prophetam verbis illis: *Ecce ego, mitte me,* loquutũ fuiſſe aſſerit, cùm dicit: *Cuius nunc in perſona dicit: Ecce ego, mitte me? Cuius, inquam, niſi protomartyris Stephani, qui gratia, et fortitudine plenus ire non timuit? Nempè ille quaſi inuiſſus vltrò ſe obtulit: Ecce ego, mitte me.* Et ſtatim *Nonne iſte præſentem, de quo loquimur, legationem euidenter attulit, qui cùm ſtaret in concilio, cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, et ait: Ecce video, etc. Vade, inquit Dominus, dices populo huic. Audite audientes, et nolite intelligere, &c. Nimirũ in hanc legationis partem pertulit, qui cauſas tantæ iræ non tacuit. Dixit n. Dura ceruice, &c.* Verũ ſi accõmodatitijs, myſticiſq; relictis ſenſibus præfata Iſaiæ verba: *Ecce ego, mitte me.* non ſolũ à ſe, ſed pro ſe dicta, quòd rationi conſentaneum puto, tenere voluerimus; facilè, quàm proximorũ vtilitas proprio commodo ſit anteferenda patebit, dũ nouo hic igniti calculi ardore ſuccenſus viſione, qua fruebatur vltrò ſe (abſq; gratiæ iactura) priuandum offerebat, vt illorum ſaluti inſiſteret; Quod conſiderãs Nazianzeni Scholiaſtes Nicetas prophetæ charitatem ſequentibus verbis extulit: *Iſaias cùm remiſſis ſibi peccatis audiſſet, quis proficiſceretur ad populum hunc: atque exiſtimaret eam ob cauſam nuncium quæri, vt pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, præ animi lætitia ſeipſum offert, vt illis quoq; peccata remitterentur.* Hoc equidem eſt verè diligentium Deum ingenium, ita alienæ vtilitati incumbere, vt propriè felicitatis ſpatiũ ſibi produci moleſtum minimè videatur.

9 Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 14. Paulum è tertio cælo, in quod ad audiẽda arcana, quæ homini loqui nõ licet aſcẽderat, redeũtẽ cõſiderans, capropter ipſum relicto cælo, cæleſtiumq; conſortio in hãc miſeriarum vallem regredi voluiſſe aſſerit, quia tali fratrum adhuc in arena pugnantium æſtuabat amore, vt facilè cæleſtẽ patriam relinqueret, vt verbi gladio militantibus dexteram daret. Audi ipſum: *Deſcendit Paulus iterum, non quòd dignus non eſſet conuerſatione cæleſti, ſed vt guſtatis ſupercæleſtibus, deſcendens Chriſtum prædicaret.* Nec mirum, quia anathema quoque, ideſt gehennalibus flammis, abſq; tamen gratiæ amiſſione, pro fratrum ſalute addictus eſſe cupiebat. Ita Chryſoſtomus lib. 4. de ſacerdotio verba illa: *Optabam n. ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ad Rom. 9. interpretatur, dùm dicit: *Poſt multa egregia facinora, poſt innumeras coronas, in gehennam detrudi, & æterno tradi ſupplicio optauit, vt iudaos, qui ipſum crebrò tum lapidauerant, tum etiam quantum in ipſis erat interfecerant, ſeruaret, & Chriſto lucrifaceret:* & ſubdit: *Quis mortalium ſic Chriſtum adamauit, ſi modo amor ille appellandus eſt, & nõ potius aliud quid amore maius.* Et ſermone 39. de diuerſis hanc Pauli charitatem cum illa Moyſi, qui pro populo ſe de libro Dei deleudum obtulit conferens in Pauli laudem, ſic fatur: *Moyſen Paulus ſatis eminenti virtute tranſcendit, cuius quidem multa inſunt alia*

Hilarius.

Rupertus.

Iſai. c. 6.

Quam maxime Angeli hominũ exoptent cuſtodiam.

Nicetas.

Propriæ felicitati aliena eſt præponenda vtilitas.

Cyrillus Ieroſoly.

Idem Pauli confirmatur exemplo.

Rom. c. 9.

Chryſoſt.

Salua gratiæ incolumitate, & anathema pro fratribus Paulus eſſe cupiebat.

Idem.

pra-

Digitized by Google

præclara: sed caput sanctæ illius animæ, atq; salutigimus est, quoniam pro Iudæorũ salute deleri elegit de libro vitæ: sed Moyses cum cæteris optauit perire: Paulus pro cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit; sed vt saluarentur alij, ipse de gloria æternitate decidere. Ad quod argumentum, quia etiam in quarto §. dicenda spectare videntur, desino.

Et Moysi charitati Pauli charitas à Chrysostomo præfertur.

Quæretis me, & non inuenietis. Ioann. 7.

§. III.

Vita echo mors: quia eadem, quæ agebantur in illa, geri solent in ista.

1 SOlertissimè Ethnici ipsi de morte loquentes, nunc eam metæ comparârunt, vt Ammianus Marcellinus. Nunc portui, in quem rerum vicissitudine veluti variorum, contrariorumque ventorum agitatione tandem impellimur. Ita Tullius 1. Tuscul. Nunc celebritati, vnde Thraces, teste Solino, in liberorum natalibus plãgebant, lamẽtabantur, luctũq; agebant; quãdo autẽ occumbebant, cum consanguineis, & amicis commessãtes, lætitia magna obitus diem celebrabant. Et denique (ne, pluſquam par est, sermonem protraham) furi pretiosissimam vitę gemmam surripienti comparauit Philosophus dictus Secundus, his verbis: *Mors est resolutio corporum, ineuitabilis euentus, latro hominis, & resolutio omnium.* Verùm, vt reor, echo potius illam comparare debuissent, quia si hoc soni, vel vocis est repercussio, seu, reflexio. Vndè Ouidius 3. Met.

Vitæ Echo mors.

Ouidius.

Planxerunt Dryades, plangentibus assonat echo.

cũ præsens vita, iuxta Ioannis sententiam, vox sit: *Ego vox clamantis, &c.* cap. 1. non tam meta, nec portus, nec celebritas, nec fur, quàm echo nuncupari debet occubitus; quia eadem prorsus effici solent in morte, quæ gerebantur in vita. Quod breui sermone expressit Bernardus, cùm ait:

Ioan. c. 1.

Mors echo comparatur, & quare?

Qualis vita, finis ita. Quam morum consonantiam veluti vocum reflexionem in præsenti considerãs Saluator, neutiquam à Iudæis se inueniendum prædicit: *Quæretis me, & non inuenietis.* Ioan. 7. non quòd ipse minimè sit ille, qui ẽt à non quærẽtibus inueniri solet, sed quia non in præsenti, sed in futuro se quærendum prænoscebat, propterea difficultatem se inueniendi pronunciabat: quia accidere minus sæpè solet, vt Christo vniatur in morte, qui ab eo se elongauit in vita. Quod dicere videtur Gorranus super præfatum Ioannis locum: *Quæretis me, & non inuenietis.* verbis illis: *Quæretis me per cõpunctionem, & dolorem, & nõ inuenietis; quia multi inciderunt in desperationem: Prouerbiorum 1. Mane consurgent, & nõ inuenient me, eo quòd exosam habuerint disciplinam.* De quo latius in sequentibus.

Bernard.

Ioan. c. 7.

Gorranus.

2 Seram pænitẽtiam, triplici præsertim causa, tẽporis. s. diaboli, & eiusdem peccatoris, periculosam esse asserunt multi. Temporis quidem, quia haudquaquam mortis tempore quid incertius; vnde Salomon: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Prouerb. 27. Hinc falsa decepti opinione improuisa morte capi solent multi, qui supremos vitæ dies pro pænitentia se assumpturos sperabant. Sic dies ille in longum sibi vitæ subsidia coacernabat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Luc. 12. deceptus describitur, nàm ex inopinato, mortẽ sibi aduenisse sẽsijt: *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam, &c.* ibid. Hæc itidem potissima fuit ratio, cur stultæ nuncuparentur virgines illæ (ne fusius de hoc vulgarissimo loquar argumento) quæ imparatæ sponsum expectauere, quia aduentus illius certitudinem minimè habentes, paratas semper eas esse decebat; Quapropter Augustinus: *Cõsentio, quòd peccatori pœnitenti Deus promisit veniam, sed diem crastinum non promisit.* Diaboli postea ratione periculis non vacare seram pænitentiam, ex eo maximè patet, quia grauius, fortiusq; in fine, cùm modicum tempus se habere sentit, quàm in principio tentare consueuit. Quod vltrà Ioannem cla-

Prou. c. 27.

Mortis tempore incertius nihil.

Luc. c. 12.

Nil morte certius, hora vero nihil incertius.

Augustin.

man-

Digitized by Google

Apocal. c.12. mantem Apoc.12. *Va terra, & mari, quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet:* dixit etiam Bernardinus Senens.tom.1.serm.13.art.2.cap.1. de duodecim periculis, quæ superueniunt peccatori in vltimo fine: *Siquidem periculum magnum est obseruantium, & insidiantium dæmonum impugnatio: secundum enim Gregorium tantò diabolus grauiores tentationes ingerit, quantò magis peccatorem appropinquari fini conspicit: Insidiatur .n. in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperē in abscondito.* Quod etiam obseruauit Vgo Card.super illud Genes.19. *Dixit maior filia ad minorem: Pater noster senex est, venite inebriemus eum,* cùm addit: *Hoc est, quanto propinquiores fumus fini, tanto crebrius pulsat diabolus ad peccandum Apoc.12. Va terræ, & mari, quia venit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Quam rem liquidò etiam asseruit Stephanus Cantuariensis verba explicans illa: *Non remanebit ex eis vngula.* Exod.10. dum per vngulam extremitatem intelligit: *Non remanebit vngula, ideſt extremitas, quia diabolus semper insidiatur calcaneo, ideſt fini hominis.* In allegorijs,& tropologijs Tilmanni. Quod denique (vt reor) significare volens Saluator, nunc hominem, nunc mũdi principem diabolum vocare cõsueuit, vt videre est ex Matt. 13.& Ioann.12. quia in morte non vt vulgaris miles, sicuti in vita, sed vt militiæ princeps cum exercitu multo exeuntes aggreditur; Quod Bernardũ tetigisse existimo verbis illis: *Eodem sanè tabescentis insaniæ zelo, sed licentia ampliori exeuntibus adest.* ser.7.in psal. 90. Ratione tandem ipsiusmet peccatoris admodum periculosa semper fuit existimata pœnitẽtiæ dilatio, quia vt ait Scotus in 4.dist.20.quæst.vnica, ex vehementi apprehẽsione, angustia, atq; dolore liberi arbitrij, liberæq; voluntatis vsus impediri solet; Quod apertissimè docet Augustinus ab ipsomet Scoto allatus: *Cum sera venit pœnitentia, tantus aliquandocruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cognoscere valeat.* Vndè talem ipse deducit conclusionẽ *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem, quia difficilè tunc est habere veram pœnitentiam.* Quod quomodo,& de quibus intelligi debeat, latius explicat ipse in conclusionis declaratione, ac probatione.

Diabolus sæpius certat in fine. *Bernardin. Senens.* *In eo insidiatur vt leo, vt rapiat pauperem.* *Vgo Card.* *Exod.c.10.* *Stephan. Cantuar.* *Diabolus, qui contra hominem in vita vt vulgaris miles pugnabat, in exitu ei vt militiæ dux aggredi conabitur.* *Bernard.* *Augustin.* *Scotus.* *Sera pœnitẽtia raro efficax, & quare?*

3 Cęterum vnum ex præfato discursu colligo,& illud est; quòd si admodum periculosa est sera pœnitẽtia, quapropter impœnitentes obire solent peccatores, ergo mors vitæ respondet: ergo iusto Dei iudicio, ac permissione vitæ echo esse consueuit: Prorsus ita; quod ne gratis dictum existimes verba illa Deuteron. 30. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem, & malum;* adduco, quæ primo quidem intuitu nullam prorsus cohærentiam habere videntur; nàm vitæ bonę, mors mala respondere (vt præfatorum verborum ordo sonare videtur) nequaquam solet: Vndè hanc vt euitaret amphibologiam Ecclesiasticus; vitæ, mortem: & bono, malum opposuit dicendo: *Ante hominem vita & mors; bonum et malum.* cap.15. Nihilominus solertissimè quidem vitam, & bonum, mortem, & malum copulata fuisse existimo, non quòd vitam bonam mors mala sequatur; sed quia vitæ, ideſt iustorum cursui; bonum, hoc est, bona mors respondet: sicuti è conuerso improborum, malum, ideſt mala mors sequi solet; Quod tangere videtur Procopius verbis illis: *Vt legem custodiant, nunc proposito præmio, quos alloquebatur, allexit, nunc supplicij comminatione constrinxit* Quod ni cæcus (vt proprio fatebatur ore) fuisset Balaam, non iustorum interitum, sed ipsorum vitam concupiuisset. Vndè ipsum carpens Oleaster, hunc dicit in modum: *Vtinam diceres potius: viuat anima mea vita iustorum, quàm vt moriatur anima mea morte iustorum; nam Dominus non consueuit dare mortem iustorum, nisi iustis; sicut nec mortem impiorũ, nisi impijs.*

Deuteron. c.30. *Ecclesiast. c.15.* *Procopius.* *Maxima vitæ, & mortis cohærentia.* *Oleaster.*

4 Longas de Eliæ raptu quæstiones texunt sacræ scripturæ Expositores; verùm ego, cæteris omissis, vnum quæro: Quid est, quòd Deus Eliam in cælum assumpturus curru igneo id facere

Digitized by Google

4. Reg. c. 2. facere voluit, dicente textu: *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserũt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum?* 4. Reg. 2. Si cum Chrysostomo dices, quòd satis non fuisset Eliæ in hac palestra de principe tenebrarum harum trophea reportasse, nisi supra hominem diuina fortitudine roboratus, ipsas etiam aereas potestates in aeris campo aggressus fuisset; Quod eleganti sermone Chrysostomum dixisse reperio, cuius verba sunt: *Mira prorsus ratio, hominem & illicita itinera petentem ignis euehit, & munit; & quicquid cælestis naturæ est, iustorum itinera semper obsidere noscuntur. Contra quos Apostolus nos Paulus instruit: Non est vobis, inquit, colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes harum tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Et paulò infrà dæmonum timorem, & fugam describens, hæc habet: *Accurrunt omnes, nouũ mirantur spectaculum; hominem vident, dubitant; accedere cupiunt, ignem metuũt. Quocumque deinde currum impetus tulerat, spiritus nunc metu densantur in agmina, nunc dispersi venienti locum turpi fuga citius derelinquunt.* Homil. de Ascẽs. Eliæ: Ast adhuc prima vrget difficultas, si ad prophetam veluti vnum de principalioribus militiæ principibus euehendum satis erat currus, ad quid ignis? Quam vt percipias difficultatem cap. 48. Ecclesiastici percurre, & dum Eliam igni, sermonemque ipsius faculæ ardenti comparatum reperies: *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*; illicò capies, quòd si non mors, discessus saltem prophetæ, vt igneæ vitæ veluti echo responderet, in igne assumitur. Hinc verbis illis Tostati quæst. 17. super idem: *Apparuit à principio currus igneus, & equi ignei ad significandum, quòd Elias ferri deberet in curru isto*, cũ Ecclesiastico addo ego, quia *surrexit quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.*

Chrysost.

Elias ad cælum raptus aereas aggredicur potestates.

Ecclesiast. c. 48.

Tostatus.

Cur igneo curru assumitur?

5 Origenes lib. 1. in Iob diabolũ sãcto viro liberorũ necem obnunciãtem considerans: *Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* cap. 1. miratur quidem, quòd diabolus mortis genus denunciet, ac illos priùs tumulatos, quàm mortuos asserat; & quòd loci circumstantiam declarãs in domo primogeniti lamentabilem casum accidisse describat. Quòd posteà de tempore, ac de commessationibus mentionem faciat, maximè stupet, & ac si ipsum præsentialiter alloqueretur, hunc eum percontatur in modum: *O iniquissime aduersarie, ò callide diabole, cur non dixisti simpliciter: & mortui sunt; quòd, & cuncta commemoras, omnia denũcias, & filios, & filias, & cibum, & potum?* At, qui Satanæ intentum perpendet, nil prorsus mirabitur, quia si scelestissimus hic omnes suos intendebat conatus, vt Iobum contra Deum per impatientiam prouocaret; quid mirum, quòd inter epulas filios, filiasq, occubuisse denũciet: nàm sancto viro in quotidianarum commessationum pœnam hoc filijs accidisse, vt veluti echo mors vitæ respondisset suadere nitebatur; nec frustra in hac falsa suasione laborabat Satã, quia ipsum quotidie pro liberis, vt si in quam commiuando maculam incurrissent, expiaret, occupatum viderat; vt igitur nequaquam per hoc Deum pacatum, immò veluti echo filijs mortem eorum vitæ respondentem immisisse suaderet, comedendo, atque bibendo ipsos obijsse denunciauit: vt per hoc sanctissimum genitorem contra Deum (quem nequissimus inexorabilem, vel saltem pro hoc vltimo tantùm conuiuio pro quo non dum sacrificio aliquo fuerãt expiati indignatissimũ describebat) prouocaret: *Acerbitatem huius nuncij bene effecit*, ait Pineda super citatum Iobi locum, *quòd oppressi fuerint edentes, & bibentes; nondum pro illo conuiuio expiati sacrificio aliquo, nè fortè benedixerint Deo in cordibus suis, quod oportuit esse parenti sanctissimo magnam segetem doloris.* Sic ipse. Ex quibus illud ego deduco, quòd nequaquam Iobo suadere studuisset Satan, ob conuiuia inter conuiuia interijsse natos, nisi ipsi mortem veluti echo vitæ respondere solere innotuisset.

Iob. c. 1.

Origenes.

Cur liberorũ necẽ Iobo nunciarus Satan inter epulas illã fuisse denunciat?

Pineda.

6 Mor-

Digitized by Google

6 Mortem veluti echo vitæ respõdere adeò verum existimo, vt etiam ipsis actis in vtero ante ortũ cõformis aliquando esse soleat; Meum non est hoc, quod dico, sed Ambrosij, qui verba illa Ioannis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* considerans, cum cæteris sacræ scripturæ expositoribus nequaquam Ioannem de Christo tũc dubitasse asserit, sed ad illum discipulos mittẽdo, ipsum quem præsentem ostendere, atq; indicare non poterat, prædicare intẽdisse fatetur. Rationem postea cur quem toties prędicauerat, iterum prędicare voluisset, idem affert Ambrosius dicendo; quòd quia morti se propinquum agnoscebat, concionatoris fungi volebat officio: Nec mirum, præfatus ait Ambrosius, quia si in materni vteri carcere Christum, si non vocibus, motibus saltẽ prædicare incęperat; in impijssimi Herodis carcere eumdem denuò prædicare debebat; vt mors, nedum vitæ, verùm etiam actis in vtero veluti echo respõderet. Viuat semper Ambrosij memoria, qui talem mihi subtilitatem suggessit dicendo: *Mirari non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum suis discipulis intimaret; cùm clausus in vtero eumdem dominum gestibus prædicaret.* ser. 2. de S. Ioanne.

Matt. c. 11.

Ambros.

Mors nedũ vitæ, sed etiã actis ante ortũ respõdere consueuit

7 Hisq; minimè contentus addo, nedum in morte, sed post mortem etiã eadẽ prorsus, quæ quis effecit, illũ efficere: Et vt satis vulgarem, etsi subtilem, illam Chrysologi sententiam transeo, quòd propterea non ab alio, quàm ab Abraham mendicus receptus dicatur: *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Luc. 16. quia Abraham eodem, quo in terris functus fuerat officio, fungi volebat in cælis: *Non immeritò fratres, sua tunc omnes sanctos in requie susciput, & in ipsa cælesti beatitudine fungitur dispensatoris officio: dum hic semper suscepit peregrinos, & pauperes.* Ita ipse serm. 121. Quod verò reprobis in die iudicij se Saluator dicturum promisit: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Matt. 7. nequaquam sic perfunctoriè adducẽdum cẽseo, quin subtiliter trutinetur; quomodo, qui in termino sunt, adhuc iniquitatem operari dicãtur; cùm post mortem, nec merendi, nec demerendi locũ dari pro certo, atq; indubitato habeamus: cur igitur non in præterito, sed in præsenti, non qui operati estis, sed qui operamini se dicturum minatur? Præ oculis difficultatem habuit Anselmus, qui perfidam damnatorum cõsiderans mentem, satis iustè iniquitatum operarios vocat, non quia actu tunc scelera perpetrabũt, sed quoniam perpetrarent, si possent: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem; non qui operati estis; quia licet modò non habeant facultatem peccandi, tamen adhuc peccare vellent, si adhuc viuerent.* Præfatus Anselmus. Quod proprio ore tunc Epulonem insinuasse existimo, cùm in ipso tormentorum loco linguã tantùm, ac si cætera membra prorsus pœnarũ fuissent expertia, refrigerari postulabat: *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. c. 16. quod nil erat, nisi dicere; quantum ex me est, sicuti in mundo opiparè epulari satagebam quotidie, haud secus nunc si mihi concederetur, efficerem. Vndè Gregorius Nyssenus: *Diues quasi quodã viscо etiam post mortem à vita detinetur carnali.* Nec Chrysologi contemnenda est subtilitas, quòd idcirco aquæ guttam postulabat, non copiam; quia eadem auaritia, qua angustabatur in vita, in inferno laborare videbatur: *Qui claudit manum pauperi*, ait modo dictus Chrysologus, *extremi stipem digiti sic deposcit, & sitit aquæ guttam, qui vini lacus nè guttam daret, inclusit.* serm. 66. Ex quibus omnibus satis nostrum probatum remanet institutum; quòd vitæ echo nuncupari debeat mors, quia illa eadem, quæ in vita agimus, in morte agere solemus.

Luc. c. 16.

Anselm.

Perpetrata scelera denuò si possent, perpetrarent damnati.

Greg. Nyss.

Diues etiam in inferno epulari cupiebat.

Chrysolog.

Luc. c. 16.

Chrysolog.

Quo quis in vita fungebatur officio eodem etiã post mortem functurus describitur.

Matt. c. 7.

Digitized by Google

In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat: Ioan. 7.

§. IV.

Nullum facinus euangelizatione præclarius.

1 QVòd non in ciuitatibus, vbi populorũ adest frequentia, nec in campis, vbi sponsum sponsa ad spatiandum hortari consueuerat, nec in conuallibus, vbi lilia florẽt; sed in excelsi montis cacumine euangelizari ab Isaia præcipiatur: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* cap. 40. mysterio sanè non vacat. Quod autem illud, nisi vt montis celsitudine, muneris dignitatem, sublimitatemque ostenderet? Quod minimè gratis dicere me putabit, qui Glossam super verba illa Ieremiæ primo: *Factum est verbum Domini ad me, dicens, &c.* leget; nam si ei dicere licuit, quòd satis consultò Ieremiæ prædicandi munus committitur, quia cùm Ieremias excelsus Domini interpretetur, officij celsitudinẽ nomine prætendebat: *Per Ieremiam, qui excelsus Domino interpretatur, bonus doctor, vel prædicator significatur. Quilibet enim istorum in gradu suo est excelsus Domino.* rectissimè etiam dicere licebit, quòd eapropter in sublimissimi montis vertice euãgelizari iubeatur, vt montis altitudine officij celsitudinem, eminentiamq; metiremur: quod nedum Spiritum sanctum insinuasse puto, cùm Paulum, & Barnabã nequaquã ad vulgare opus assumptos declarauit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.* Act. 13. Vnde Ioannes Ferus omnia prædicatione inferiora vocauit, cùm ait: *Si Apostolus es, tunc scias te honorare Christum, cùm adduces ad eum homines, cùm sacra doctrina eos instruis, cùm Dominum superponis, hoc est, agis, vt Dominum agnoscant, & ipsi se subijciant, vt glorificent, & portent eum in corpore suo. Hunc inquam honorem à te exigit Christus, quem si neglexeris, ipse efficies, vt cætera minus grata illi sint*; verùm insensatos etiam lapides illud proclamasse reperio, si Petro de Natalibus, nonnullisq; alijs fidem præstare voluerimus, de Beda Anglo asserentibus, quòd cũ à quibusdã nebulonibus in templum vacuum ad prædicãdum ductus fuisset, populorum adesse frequentiam mentientibus, cùm vir Dei corporis lumine orbatus, sed spiritu Dei plenus existeret, & post cõcionẽ poraſſet solẽnibus verbis: *Per omnia sæcula sæculorũ*; lapides, q soli aderãt, cõcioni applaudẽtes, *Amen*, respondisse: & fortè vltra vitam laudabilem, concionãdi etiam muneris sublimitatem extollentes, ipsum Venerabilem appellasse subdentes: *Venerabilis presbyter*; quæ lapidum attestationes si deessent, tacitum adesset Saluatoris testimonium, qui ob id (vt reor) in vltimo solemniori, ac sanctiori festiuitatis die non languentium curationi, vt consueuerat, nec corporali, sed spirituali turbarũ refectioni incũbebat; quia omne aliud, quod in tanta festiuitate ægi poterat, prædicatione minus erat. Quod dicere videtur Claudius Villagud. *Euangelista vltimum hũc diem, magnum dicit, id est solemnem, & sanctum: Hunc sermonem nouissimo die habuit, quasi euangelicæ fidei viaticum daturus turbis domum redituris.* De qua re fusius infra.

2 Quale, quantumq; opus sit euãgelizandi munus, facilè mihi suadere possem; tum quia charitatis officijs semper præponitur: vndè Theodoretus in catena citatus aliquorũ recitat sententiam asserentium, quòd Iudæ, vt Apostolorum minimo, quotidianarũ necessitatum fuerat cura demandata, alijs autem, vt præstantioribus, prædicandi officium fuerat iniunctum: *Quidam vero*, ait modò dictus Theodoretus, *administrationem pecuniæ suscepisse Iudam fatentur, tanquam minimum omnium. Nam pecuniæ administratio, doctrinæ administratione inferior est; secundum quod dicunt Apostoli in actibus. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Quod etiam an-

Isai. c. 40.

Ierem. c. 1.

Glossa.

Act. c. 13

Ioan. Ferus.

Claudius Villagud.

Theodoret.

Nil Deo prædicatione carius?

Concionãdi muneri par nihil.

Cur Iudæ non alteri ministrandi cura commissa?

notauit Ambrosius super psal.118.cũ de Episcopis disserens hæc habet :

Ambros. *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum, non per seipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat, vt nullam rei familiaris curam ad se revocet; sed lectioni, & orationi, & Verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.* Et paulò ante : *Nos autem otiosos nos putamus, si verbo tantummodo studere videamur: & pluris æstimamus eos, qui operantur, quàm eos, qui studium cognoscendæ veritatis exercent. Tamen sententia Christi dicentis : Martha, Martha, solicita es, &c. Ita, inquit, verbũ cognoscere maius opus esse, quàm ministrare, diuina auctoritate sententia diffinitur.* Tũ etiam, quia & ipsis corporalibus matris obsequijs ore ipsius veritatis præfertur, cùm dicitur : *Quæ est mater mea?* Matt.12.vbi Glossa: *Non recusat obsequia matris, sed præfert ministeria patris; fratres non contemnit, sed opus spirituale præfert cognationi, vt nos carni spiritum præferamus.* Et Brugensis : *Non est interrumpenda diuina doctrinæ exercitatio propter humana parũm negotia.* Verùm his non obstantibus ex eo magis muneris istius percipio eminentiam, quia & ipsi contemplationi, quæ per antonomasiam opus optimum appellari consuecit, iuxtà illud : *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima : Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. longè antefertur ; quod vt tibi innotescat, quibus vocibus Dominum in cælorum sublimia ascendentem duo illi Angeli, qui visibiliter in vestibus albis apparuerunt, comitati sint, audi si libet: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Act.1. nàm hæc Angelorum interrogatio non me tantum, sed Athanasium etiam in stuporem adduxit, qui dicit : & quò versùs bone Deus tũc respicere debebat sanctus ille cœtus, nisi cælum versùs, quò magistrum, & Dominum pergere videbant? Quonampactò alió se vertere poterant illi, qui ascendentem corde sequebantur, & animo? Quid igitur miramini, quòd cælum aspiciant; obstupescite potius, quòd non desint, qui relicto cælo in terra semper oculos figant! An fortè admiratione vestra Apostolos reprehenditis, quòd in cælum aspiciant, cùm prædicatione potius proximorum saluti prospicere debuissent? Prorsus ita ait præfatus Athanasius in oratione de Ascẽsione, cùm in Angelorum persona sic Apostolis dixit: *Quid statis aspicientes in cælum? Quid statis? mundo miraculum prædicate.* Iusta sanè increpatio, quia melior erat miraculi prædicatio, quàm Apostolorum cõtemplatio; quoniam illa, non ista proximorum salus comparatur, qua re prædicationem contemplationi Angelos prætulisse satis liquidò constat.

Athanas.

Etiam Angelorum testimonio contemplationi præfertur.

3 Quod si præfatum insufficiens tibi videtur argumentum; stellarum casum, iuxta Ioannis visionem tuam, in mentem redigo : *Stellæ de cælo ceciderunt.* Apocal.6.& talis casus originẽ si subtiliter scrutari volueris, non parũ ad rem nostram facere videbis; quia si per stellas concionatores in scripturis figurari solent, iuxta illud: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebũt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Daniel.12. meritò de cælo in terram cecidisse dicuntur, quia sæpè sæpius relicta cælestium contemplatione terrenæ conuersationi prædicandi causa immiscere se debent. Cui discursui astipulatur Ambrosius in cap. 8. Apoc. tom.5. *Stellæ de cælo ceciderũt, etc. Sancti in cælũ quodammodo conscendunt, cùm eos amor diuinus ad cælestia contemplanda eleuat: cadũt in terrã, cùm eos amor proximorum ad ima retrahit, vt prædicatione sua peccantes ad viam veritatis reducãt.* Sic supra contemplationẽ euangelizãdi extollit munus. Quod expressius confirmauit Gualfrid. qui & sorori actiuæ contemplationem anteponendam asserat, vtrique tamen prædicationem præferri debere sequentibus verbis asseruit: *Etiam si melior est Maria vacatio, quàm occupatio Martha: tamen in illa domo tres fuisse memento. Ibi enim Martha laborabat, vacabat Maria, Dominus prædicabat. Absit autem, vt vacatio illa Mariæ, sicuti labori Marthæ, ita prædicationi Domini præferatur.* Apud Tilmannum. Cuius veritatis per reuelationes S. Clarę, fratriq; Silucstro magnæ sanctitatis, & cõtemplationis viro factas, vbi primùm admonitus S.P. Frãcisc⁹. relicta illicò cõtẽplatione, cui vsq; tũc illius

Apoc. c.6.

Daniel.c.12

Ambros.

Pro animarum salute remittenda multoties cõtemplatio.

Gualfrid.

Euangelizatio contemplatione multò sublimior.

Glossa.

Brugensis.

Nullum est pietatis opus, quod prædicatio non præcedat.

Luc.c.10.

Act.c.1.

Digitized by Google

illius dulcedine illectus vacauerat, nedum propinquis ciuitatibus, vicinisque oppidis prædicare cæpit, verũ mundi totius salute inardescens, paucos socios, quos habebat, in crucis modum diuisit, & in quatuor orbis partes, vt nouos euangelicæ doctrinæ satores, destinauit; vt suo, suorumq; labore feracem redderet terram illam bonam, quæ sceleſtorum nequitia spinis, & tribulis magna ex parte plena videbatur.

4 Benè nouit huius oneris excellentiam Paulus, qui vix recuperata post triduum videndi facultate, nec cum discipulis diù morari, nec in cõtemplatione diebus plurimis vacare voluit; sed illicò omni alio relicto officio, illo prædicatoris fungi voluit: *Act. c. 9.* *Continuò in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei.* Act. 9. quia spiritu Dei edoctus nil tanto muneri comparari posse agnoscebat. Ex quo *Lorinus.* Lorinus: *Incipiebat iam tunc Beniamin iste lupus rapax diuidere spolia, Iudæis dimittendo litteræ paleam, nobis veritatis soliditatem, quam ceu ex scypho (quem mysticus Ioseph in animæ ipsius sacco cõdiderat, vas eum formans electionis) propinabat; & non tam corpore, sicut Beniamita, quàm strenuus animo pugnabat.* Et statim miraculo non communi ascribit, quòd in ipso cõuersionis exordio opus tale aggredi meruerit, dum *Eximiũ fuit Pauli privilegiũ, quòd tã cito prædicator euaserit.* subdit: *Eximium hoc Sauli priuilegium, quòd tam citò prædicator euaserit.* Verũ ex hoc medica non insurgit difficultas: Quid est, quòd Matthæus de telonio vocatus, & mirabili etiam vocatione conuersus, non statim & ipse prædicandi sumpsit officium? Si hoc adeò sublime est opus, vt ei vigiliæ, ieiunia, humi cubationes, officia, & ipsa contemplatio comparari nequeat, cur non statim illud aggredi contendit? *Bernardus.* *Video tamen* (ait Bernardus) *Matthæum de telonio ad Apostolatus culmẽ assumptum, sed hoc me rursum conturbat, quòd non prius audierit cum cæteris Apostolis: Ite in orbem vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, quàm egerit pœnitentiam multo tempore, ac labore sequendo Dominum quocunque iret, permanens cum eo in tentationibus suis.* epist. 8. ad Brunonem, vbi statim difficultati occurrit dicendo, opus dexteræ altissimi fuisse repente Paulum ex persecutore prædicatorem effecisse. Vndè subdit: *Si de Saulo, quòd factus repente Paulus, repente vas electionis, repente doctor gentium, in exemplum adducitur. Hæc est mutatio dexteræ excelsi, non tàm exemplum, quàm miraculum afferre debeat.* Ac si diceret: Pauli fuit priuilegiũ p saltũ ordinari; cæteri verò gradatim ad huius honoris dignitatẽ, sublimitatemq; ascendunt; quòd autem Paulus vix edoctus, doceat; & vix conuersus, conuertat; & hoc dexteræ altissimi prodigium fuit.

Veluti p saltum ordinatus, cũ illicò oõcionator efficitur, q nec Matthæo, neque vlli Apostolorum fuit concessum.

5 Pergo vlterius, & dicere non vereor; adeò sublime esse concionandi munus, vt nec ipsa miraculorum, prodigiorum, & portentorum operatio ei comparari valeat; quod nè me gratis dicere existimes, verba illa Saluatoris adduco: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Matt. 11. *Matt. c. 11.* Et dimissa quæstione, cur inter miraculorum seriem pauperum euangelizatio ponatur, quia nosse te puto, miraculum videri hac nostra tempestate solere, si facilè quis pauperibus euangelizare, eorumq; saluti consulere studet; cùm ferè omnes non in dexteram, iuxtà Saluatoris præceptum, sed in sinistrã vbi opes sũt, & gloria, secũdũ illud: *In sinistra illius diuitiæ & gloria* Prouerb. 3. vt aurum potius, quàm animas ex peccatorum imo extrahant, rete mittere conentur: Vndè Caietanus Messiæ opus esse autumat, pauperibus æquè, ac diuitibus prædicare; Verba eius sunt: *Caietanus.* *Inter miracula testificantia Messiam connumeratur, quòd pauperes euangelizentur; hoc est accipiunt bonum nuncium, & significatur per hoc differentia inter mundanum, & cæleste regnum: inter mundana, & cælestia bona: inter nuncia mundana, & cælestia quantùm ad ordinem; quia mundana bona nunciari solent diuitibus mundi, & per illos deriuantur ad reliquos pauperes, cælestia autem bona communia toti generi humano annunciantur pauperibus piscatoribus, & per illos deriuantur ad alios etiam mundi principes.* Hæc ipse: Ego autem his, vt dixi, omissis cùm ad rem præsentem non faciant, subti-

Inter Messiæ miracula pauperũ euãgelizatio cõmemorari debebat, quia vix est, qui nõ aurũ potius; quàm animas lucrari studeat.

Digitized by Google

liorem moueo quæstionem: Quid est, quòd post tot patratorum portentorum seriem vltimò tãdem pauperum euangelizatio ponitur? Si inter miracula erat connumeranda, cur post mortuorum resurrectionem ponitur? At quantum sapio, quantùm capio, idcirco scientiarum Dominus prædicationem postremò collocauit, quia cùm oratio semper crescere debeat, à minoribus miraculis ad maiora procedendum censuit; & sic sicuti in penultimo loco mortuorum erat ponẽda resurrectio, sic etiam post hanc, vt ipsorum mortuorum susciatione (si dicere non erit incongruum) euangelizatio maior, in vltimo collocatur. Moriar, nisi hoc tetigit Hieronymus in catena relatus verbis illis: *Pauperes euangelizantur, quod præmissis non minus est.* Manifestius meo iudicio dicere volens: quòd postremò euangelizatio ponatur, ea potissima censenda est ratio, quia vt miraculum miraculorum pro conclusione collocari debebat, vt prodigiorum omnium meta esset, & terminus.

Hieronym.

Euangelizatio miraculorum miraculum.

6 Patet nunc mihi aditus ad difficultatem illam: Cur post tot signorũ ostensionem, vt videre est in cap. 4. Lucæ non ad miracula facienda, sed ad prædicandum se missum diceret Saluator: *Alijs ciuitatibus oportet me euãgelizare: quia ideò missus sum.* ibid. q2 tanti pdicãdi munus faciebat, q respectu illius miracula patrare parũ existimare videbatur. Tolet. *Non dixit aũt in alijs ciuitatibus oportet me miracula facere, & infirmos curare, & obsessos liberare; sed dictum est: oportet me euangelizare: hoc .n. est ad salutem necessarium, ꝛõ illud, quod Christus præcipuè intendebat.* Et paulò post præmens ly, Quia. *Quia ideò missus sum,* causam indicare asserit, vt sit sensus: ideo alio fungi officio non curo, nisi euangelizandi, quia ad hoc (vt omnibus nobilius, & vtilius) missum me agnosco: *Particula illa, quia* (subdit) *causam indicat, cur dictum sit, oportet me prædicare alijs ciuitatibus, ea autem est; quia ad hoc sum missus à Patre, quasi diceret: munus, & functio iniuncta mihi à Patre, qui me in hunc mundum misit, hoc est, vt populo Israel euãgelizem, & annunciem regnum Dei; ad hoc .n. veni, & ad hoc missus sum. Oportet ergo functionem hanc implere.*

Luc. c. 4.

Toletus.

Idem.

Ad nil nisi ad euangelizandum se missum dicit Saluator, & quare?

7 Posset ad hoc facere modicum illud, de quo proprio ore Saluator: *Modicum, & videbitis me.* Ioan. 16. quia per ipsum resurrectionis opus intelligit Salmeron tract. 69. quod & si opus magnum absq; dubio sit, cùm tamen proximorum saluti incumbere mortuorum resurrectione maius quodammodo videatur, modicũ (forte) resurrectionem vocat: *Modicum etiam vocat resurrectionem, quia demisit se veniens cũ plagis, edens cum Apostolis.* Citatus Salmeron: Sed aliò ego me fero, eò scilicet; cur magnus vocatur Ioannes: *Erit .n. magnus coram Domino.* Lucæ 1. & adeò magnus, vt nullus ex mulieribus ortis ei comparari possit, iuxtà illud: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Matt. 11. Scio nõ de molari, sed de virtutum magnitudine hic sermonem haberi; verùm si hæc miraculis præcipuè probatur, vndè nusquam Christum tam magnum proclamatum fuisse reperio, quàm cũ adolescentem viduæ filium ad vitã reuocauit, nã tũc vno ore clamare cęperunt: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Luc. 7. cùm Ioannem nil simile egisse, immò nullum prorsus miraculum edidisse scribatur, vndè eius (vltra attestationes) dignosci poterit magnitudo? Difficultatis nodum soluit Ambrosius: *Nullus enim eget indicio sui, qui verbo Dei abundat.* Si satis abundè de se testimonium perhibet, qui concionandi muneri vacat, quo alio miraculorum testimonio indigebat Ioannes, qui ab vtero prædicare incępit? Sanè si nullum aliud suæ magnitudinis testimonium extitisset, sufficientissimè illam prædicando demonstrasset.

Salmeron.

Etiam mortuorũ resurrectioni prædicandi munus præfertur.

Luc. c. 1.

Matt. c. 11.

Luc. c. 7.

Ambros.

Ioannis magnitudo põ miraculorũ corruscatione; sed prædicandi munere claruit.

8 Præterea licet cum martyrio concionandi onus conferre videatur Paulus, immò quamuis cum illo pari passu incedere doceat, dum ęquè per vitam, & per mortem suam Christum glorificari asserit: *In omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* ad Philipp. 1. quod neutiquam dixisset, si martyrium prædicationi prætulisset; Vndè Cornelius à Lapide in Pauli persona: *Si .n. occidar, & constan-*

Philipp. c. 1

Cornel. à Lap.

Digitized by Google

Cum martyrio pari parſu prædicandi munus incedit.

ſtanter moriar pro Chriſto, magnificabo Chriſtum meo martyrio. Si vixero conſtãter Chriſtum prædicabo; itaq; eũdem magnificabo. Ego nihilominus hoc minimè contentus non humanum, ſed angelicum prorſus opus euangelizandi munus appellabo, quam rem ex ipſa Angeli nomenclatura facilè tibi ſuadere potes; quia ſi verum, vt veriſſimũ

Gregorius. eſt Gregorij dictum, quòd; *Angelorum vocabulum nomen officij ſit, non naturæ.* certe alterius officij vocabulum non erit, niſi prædicatoris; quia ſi prædicator miſſus dicitur, iuxtà illud Pauli ad

Ad conuertẽtiã Angelus, & Prædicator dici poſſunt, & quare?

Roman. 10. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* dum Angelus nil aliud ſonat, niſi miſſus; idem erit Angelum, ac cõcionatorem dicere. Quod (vt reor) bene noſcens Angelus ille, qui Chriſti natiuitatem paſtoribus nunciauit, expreſsè ſe concionatorem vocauit dicendo: *Luc. c. 2.* *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2. quæ & ſi optima ſit illatio; alio tamen efficaciori argumẽto id tibi ſuadere ſtudebo, deſumo autem illud ex ſolutione quæſtionis illius; quid Dei intererat, quòd Stephanus in concilio angelicum potius, quàm humanum

Act. c. 6. præſeferret vultum: *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.* Act. 6. & diuerſorum diuerſis omiſſis opinionibus, cum Vgone Card. reſpondeo, quòd multum quidem per omnẽ modum ad Deum ſpectabat, quòd

Cur Stephanus angelico vultu viſus?

angelico vultu appareret Stephanus: quia ſi prædicare non humanum, ſed angelicum munus eſt, cùm angelico fungeretur officio, non humanam ſed Angelicam faciẽ geſtare debebat.

Vgo Card. Audi Vgonem: *Verè Angelus erat. Nuncius voluntatis Dei.* Manifeſtius, meo iudicio, dicere volens: ſi Dei voluntatem nunciare angelicum, non humanum eſt; quonampactò hominis faciẽ oſtendere poterat, qui angelico fungebatur officio, reſpondeat muneri vultus, & angelicam faciem geſtet, qui angelicum opus exercet.

9 Cæterùm ſi in tãti muneris laudem vltrà progredi liceret, progrederer vtiq; illud non angelicum ſolummodò, ſed diuinũ etiã quodammodò nuncupando; nàm ſi magno Areopagitæ dicere licuit, quòd; *Omnium diuinorum diuiniſſimum eſt, cum Chriſto in ſalutem fidelium cooperari.* dicere mihi licebit, nõ humanum, nec angelicum, ſed diuinũ quid eſſe verbi diuini diſſeminationem, dum per ipſam fratres lucramur quotidiè. Hinc Chriſtus quoties de hac re loquebatur, toties patris opus eam appellabat, & præcipuè patet ex illo Ioann. 4. *Cibus meus* *Ioan. c. 4.* *eſt, vt faciam voluntatem patris mei, vt perficiam opus eius.* Vbi Brugenſis: *Brugenſ.* *Hic ad doctrinam maximè reſpicere videtur, nempè ad inſtitutionem Samaritanorum*; vt ſtultus etiam addiſceret, non humanum, nec angelicum; ſed diuinum quodammodò opus eſſe euãgelicam prædicationem. Vndè Carthuſianus ſuper citatum Ioann. locũ art. 11. opus maximum hoc appellat: *Carthuſian.* *Vt perficiam opus eius ſingulare, & maximum.* Et ſuper illud eiuſdem Ioann. 9. *Me oportet* *Ioan. c. 9.* *operari opera eius, qui miſit me.* inter præcipua diuinitatis opera euangelizationem connumerare videtur verbis his: *Me oportet operari opera eius,* *Idem.* *hoc eſt, opera Dei Patris; quæ per me fieri decreuit, quæ pertinent ad humani generis liberationem, videlicet ſigna, per quæ homines ſciant me eſſe filium Dei, vt conuertantur ad me: cætera quoq; opera ſancta, & virtuoſa, quæ pro noſtra ſalute Chriſtus fecit docendo, orando, diſcurrẽdo.* Sic Carthuſianus art. 24. Toletus poſtea ex occaſione verborum illorum Chriſti: *An neſciebatis, quia in his, quæ* *Luc. c. 2.* *patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. 2. idipſum apertius declarauit, dum per ea, quæ patris erant, nõ templum, (vt interpretati fuerant Origenes homil. 20. in Lucã, Epiphanius hær. 30. Titus Boſtrenſis, Euthymius, & ex latinis Auguſtinus lib. de decẽ & ſeptẽ ſermon. ſerm. 2. Et S. Leo epiſt. 4. ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos c. 2.) ſed doctrinam, & prædicationem aptiùs ſignificari aſſerit: *Magis ad* *Tolet.* *rem facit, quod in commentario dictum eſt, opera, quæ Trinitatis erant, quæq; non vt homo communis, ſed vt redemptor faciebat appellaſſe ea, quæ Patris ſunt: quo ſermonis genere ſæpè eſt vſus poſtea Ioan. 4. Cibus meus eſt, vt factam voluntatem Patris mei, vt perficiã opus eius: & Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui miſit*

Diuinũ opus prædicandi onus.

Euangelizatio æterni Patris opus vocatur, & quare?

Quãti Chriſtus prædicationem fecerit, expenditur.

Digitized by Google

sit me: Et Ioan. 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Tale erat opus, quod Christus in templo tunc fecit; nam iam doctrinam suam mundo manifestare, & ad eius aduentum agnoscendum doctorum corda excitare incipiebat, ideò dicit in his quæ Patris mei sunt oportet me esse. Hæc ipse. Quibus prædicationem Patris opus appellando, non humanum, nec angelicum tantùm, sed diuinum etiam quid esse demonstrat.

10 Omnis me nunc desinit dubitationis ansa; Cur Christus animarũ salutis anxius Apostolos vsq; ad Spiritus sancti aduentum in ciuitate veluti desides (vt ita dicam) sedere voluerit: *Luc. c. 24.* *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. quia non hominis, sed virtutis Dei ex alto venientis erat concionatores efficere; quod apertissimè declarauit Paulus, qui nedum inter Spiritus sancti dona sermonem sapientiæ enumerauit, verùm etiam in omnium donorum capite munus hoc statuit dicẽdo: *1. Corinth. c. 12.* *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secũdum eumdem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum, &c.* vt hac serie satis aperte bene euangelizandi gratiam, non hominis, sed Spiritus sancti, & præcipuum huius Sanctissimi spiritus donum esse demonstraret; quam Pauli doctrinam re comprobatam videmus, nam discipuli, qui vsq; ad huius diuinissimi Paracliti aduentum pauidi in ciuitate sederant, postmodum omni abiecto timore, omnique prorsus posthabito metu interriti, impauidiq; prædicationis officio fungi cęperunt; quoniam non ab intrinseco sapientię dono manauit, sed ab extrinseco, nempè ex alto tanta loquendi descendit facultas: Quod tetigisse videtur Anastasius quæst. 69. verbis illis: *Ante hanc virtutem, nolebat eos prædicare gentibus; sed manere, & expectare vt ex alto eius essent participes.* Vt iuxta Saluatoris dictum non ipsos, sed spiritum Patris eorum in ipsis loquentem, non hominum, sed Spiritus sancti opus, quod per ipsos efficiebatur, esse pateret. *Anastasius.* Discipulis ante Spiritus sancti aduentum prædicandi non imponitur onus, & quare?

11 Claudo præsentem tractationem dicendo: non sine magno mysterio sancitum fuisse, vt in turturum holocaustis nec pluma, nec gutturis vesicula offerrentur, sed vt proijceretur: *Vesiculam vero gutturis, & plumas proijciet propè altare.* Leuit. 1. nam ad concionatorum eruditionem hoc præceptum fuisse existimat Rodulphus, vt scilicet percipiant, quòd nusquam audientium expectari vtilitas poterit, nisi gutturis vesicula; hoc est eloquentiæ pompa, ex qua ferè oriri solet tumor, vna cum pennis peregrinarum scientiarum ad aurium potius titillationem, quàm ad concludendi necessitatem pertinentibus penitus proijciatur; & ipsorum vice turturis assumantur gemitus, & lamenta: *Quid verò* (ait præfatus Rodulphus) *studiosis magis timendum est, quàm tumor elationis? scientia. n. inflat. Huius igitur auis nostræ vesicula gutturis proijcienda est, tumor scilicet, qui de eloquentiæ pompa oriri solet, penitus excludendus. Pluma verò quæ sunt, nisi peregrinorum leuitas studiorum? vt versificãdi peritia, dialecticorum garrulitas, quæ omnia menti Dominum metuenti, & circa lamenta potius occupatæ nihil remedij, nil poterunt vtilitatis afferre.* Apud Tilmannum. Tu verò dicta in secundo 8. magna ex parte reuocare huc poteris. *Leuit. c. 1.* *Rodulphus.* Tumor, qui ex eloquẽtię pompa oriri solet, penitus à verbi Dei præconibus abijciendus.

F E-

Digitized by Google

FERIA TERTIA
DOMINICAE PASSIONIS.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Ioann. 7.

§. I.

Sicut tota infelicium vita æterna festinitatis brevis vigilia est, sic iuge peccatorum vivere æterna vigilia brevis est censendæ solẽnitas.

Exod.c.16. 1 NVm à verbis illis à Moyse, & Aaron murmurãti populo dictis: *Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Aegypti: & mane videbitis gloriam eius.* Exod.16. An ex inuitatorio, quod in Natiuitatis Domini vigilia canit Ecclesia: *Hodie scietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius:* præsentem, futuramq; vitam duos vocandi dies ansam desumpserit Bernardus, ignoro: ratum tamen apud ipsum scio, tam longa præsentis vitæ curricula, quàm futura æternitas duobus diebus cõparari. Ita ipse in allegorijs Tilmãni relatus: *Duo sũt dies, qui in verbis istis nobis expressius commendantur. Primus, qui à primi hominis creatione labitur vsq; ad finẽ mũdi. In hac die nascimur vniversi, si tamẽ dies debet, & nõ nox potius nominari. Secunda vero dies erit in splendoribus sanctorum, in perpetuas æternitates, cùm inclaruerit illud serenissimum mane; cùm domitis vmbris, & tenebris splendor veræ lucis sursum, & deorsum, intus, & exterius cuncta pariter occupabit.* Hæc ipse: Quæ tẽ quidem vexare minimè debent, nam ethnicis ipsis æterni huius dici luminis expertibus veritas illuxit ista, q; diurnus potius, quã diuturnus sit corporis vsus: Vndè Quintilianus totam hominis vitam vnum diem appellabat. Et Pindarus vnius dici homines nuncupare solebat. Et Virgilius sub rosæ metaphora diurnum asseruit vitæ tempus, cùm cecinit:

Bernard.

Dies duplex, temporalis, & æternus.

Diurnus, nõ diuturnus est corporis vsus.

Quàm brevis vna dies ætas tam longa Virgilius rosarum.

quæ si gẽtiles sequẽtis vitæ nescij dicere non ignorauere, solerter Bernardus præsentẽ, futurãq; vitã duorũ dierum vocabulo nominauit; æternum unum, temporalem alterum. Quam Bernardi sentẽtiam sequutus est Rupertus Holchot lect.120. super caput sapientiæ 9. qui ulterius duos hosce dies sic inter se ordinari addit, ut uigilia, & festiuitas; nec mirum, nam si magnas, solemnesq; celebritates vigiliæ præcedere solent, cũ nulla valeat æternæ felicitati tẽporalis cõparari festiuitas, absq; vigilia nullatenus illa aduenire debebat. Præfatus Holchot: *Tẽpus, quo vivimus, & æternitas vitæ futuræ sic cõparãtur ad invicem, sicut vigilia præcedens, & festum subsequens.* Et immediatè quomodo in hac vigilia se quisquam gerere, quã arctè ieiunare, ac vigilare debeat, vt æternum posthæc diem festum agere possit, sequentibus verbis describit: *In vigilijs .n. solemnitatum solent homines laborare feruenter, & diù: vnde in talibus vigilijs faciunt agricolæ altam noctem. In diebus verò festiuis indulgere solent communiter quieti, & solatio. Isto modo nunc est vigilia, in qua ieiunijs, & laboribus nos dare debemus, iuxtà illud Pauli 2. Corint. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs multis.* Pauciq; interiectis illorum carpit dementiam, qui nulla vigiliæ habita ratione diem festum hic, & ibi; in præsenti namq; & in futura vita agere sperant; quæ corum spes quàm fatua sit hisce concludit: *Sicut omninò fatuus esset, qui in vigilia omnibus laborantibus otiosus foret: & in festo laboraret, quando omnes gauderent, & quiescerent: Sic fatuus est, qui in præsenti tempore quietem acceptaret, in quo Chri-*

Holchot.

Vita præsẽs æternæ felicitatis vigilia.

Idem.

Admodũ in hac vigilia laborãdum.

Demens qui alterius vitæ festiuitate absq; vigilijs expectat.

Christus, & omnes sancti, qui nos præcesserunt laboribus, & pœnitentijs se dederunt, & sibi in futuro laborem perpetuũ thesaurizaret. Quorum omnium hauḋ quaquam ignarus Euangelista præsentem celebritatem non Christi, sed
Ioan. c. 7. Iudæorum festum appellat: *Erat autẽ in proximo dies festus Iudæorum.* Ioan. 7. quia epulantibus, gaudentibus, ac tripudiantibus, tanquam in magno solemnitatis die iniquis; Iusti vt in futuro veram, æternamq; agant festiuitatẽ, laboribus, hic, incumbunt, atq; vigilijs. Quod expressissimè dixit Bernardinus Senens. verbis illis: *Inter bonos, & malos hoc distat: quia mali volunt facere festum ante vigiliam, volentes in hoc seculo gaudere temporaliter, & ideò in futuro seculo facient vigiliam pro festo, quod hic habuerunt, vbi æternaliter lugebunt.* Nonnullisq; interiectis: *Boni autẽ faciunt hic vigiliam in luctu pœnitentiæ, & ideò perenient ad festum iucunditatis æternæ.* Pro quo argumento & si multa adduci possent, breuitatis tamen causa potiora adducenda existimo.

Bernardin. Senens.

Mali ante vigiliam diem festũ agere cupiunt; secus vero iusti.

2 Præsens argumentum, quòd tota scilicet iustorum vita breuis sit æternæ festiuitatis vigilia, secus verò æternæ vigiliæ celebritas sit præsens iniquorum tempus, haudquaquam melius auspicari quid poterit, quàm, quòd de inhumano diuite, & paupere Lazaro describit Lucas; quia si ieiunante Lazaro, & tam arcto ieiunio, quòd nec micis de diuitis mensa cadentibus ventris rugitus compescere poterat, tãquam in magno, solemniq; festiuitatis die opiparè, splendidèque epulabatur diues; sic in hac die sua se gessit vterque: verùm altera eluescente die, illa scilicet adueniente, quæ nescit occasum, prepostero ordine bonis domus Dei repleri cœpit mendicus, & egere adeò incepit diues, vt nec aquæ gutta ei cõcedi potuerit, nè ieiunium frangeret: nec mirum, quia vigiliam, quam in mundo seruauerat Lazarus, post mortem vellet, nollet, seruare cogebatur scelestus. Quod tunc expressissimè Abrahamum dixisse opinor, quando petitioni eius: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meam.* Luc. 16. respondit: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.*
Luc. c. 16.

Quod nil erat nisi dicere: bis festum celebrari non potest, si vigiliam cum Lazaro in mũdo seruasses, diẽ festum nunc cum illo ageres; verùm quia ibi, veluti in magna cõstitutus festiuitate, ieiunare renuisti, nũc vigiliæ ieiunium effugere minimè potes. Disertè nimis in Patriarchæ persona ad diuitem loquentis Chrysologus: *Hic recipit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriã, pro cõtumelijs honorem, pro despectu gratiam, pro panis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerij fontem, pro famc cælestis mensæ delicias sempiternas. Tu diues fulgens quondam purpura, nũc tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu sustine tormentorum dura, pro lautis epulis epulare pœnas; copias inopia compensa, ebrietates siti digere, & cui astiterunt uoluptatis obsequia, astent nunc pœnarum ministeria.* serm. 66. de diuite, & Lazaro.
Chrysolog.

Ieiuniũ quẽ in vita seruauerat Lazarus, arctius multũ post mortẽ vellet, nollet, substinuit diues.

3 Lusit, sed lepidè quidem Philippus de Greue serm. 79. super locum illum psalm. 36. *Custodi innocentiam, & uide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*; dicendo, quòd vtriusq; mensæ diuitum, & pauperum non desunt reliquiæ; verùm quia hæ non à relinquentibus, sed ab alijs edi solent, diuitum reliquijs pauperes expleri, & vice versa ex illis pauperum diuites exaturari asserit; quia breuiter expleto mundanorum conuiuio Sancti veluti in secunda, sed æterna mensa epulari incipiunt; secus vero scelesti reliquias egestatum, famis, & ærumnarum à iustis relictarum æternaliter ambedere coguntur; quod cum Epulone, & Lazaro confirmat dicens: *Sedent diuites huius mundi ad mensam consolationis, cuius reliquiæ eorum non sunt, sed pauperũ, & pauperes Christi reliquias expectant. Vnde* Luc. 16. *Homo quidam, &c epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Erit autem quando finita mensa dabitur illis de reliquijs, & plus erit in reliquijs in infinitũ, quam fuerat in mensa: quod significatum est Ioann. 6. ubi dixit Dominus: Colligite fragmenta ne pereant, & impleuerunt duo-*
Philipp. de Greu.

Diuitum reliquias pauperes comedere; pauperum vero diuites quomodo intelligendum.

Digitized by Google

duodecim cophinos ex quinque panibus. E conuerso electi Dei nunc sedent ad mẽsam tribulationis; & quia non est consuetum, quòd quis suas comedat reliquias, ipsi eas non comedunt, sed suis pauperibus reseruant. Hactenus ipse: Quibus satis clarè semel siue in hac vita, siue in alia esse ieiunandum ostenditur.

4 Vix prius capere poteram; cur toties in sacris paginis cænæ comparetur cælestis beatitudo, dicente Luc. *Homo quidam fecit cænam magnam.* capit. 14. Et Apocalyps. capit. 19. *Beati, qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt.* Et alibi sæpè, & quidem non absq; ratione meum pulsabat animũ difficultas, quoniam si frugalior prandio cœna semper esse solet, cur non prandio potius comparatur, quàm cænæ? Et postea, si vesperi, noctisque tempore cænari solet; quæ conuentio lucis ad tenebras, cænæq; ad gloriam? At ò mysterium! ò sacramentum! si cæna, qui malè pranderunt indigent, non qui benè; cælestis beatitudo non edacibus terrenis ferculis exaturatis, sed sanctis inedia confectis, longoque ieiunio tabescentibus concedetur: *Qui nimis repleti sunt in prandio*, ait Paduanus Antonius, *non indigent refectione cænæ*, super psalm. 16. ac si diceret: vt illorum corrigatur stultitia, qui ventrem, & mentem implere satagunt, cœna cœlestis appellatur beatitudo, quia ieiunis non saturis concedetur.

5 Iudicij diem, solemnis festiuitatis diem ab Osee nũcupari: *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini?* cap. 9. Vbi Lyranus: *In die, in quo debetis apparere coram Domino.* Et Vgo Cardinalis: *In die vultionis*; prorsus obstupet Stephanus Cantuariensis, qui ait, & quæ bone Deus erit solemnitas ista? Si dies ille dies erit nebulæ, & turbinis; tubæ, & clangoris; si perstrepente in die illa angelica tuba omnis caro paueſcet, & tabescet omne cor; si deniq; hominis signo apparente virtutes ipsæ cælorum mouebuntur, qua ratione dies ille festiuitatis magnæ nomen sortietur? Verùm quomodo magna, ac solemnis non vocabitur festiuitas, quæ tantam iustorum subsequetur vigiliam? Audi ipsum. *Hæc solemnitas est dies iudicij, quia tunc solemnizabunt sancti. Et nota quòd duplex festum solet dici solemnitas. Modò quidem simplex festum est, scilicet in stola animæ, sed tunc erit duplex festum, quia boni recipient duplicem stolam s. animæ, & corporis.* En quomodo sole clariùs nostrum fulget argumentum, quòd præsẽtis vigiliæ duplex, solemneq; festum futura sit vita.

Luc. c. 14.
Apoc. c. 19.
Ant. de Pad.
Beatitudo cur cœnæ cõparata.
Osee c. 9.
Lyranus.
Vgo Card.
Stephan. Cantuar.
Festum duplex pro iustis indicij dies, quia animæ, & corporis.

6 Augustinus quæst. 50. in Genesim nõ vulgarem mouet quæstionem: Vnde oritur, quòd prisci illi sanctissimi viri, ac si nulla natiuitatis filiorum habita ratione, diem ablactationis tam solemniter celebrabant, vndè de Abrahamo sacra sic fatur historia: *Fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Gen. 21. Et 1. Reg. 1. hostiam solemnem in filij ablactatione Helcanam obtulisse habetur. *Quæritur*, præfatus ait Augustinus, *cur Abraham nec die, quo natus est ei filius, nec die, qua circumcisus est, sed die, quo ablactatus est epulum fecerit?* Cuius difficultatis vt facilius solutionem assequaris; qui nam lacte potentur, considerare te vellem; quod si paruulos lactere dices, non magnos, esto; sed si per paruulos viatores, qui vltra charitatis dulcedinem, spe, & fide veluti duabus mammillis lactãtur; & per viros comprehensores, qui solido cibo diuinæ visionis nutriuntur, acciperemus; diuinum equidem ex præfata quæstione detegetur mysterium; quòd nempè propterea non in filij natiuitate, sed in ablactatione grande conuiuium fecit Abraham, & solemnem hostiam obtulit Helcana; quia si vniuscuiusq; ortus præsentis vigiliæ est initium, mors in ablactatione figurata solemnis, duplicisq; festi principium est. Citatum aduoco Augustinum, qui præfatæ suæ quæstioni his verbis respondet: *Nisi ad aliquam spiritualem significationem res referatur, nulla solutio quæstionis est. Tunc scilicet esse debere magnũ gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit factus homo nouus*; ac si diceret: si dum lacte indigemus veluti in arcta vigilia ieiunio fatigamur, quomodo solemnitas celebrari tunc poterit? Celebrabitur sanè, cũ de spe tẽtione, & de fide visione facta, nouus homo efficietur.

Gen. c. 21.
Augustin.
Cur Abraham nõ filij natiuitatis, sed ablactationis diem celebrare voluerit, expẽditur?
Idem.
Non natiuitas, sed mors festiuitatis principium.

7 Vix (meo iudicio) expressius,

bis nempè diem festum agi minimè posse (quapropter hic ieiunantes, ibi dapibus reficientur æternis; secus verò in præsenti epulantes, arctè in futuro ieiunabunt) significare potuit Dominus, quàm per Isaiam contra-
Isaias c.65. sceleſtos dicendo: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.* cap. 65. quia optimè (vt benè annotat super modo dicta verba Hieronymus) diuitum, & pauperum pauēdas vices, stupendasq; successiones præfatis verbis perstrinxit, quia si epulantibus in-
Hieronym. cælis, ac tripudiantibus pauperibus; fameſcent, & vlulabunt diuites, retrogrado ordine procedetur, & festū pro vigilia, & vigiliam pro festo commutabitur. Ita allatus Hieronymus: *Quanti .n. Sancti in persecutione moriuntur fame, & egestate confecti; quanti iusti esuriunt, & impij cruditatibus diffenduntur? Potus autem ille cupiendus est, qui hauritur de fontibus Israel; de hoc potu mater Domini plena Spiritu sancto prophetabat: Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Apertiſſimè etiam idipsum dixit Balduinus à Tilmanno in suis allegorijs citatus super locum
Exod.c.16. illum Exodi 16. *Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini.* Vbi bene annotat in sabbato, hoc est in requie, ac festiuitate comedendum, quoniam non in præsentis temporis vigilia, sed in futura solemnitate, quando de laboribus facta requie, hyems transierit, expleri debebunt iusti: *Rectè dicitur*, ait ipse, *comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini. In vita.n. futura tempus erit comedendi.* Nec ab ipso discordat Philippus de Greue, qui serm. 79. duplicē mensam reperiri asserit, consolationis vnam, tribulationis alteram, verùm illam huius temporis nequaquam existimat; sed hanc, in qua quisq; opprobria veluti cœnando libabit solummodo, in mensa consolationis in futuro omninò exaturabitur. Verba autem eius sunt: *Duplex est mensa. Mensa consolationis, & mensa tribulationis, vtraq; habet tempus suum. Mensa tribulationis in præsenti habet tempus suum, & non mensa consolationis: è conuerso mensa consolationis futuri status est, & non mensa tribulationis: ita ordinauit Deus, nec aliter esset, nisi malitia hominum permutaret.* Hæc ipse in præfato sermone de duplici mensa, vbi plura ad præsens argumentum spectantia adducit; quorum omittendum nequaquam cēseo; quòd adeò Electi ad tribulationis mensam se in præsenti vocatos agnoscunt, vt si quandoq; vrbanitatis causa (si dicere sic mihi licet) ex consolationis mensa buccellā aliquā accipiūt, statim illam per oppositos pœnitentiæ actus euomunt, & reijciunt; ad quem sensum (ludendo quidem, sed lepidè) Saluatoris passionem reducit dicēdo, quòd honorem, quem in die palmarū acceperat, passionis ignominijs exoluere voluit: *Non vocantur electi Dei ad mensam consolationis in præsenti: & si vocati fuerint, nolunt sedere, sciētes, quòd non est præsentis temporis; & si quid gustauerint, non sapit eis: & quasi abominabile eis coguntur euomere, non propter saturitatem, sed propter insueti cibi abominationem: Vndè & honorem, quem receperat ipse dominus Iesus Christus in ramis palmarum, statim nè quid deberet mundo, exoluit per sequētem ignominiam passionis.* Præfatus Philippus Bernardus postea inter duas mensas se etiam positum considerans, & hinc atq; indè ieiunus conuiuantes spectans, conqueritur multum serm. 4. de duabus mensis, quòd ad neutram manum ei extendere liceat; nā sicut præsentes cōsolationum dapes nec sine mortis discrimine (vt Ionathæ accidit) tāgere licet, ità futuræ per internas tātum spiritus dulcedines vix libari permittuntur: *Nonnè veluti inter duas mensas positi epulantes hinc indè spectamus ieiuni? Sic sumus omninò, sic sumus; nàm hinc sūt, quos video deliciosè viuentes in omnibus bonis sensibilibus huius mundi: indè contemplor alios, quibus disposuit Christus regnum, vt edant, & bibant super mensam eius in regno patris sui: Vtrobiq; video similes mei homines, fratres meos, & heu me ad neutrum licet extendere manum. Ab vtraq; mensa prohibeor, ab hac quidē professionis, ab illa corporis vinculo, vt nec ad inferiorem audeam, nec ad superiorem accedere possim.* Præfatus Bernardus loco citato.

Idem.

Bernard.

8 Subsannat Angelomus Monachus

In altera die retrogrado ordine in vigiliā festū, & in festum vigilia commutabitur.

Balduin.

Futura vita comedendi tempus, non præsens.

Philipp. de Greu. Mensa duplex cōsolationis, & tribulationis; sed hæc præsentis est vitæ, illa futuræ.

Iusti si quid vrbanitatis causa de mēsa comedūt consolationis, statim vt abominabile, & insuetū per oppositos mortificationis actus euomūt, & reijciunt.

Inter duas mensas imprēsentiarum positi viatores ad neutrā manum eis extēdere licet.

Digitized by Google

nachus vanam Adoniæ regnandi ſpē:
3.Reg. c.1. *Adonias filius Haggith eleuabatur, dicēs: Ego regnabo.* 3. Reg.1. quia morte
Angelom. prius præueniri, quàm regnum aſſequi debebat: *Adonias iſte gratis regnare voluit, & à Salomone interfectus eſt.* Ego nihilominus ad myſticum sēſum rem reducendo, ex eo maximè Adoniæ irrideo regnādi cupiditatem; quia ſi ipſe Haggith, quæ feſtiua interpretatur, filius erat, regnante Salomone regnare non poterat; nam qui ſuam in præſenti die feſtiuitatē agit, in futuro cū iuſtis feſtiuus eſſe nō poteſt. Audi Vgonē Cardinalē ſuper locum illum Ioan-
Ioan. c.16. nis 16. *Mundus autem gaudebit: vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, in Chriſti perſona di-
Vgo Card. centem: *Illi agunt ſolemnitatem primo, & vos vigiliam ſolemnitatis; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & eorum lætitia in luctum.* O quàm Adonia ſapientior! & quàm prudentior iuſtiſſima, ſanctiſſimaq; illa Iudith! quæ in ſuperioribus domus ſuæ cunctis viduitatis ſuæ diebus ieiunijs vacabat: Noſcebat ſanè, non à ſolemnitate ad ſolemnitatem; ſed à vigilia ad feſtum eſſe tranſeundum, eapropter non feſtiua per vicos incedebat, & plateas; ſed cilicij aſperitate confectas inedia membrorum glebas terens, vt vberes fructus in feſtiuitatis die colligeret, pœnitentiæ opera ſeminabat.

Feſtus dies agi bis nequit: Vndè qui illū hic agunt, vigiliarum, & dolorum in futuro non erunt expertes.

Dixerunt autem ad eum fratres eius: Trāſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Ioann. c.7.

§. II.

Doctoris manus linguæ præambula, verbo parare debet ſemitam.

1 EX eo maximè euangelicam doctrinam ſemini fuiſſe cōparatam, iuxtà illud: *Semen eſt verbum Dei:* Luc.8. autumat Toſtatus q.9. ſuper cap. Matt.13.
Luc.c.8. quia ſi ex paucis, paruiſq; ſeminibus magna ſolet ſegetū ſcatere exuberātia, ex paucis etiam doctrinæ euangelicæ verbis, vberes ſolēt bonorum operum fructus oriri: *Sicut ſemen eſt origo fructus, & ex paucis granis magnæ ſegetes creſcunt; ita ex paucis verbis Dei ſequuntur plurima opera bona, quia vnicum verbum bonum eſt ſufficiens ad regulandam totam vitam.* Ita præſatus Toſtatus loc. cit. qui etſi duas alias addat rationes, mihi tamē pro præſenti inſtituto magis aſſerentium arridet opinio, ob id ſemini comparari doctrinam, quia ſi illud ſatoris indiget manu, vt iaciatur; hæc abſq; doctoris manu, atq; exemplo haudquaquam perfectè tradi poterit vnquam. Vndè in Prouerbijs Salomon vberem hanc fidelium vineam non ore, ſed manu conſitam aſſeruit:
Prouerb. c.31. *De fructu manuum ſuarum plantauit vineam.* cap.31. quia plus factis, quàm verbis; & plus operibus, quàm ſermonibus Sancti erant docturi. Vndè
Gloſſa. Gloſſa: *Vineam de fructu manuum ſuarū plantauit, quia non ſolum verbis inſtituebant Sancti, quos erudiebant, ſed & factis, & miraculis.* Et non incōſultò quidem factis potius, quàm verbis veri orbis terrarum magiſtri mundum inſtruere ſtuduerunt, quia noua erant promulgaturi præcepta, quæ mandata, hoc eſt, manu data idcirco dici ſolent, quia manu potius dari debent, quàm verbis; vt bene annotat Antonius Paduanus ſuper illud Eccleſiaſtes
Eccleſiaſt. c.12. 12. *Deum time, & mandata eius obſerua.* vbi addit, non otiosè Dei digito decalogi præcepta exarata deſcribi, quia ſolus ille bonus eſt cenſendus præceptor, qui non longa dicendi ſerie, nec eloquenti verborum apparatu, ſed operum digitis præcepta imponit. Cuius verba ſunt:
Ant. de Pad. *Mandata quaſi manu data. Digito .n. Dei fuerunt data, & ſcripta mandata decalogi. Et mandata euangelij fuerunt data Apoſtolis manu Ieſu Chriſti; ergo digna ſunt obſeruari, quæ data ſunt manu Dei, ideſt ad eorum obſeruantiam tenetur omnis homo.* D. Anton. in Dom.22. poſt Trinitat. ante quem Aegyptij in eorum ſacris litteris, quæ Hieroglyphicæ dicebantur, ad verum ſapientem exprimendum, virum manum ori, linguæq; admotam habētem

Toſtatus.

Doctrina euangelica cur ſemini comparata?

Mandatum quaſi manu datum, quia manu potius, quàm ore dari debet.

pingebant, quia nusquam perfectè sapiens, nec efficaciter suadens dici quis poterit, nisi sermonibus opera iungat: Vndè moralissimus Seneca dicendi longissimam, faciendi autem compendiosissimam ad suadendum viam nuncupare consueuit. verbis illis: *Longum est iter per præcepta, efficax, & breue per exempla.* Et epist. 11. post nõnulla, his tandem verbis concludit: *Sic itaq; dicamus, vt quæ fuerunt verba, sint opera. In tempestate. n. naufragij non prodest, qui adiuuare potest rector nauis attonitus, & vomitans: non est loquendo, sed faciẽdo gubernandum.* Quem verum, perfectumque docendi modum tunc Christi consanguineos præ oculis habuisse æstimat Gorranus, cùm Saluatori, vt in Iudæa etiam miracula patraret, suadebant: *Trãsi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Ioann. 7. quæ (etsi minus accuratè, quàm par erat, dicta putent omnes) ad discipulorum etiã institutionẽ dicta fuisse autumat Gorranus, dum dicit: *Transi hinc, & vade in Iudæam, &c. & rationem persuasionis addunt, videlicet proximi ædificationem, propter quod dicunt: vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Discipuli, inquam illi, qui scandalizati recesserant, ut uidentes magna, quæ faciebat in Galilæa, iterum redeant.* Hæc ipse. Quibus quod alij incusant, excusat; de quo quidquid sit, tactum nos exordiamur institutum.

Seneca.

Longissima ad suadendum via dicendi series; compendiosissima vitæ exempla.

Ioan. c. 7.

Gorranus.

Miraculorum Christi efficacia.

2 Manum linguæ præambulam verbo parare debere semitam, si ad sacras paginas (vt profanas omittam) oculos vertes, veluti ex magno, regalique fõte vndiq; id scatere videbis; verũ ego verbo illo: *Vt potens sit exhortari in doctrina sana.* Tit. cap. 1. calami applicans os, libentissimè loci huius intelligentiam haurirem, cùm capere haudquaquam possim, doctrinam aliquam infirmam reperiri, respectu cuius alia sana dici debeat: & quamuis per hanc sanitatem errorum exclusionem intelligant multi, vt sit sensus; potens sit exhortari in doctrina pura, absq; errore; vnde Lyranus: *Vt potens sit exhortari in doctrina absq; admixtione erroris.* Quæ si Pauli fuit mẽs aptius (meo iudicio) idipsum explicare potuisset dicendo: vt potens sit exhortari in doctrina catholica, cùm nomen hoc omnem prorsus excludat errorẽ; cur igitur sanam potius dicendam existimauit? Nec difficultate caret quorumdam sententia, quòd ab effectu sana dicatur doctrina, quia spiritualis sanitatis est causa, sicuti medicinæ, atq; malagmata, quia sanitatem afferunt, sana censeri solent; nàm iuxta hanc expositionem, salua potius quàm sana dici debuisset, cùm non tam sanitatis, quàm salutis sit causa. Quas difficultates facilè (mea sententia) effugiet, qui sanitatem hanc, de qua loquitur Paulus, respectu infirmitatis dictam fuisse asseret; nec doctrinam infirmam, vel sanam vocare, impropria tibi videatur loquutio, quia si ex æqualitate, atq; inæqualitate humorum valetudinis, vel ægritudinis pendere solet origo; ex morum cum verbis concordantia, vel disconcordãtia doctrinæ sanitas, vel infirmitas habetur; ita quòd, sicuti illa, quæ cum moribus concordat sana; sic quæ ab illis discordat, optimo iure infirma dici debet. Meum non est hoc, quod dico, sed Vgonis Card. hunc in modũ aientis: *Sicut sanitas est ex æqualitate humorum, sic sana doctrina ex æqualitate, & conuenientia morum. Vnde Bernardus: Animi boni humores, boni mores.* Hæc ipse, quæ à Hieronymo eum accepisse censeo, dicente: *Igitur Apostolus Titum filium in Christo, & discipulũ suum docet, ut ea loquatur, quæ sanæ doctrinæ conueniunt: quia tunc doctrinæ erit sanitas, cùm doctoris doctrina pariter, & uita cõsentiũt.* super c. 2. ad Titũ. Quod argumentum prosequutus Bernardus ex virtutis defectu ægrã satis, grauiterq, infirmam illam asserit cõcionatoris vocem, quæ operibus non respondet; vndè epist. 201. Balduino Reatini monasterij Abbati voci per opera atq; exempla virtutem dandam esse, iuxtà illud Dauidis dictum: *Ecce dabit uoci suæ uocem uirtutis.* psalm. 67. suadens, hæc habet: *Memento etiam uoci tuæ dare uocẽ uirtutis: Quid illud, inquis? Vt opera tua uerbis cõcinant, immò uerba operibus, ut cures uidelicet prius facere, quàm docere.* Statimq; subdit: *Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus: ut omnis quod*

Tit. c. 1.

Lyranus.

Quæ doctrina sit sana, quæ ægra atque infirma, expenditur.

Vgo Card.

Hieronym.

Psalm. 67.

Bernardus.

Veluti ex virtutis defectu lãgueſcit concionatoris vox, cum opera desunt.

Digitized by Google

quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas qualiter oporteat alys moderari. Sermo quidem unus, & efficax, exemplum est operis, facilè faciens suadibile, quod dicitur, dum demonstrat factibile, quod suadetur. Optimè omnia præsens nostrum probât institutum, quòd doctoris, concionatorisq; manus linguæ præambula esse debet; verùm illa præsertim: *Memento etiam uoci tuæ dare uocem uirtutis.* quàm parum sana, immò quàm multum ægra sit vox illa, quæ operibus minimè respondet, ostendunt.

3 Quoties ante hac Paulum Timotheo suadentem legebam: *Tu verò in omnibus labora, opus fac Euangelistæ.* 2. Timoth. c. 4. 2.cap.4. toties Paulum concionandi munus omnem laborem nuncupasse existimabam, vt præpostero ordine talis esset præfatorum verborum sensus: opus euangelistæ faciendo, in omnibus laborabis; cùm contra vitia certamen assumere, qualis prouincia sit, experimento didicerim; verùm casu postea in difficultatem illam à Bernardino Senẽsi motam incidens: quid est, quòd natura, vel, vt aptius loquar, naturæ auctor duas homini manus concessit, linguam verò vnam? Cur nõ linguis duabus præditum produxit, sicuti manibus, vel saltem; cur non manum vnam eum habere fecit sicuti linguam? Aliam ex verbis Pauli intelligẽtiam decerpsi: nam si eapropter, iuxtà præfati Bernardini sententiam, plures manus, quã linguæ hominibus traditæ sunt; quia plus facere, quàm dicere; plus operari, quàm docere debent: *Homini sola una lingua datur, cùm dederit ei Deus duas manus cum digitis multis; ut discat anima rationalis plura bona opera operari, quàm loqui.* Modò dictus Bernardinus tom.4. Dom. 23. post Pentecost. ser. 20. de multiloquio art. 3. cap. 2. optimè Paulus euangelistam in omnibus laborare debere asseruit, quia doctorum, verbiq; Dei præconum actiones, & opera nedum præcedere, sed excedere doctrinam debẽt, & verba. Flecto ad hæc Gregorium lib. 1. moral. cap. 14. dicẽtem: *Apparet ergo doctor non tam cùm uerbo loquitur, quàm cùm uita, & operibus mirabiliter demõstratur.* Manifestius (meo iudicio) dicere volens: frustra longos texentes sermones verborum luculentia vtũtur concionatores, si exempla non præcedunt, & excedunt opera, cùm euangelistæ opus non faciat, qui secus efficit.

Bernardin. Senens.

Homo duabus manibus prędítus vnã lingua, qui 2 plus operari, quã dicere debet

4 Germanorum saluti inuigilare videbatur, qui dixit: *Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domũ patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. concionatorisque munus se obire ostendebat, dum subdidit: *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* ibid. Quare igitur nec sermonis, nec zeli huius ratione habens Abrahã ad Moysen, & Prophetas diuitis fratres mittit? Si non sibi, sed viatoribus, quibus merendi, & demerendi adhuc tempus extabat consulere studebat, cur contemnitur, & non auditur? At ò mysterium! quonampactò (vltra cæteras rationes) audiri poterat ille, qui non suum, sed Lazari digitum linguæ admouere satagebat? Si vir sapiens (vt paulò superius me dixisse non fugit) per manum linguæ, oriq; admotam notabatur, qua sapientia pollere poterat ille, qui nec ad suorum frustra prętensum tormentorum leuamen ori digitum applicare dignabatur? Si vt omnium stultorum stultissimus à Salomone subsannatur ille, qui ob pigritiam manum sub brachio abscondẽs, ori illam minimè applicat: *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Prouerb. 19. Vbi Salonius Galliarum Episcopus in mystica expositione: *Qui abscondit manum suam sub ascella, nõ uult utiq; ad aliquod opus, uel laborem extendere illam: Ergo per pigrum designatur vnusquisq; segnis, & desidiosus prædicator, qui non vult opere adimplere, quod dicit: Manum quippè ad os porrigit, qui studet opere implere, quod docet.* qua ratione audiri debebat dementissimus iste, qui manum ad os nunquam porrigere voluit? Hinc Aymo ad Scribas, & Pharisęos docentes, & non facientes rem reducendo, sic fatur: *Infidelis populus uerba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit. Ibi ergo amplius ardebit, ubi se ostendit scire, quod facere noluit.*

Luc. c. 16.

Prouerb. c. 19.

Salonius.

Manũ ad os nõ porrigũt, qui non implent, quæ docent.

Aymo.

5 Facit pro hoc argumẽto, quòd nempe concionatoris manus nequa-

quam

quam sit ab ore semouenda, locus ille: *Quasi tuba exalta vocem tuam, & annũcia populo meo scelera eorum.* Isaia. 58. nàm si benè aduertis, eapropter tubæ, non tympano, nec citharæ, nec alij musicali, instrumento concionatoris comparatur vox; quia sicuti tuba nisi manibus ori, vnde flatum, vocemque haurit, applicata, perstrepere nullatenus potest; sic verbi Dei præcones nisi operum manus sermonibus adiungãt, perfectè personare minimè poterunt. Nostri Didaci Stellæ fuit cogitatus dicentis: *Tuba ponitur in ore, & manibus tenetur; sic in prædicatione sit, manibus.n. sustentatur, hoc est bonis operibus.* super cap. 10. Luc. Quod præfatum Didacum à Hieronymo accepisse autumo, idipsum expressissimis verbis dicente: *Verbum Dei ita debet esse in ore, vt etiam sit in manibus; vt verbis doceat quis, quod prius docuerat vita.* Quam rem tacitè saltem tunc Saluatorem innuisse existimo, cùm discipulos ad euangelizandum mittens non solos, sed binos misit; quia absq; operum societate sola verborum luculentia ad peccatorum conuersionem haudquaquam sufficere poterat. Perbellè Beda tom. 7. *Duos misit, vt eosdem prædicatores doctrina simul, & operatione perfectos esse moneret: nè ea, quæ rectè docuissent, peruersè viuendo negarent.*

6 Auribus meis nunc illud Ioannis præconium insonat: *Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, plus quam propheta est.* Matt. cap. 11. & facilè idcirco plusquam prophetam Ioannem vocari assequor, quia Verbũ illud in principio apud Deum, quod alij in mundũ nõ per motum, nec per mutationem, sed per carnis assumptionem venturum prædixerunt, hic vocibus, & digito iam apud nos degentem indicauit. Nouit hoc Gomezius, qui homil. in locum illum Matt. cap. 3. *Ego vox clamantis in deserto*, hæc habet: *Prophetæ solum docebant vocibus, quod auribus percipere potuimus; at Ioannes, qui plusquam propheta fuit; aliquid amplius docuit, quia voce, & digito Agnum Dei ostendit.* Verùm quia Ioannem vocem se vocasse tetigimus, prætereunda non est eiusdem Gomezij obseruatio; quòd non ob aliud sanè vox diceretur Ioannes, nisi quia totum; quod in eo erat, prædicationis vocem emittebat: *Ioannes ideò vox dicitur*, ait modo dictus Gomezius, *quia totus ipse vocem prædicationis suo exemplo emittebat.* Quia voce, manibus, operibus, exemplis, inedia, castitate, pœnitentia, cæteris; virtutibus concionabatur, totus vox dici meritò poterat.

7 Laborant non parum sacræ scripturæ Expositores vestigãdo, quid omnis iustitiæ nomine intelligeret Christus Dominus, quãdo Ioãni ipsũ baptizare renuenti ait: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiã.* Matt. 3. nàm aliqui per omnem iustitiam perfectam humilitatem, quæ nedum superioribus, & æqualibus, sed inferioribus etiam se subijcere nõ erubescit, intellexerunt; ita post antiquiores non paucos Glossa cum Carthusiano. Alij omnis iustitiæ nomine baptismum, omnis iustificationis initiũ acceperunt; sic cum nonnullis Rabanus. Alij nec solam humilitatem, omnem virtutem esse: nec adultos baptizatos per baptismi solum modo susceptionem, absque operibus à gratia procedentibus omnem iustitiam implere posse animaduertẽtes, difficultatem effugere studuerunt dicẽdo: per omnem iustitiam omnem iustificationis modum Christum intellexisse, quia si initium iustificationis legis circumcisio fuit, quam Christus sua circumcisione, qua minimè indigebat, perfecit, atq; compleuit; ita initiũ iustificationis legis gratiæ baptismus Ecclesiæ esse debebat, quem ipse nedum instituere, & prædicare; verùm in suo etiam baptismate illum figurare, significare, & probare voluit, & sic (vt Ioannis Feri vtar verbis) omnem iustitiam impleuit, quia omnis iustificationis modum in seipso expressit. Adamussim ipse: *Decet nos implere omnem iustitiam, idest omnem iustificationis modum perficere, absoluere, & cõsummare,* Pauciq; interiectis: *Omnem igitur iustitiam Christus implet, qui omnem iustificationis modum in seipso expressit.* Meã tamen, si inter tot afferre sententiam (fas esset) dicerem sanè, quòd prædicationem operibus coniunctam omnis iustitiæ nomine intelligebat;

quam

Isaias. c. 58.

Didacus Stella.

Cõcionatoris vox cur tubæ cõparata?

Hieronym.

Beda. Discipuli ad prædicandũ bini, quia absq; operũ comitantia sola verborum luculẽtia non sufficit.

Matt. c. 11.

Ioãnes plusquam Propheta vocatus, & quarè?

Gomez.

Idem.

Ioannes totus vox, quia omnibus corporis partibus prædicabat.

Matt. c. 3.

Ioan. Ferus.

Digitized by Google

quam rem ex eo facilè mihi suadeo, quia si prædicatio iustitiæ nomine explicari solet, iuxtà illud: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarũ, & Pharisæorũ.* Matt. 5. Vbi Emissenus. *Scribarum, & Pharisæorum iustitia fuit, vt benè prædicarent, & benè populum admonerent*: Ergo omnis iustitia non euangelizatio solum, nec verbi Dei disseminatio nuda, sed bonis operibus fulta omnis iustitia dici debebat. Firmat hoc meum cogitatum Nicolaus de Gorra' verbis illis: *Decet implere omnem iustitiam: dicit in priùs faciendo, quod docet, secundum Chrysostomum. Vndè prius baptizari voluit, & postea docuit. Actorum 1. Capit Iesus facere, & docere.* Vt semiplenam Scribarum, Pharisæorumq; iustitiam in verbis tãtùm consistentem clam percuteret, sermonibus opera copulando, omnem iustitiam complere voluit.

Matt. c. 5.

Emissenus.

Prædicationem verbis cõiunctam, omnẽ iustitiã appellat Saluator, & quare?

Nicolaus de Gorra.

8 Prælibatis modò dictis de iustitiæ nomine, quid scilicet per omnis iustitiæ vocabulum intelligendum sit, liquidò patet, quòd eapropter ab ipsismet hostibus inuidia iugiter tabescẽtibus bonus magister vocabatur Saluator, iuxtà illud: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 18. quia etsi ab inuidorum ore, à quo veluti ex venenoso fonte aliud scatere minimè solet, nisi detractionis aqua, tamen omnem iustitiam (faciendo, scilicet priusquam docẽdo) ipsum implere videntes, vellent, nollent magistrum bonum ipsum prædicare cogebantur: *Optimè vocant eum & magistrum propter doctrinam sanam, & bonũ propter vitam sanctam. Hæc enim duo faciunt magistrum perfectum, doctrina sana, & vita bona, secundum illud Matt. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum: doctrina. n. per vitam roboratur, sicut litteræ per sigillũ.* Gorranus super præfatum Lucæ locũ. Et quidem quomodo de tali, tantoq; magistro obloqui ipsa potuisset inuidia, si illum die, noctuq; miris sanctitatis operibus incumbentem videbat? Si iuxtà Ieremiæ prophetiam illum super verbo suo, vt faceret illud iugiter vigilantem videbat, vt quod faciẽdum suadebat, factum ostenderet: *Vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.* Ierem. c. 1. vbi Antonius de Padua in mystica expositione: *Virga à viriditate, vel virtute, vel quòd ea viri regantur, sic dicta est; significat Christum. Hæc virga vigilauit super verbo suo, vt faceret illud, quia, quod verbo prædicauit, facto complent, & ostendit*; quo pacto tãti magistri bonitatem silere potuisset? Nequaquam sanè; ideo vellet, nollet, ipsum magistrum bonum appellare cogebatur.

Luc. c. 18.

Gorranus.

Bonus magister etiã ab inimicis appellatur; qui factis factiẽ bile ostẽdit, quod docet.

Ierem. c. 1.

9 Cæterùm non otiosè annotat pro præsenti instituto Philo Hebræus de vita Moysi cap. 2. idcirco in victimis pacificorum pectusculum cum brachijs sacerdoti porrigi consueuisse, vt videre est in 7. cap. Leuit. quia plus brachijs vti debet sacerdos, quàm ore: *Vides, quòd hic non sunt contenti solo pectore*, ait præfatus Philo, *sed assumunt etiam brachium, quia brachium laboris, & exercitij signum est.* Idem prorsus dixit Gualfrid. à Tilmãno citatus, super verba illa: *Dauid sedens in cathedra, sapientissimus.* 2. Reg. 23. vbi fusè sapientiam operibus vacuam carpit dicendo: *Caueat proindè sedens in cathedra sapientissimus quidem, sed non similiter facientissimus: caueat, nè, quod rigat pluuia doctrinæ, scandalum vitæ sterilis peius vrat. Imitetur potius Eleazarum, qui percussit Philistæos donec deficeret manus eius, & obligesceret cum gladio. Manus, actus est: gladius, verbum Dei, & multorum manus huic gladio non cohæret: qui sic pugnant, quasi aerem verberantes, non percutiunt aduersarios suos. Et si verba distinguimus, cum gladio manus deficit, cauendo prohibita; cum eodem quoq; rigescit, mandata viriliter exequẽdo. Quoniam necessarium utrumq; doctori, & cauere quod uetuit, & exercere quod monuit.* Hoc idem, verùm clarioribus verbis docuit D. Antonius de Padua in mystica expositione super caput Ioelis 12. stateram mendacem, atque dolosam iuxta modò dicti Oseæ sententiam: *Chanaan in manu eius statera dolosa*; illos appellans, qui aliter ab his, quæ docent, operantur: *Chanaan significat Ecclesiæ mercenarium: in huius manu est statera dolosa, quia aliter prædicat, & aliter uiuit, aliud agit, & aliud ostendit; paupertatem prædicat, cùm sit auarus: castitatem, cùm sit luxuriosus: ieiunium & ab-*

Philo Heb.

2. Reg. c. 23

Gualfrid.

Ille in cathedra sapientissimus apparet, qui se faciẽtissimũ ostendit

Oseas c. 12.

Ant. de Pad.

Digitized by Google

abſtinentiam, cum ſit guloſus. Hæc eſt ſtatera doloſa. Hoc proſequutus eſt argumentum Caietanus rationem reddēs; cur operarij non oratores veritatis ore nuncuparentur concionatores : *Caietan.* *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci, rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam;* dicendo: *Ecce preces pro ſeipſis, ut mittat euangelizantes non uerbo, ſed opere.* Idem ſuper verba illa: *Reſedit, qui erat mortuus, & cepit loqui.* *Luc. c.7.* Luc.c.7. obſeruauit Theodoretus dicens, quòd rectiſſimè antequā loqui inciperet, ſurrexit adoleſcens ; quia difficile peccatorum ſordibus inuoluto fidem præſtare quis poterit: *Theodoret.* *Surgens à peccato incipit loqui, & alios docere: non enim ei prius crederetur.* Sic ipſe in catena relatus. Nec ab eo diſcordat Bernardinus Senenſ. dum eapropter linguam ſub naribus ſitam exiſtimat, vt prius proprias ſtudeamus abſtergere ſordes, quàm loqui. *Bernardin. Senenſ.* Ita ipſe loco ſupra allato: *Lingua ſub naribus ſita eſt, ex quibus de capite humores fluunt, & indè cerebrum expurgatur: ut ex hoc inſinuetur, quòd homo ſæpius ab humore duarum narium expurgare ſe debet, hoc eſt frequenter peccata ſua omiſſionis, & commiſſionis confiteri debet, antequam proximi noſtri lingua noſtra uitia corrigamus.* Tandem huc reuocadicta 1.partis fer.4. poſt 1.Dominicā §.1.

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam. Ioan. 7.

§. III.

Nequaquam impetu propriæ voluntatis prouecti; ſed eligentium vi prærepti ad dignitatum culmina aſcendere debemus.

STatua illa ſtatura procera, corpore magna, & varietate mira, quam in ſomni quiete vidit Nabuchodonoſor, non vacat myſterio, quòd non in capite aureo, nec in brachijs argenteis, nec deniq; in alia corporis parte percuſſa dicatur, quàm in pedibus: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius.* *Daniel. c.2.* Danielis 2.quia cùm regentes figuraret, ſine pedibus eſſe debebat; nā nequaquam ad regiminis culmen cōcupiſcentiæ, & aſtutiæ greſſibus aſcendendum eſt, ſed eligentium ſtudio, & populorum vi trahi debemus : quod per apā (ſuperiorum typū, qui mel, & fel, dulcedinem .ſ. & aculeum habere debent) quotidie nos ipſa natura docet, dum eam (teſte Virgilio) pedum expertem producit: *Trūca pedū primo.* *Virgilius.* Georg. lib.4. ad inſinuandum, quòd rectū ad principatum iter eſt, iter minimè vltrò ſuſcipere. Quod elegātiſſimè hiſce verbis dixit Gualfrid. apud Tilmannum: *Apibus autem hoc nomen natura indidit, quia naſcuntur (ut aiunt) ſine pedibus.* *Gualfrid.* *Pedes affectiones ſunt, in quibus puluis adeſt gradientibus ſuper terram.* *Nec ſine pedibus naſcitur, quiſquis ad prælationis officium proprio fertur affectu, & ſuo potius appetitu, quàm fraternæ charitatis intuitu, uel ſuperioris arbitrio poteſtatis.* *Quanti pedati antequam nati in cathedram hodie pedibus ſuis inſiliunt? Quanti irruunt potius, quàm trahuntur? Nec mirum ſi induſtria, & fructus apum non conſequitur, ubi pedes ortū præceſſerunt, & ſine pedibus naſcendi defuit natalis.* Apes pedū truncas natura producendo quid inſinuet, expenditur. Huius veritatis, quòd .ſ. nequaq; regnādi libidine iter ad regimē vltrò ſuſcipi debet, optimè cōſcius Traianus Auguſtus nedum propria cupiditate in imperium nō inſilijt, ſed communi voto electus obſtinatum ſibi erat onus non ſubire, quod ſummis laudibus, vt par erat, extollens Plinius iunior in panegyrico eiuſdē, hunc ait in modum: *Recuſabas .n. imperare, recuſabas, quod bene erat imperaturo: igitur cogendus fuiſti.* *Plin. iunior.* Et poſt nonnulla ſic clamat: *O nouum, atq; inauditum ad principatum iter, non te propria cupiditas, ſed aliena utilitas principem fecit!* Sic ipſe. Nos vero ſi ſumpta pro themate verba: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc; ego autem non aſcendam.* *Ioan. c.7.* Ioan.c.7.præſenti argumento accommodare voluerimus, infructuoſis apibus, ad principatus, regiminis, & prælationis diem feſtum aſcendendi deſiderio flagrantes comparare procul-

Digitized by Google

cul dubio poterimus, quibus ad ascendendum irrationabilium affectuum pedes non desunt, nàm sapientes, Deumq; timentes cuiuslibet electionis, promotionisq; aduenientè tempore, veluti fructuosæ apes pedum truncæ intra se dicunt: ego autem non ascendam, quoniàm ad dignitates trahi potiùs, quàm currere debemus; Quod tãgere videtur Claudius Villagud. cùm in Christi persona dicit: *Ascendite uos, qui hac uia gloriam affectatis: ego non ascendo uobiscum. Tunc autem ascensurus sum, quandò uoluntas Patris fuerit; tunc ad gloriam ipsius illustrandam faciet meus ascensus.* Ac si manifestiùs diceret: fallitur, qui ad dignitatum culmina proprio fertur desiderio, quia non claues rapere, sed accipere, non sibi honorem sumere, sed tamquam Aarõ vocari debet, qui alijs est præficiendus, quod ex sequentibus clariùs eluceſcet.

Prælationis claues nõ rapere, sed accipere; honorem non sumere sed ad honorem assumi debemus.

Claudius Villagud.

2 Viam ad præsens argumẽtum, quòd nempe ad dignitatum culmina nequaquam ascendere, sed rapi debeamus, aperit difficultas illa à Tostato tacta: Cur adeò in Adoniam regnare cupientem indignaretur Dauid, vt ad illius ambitionem comprimendam illicò Salomonem in regem vngi præceperit, vt videre est in cap. 1. tertij Regum: Si vltrà corporis venustatem, & animi magnitudinem, qua pollebat Adonias, Salomone maior natu erat, quare non tantùm minorem maiori præfecit, verùm ęgrè etiam tulit, quòd in regnandi opinionem descendisset? At nil sanè mirum, nàm regnum affectando; & regimine, & patris beneuolentia se indignum reddebat, hac quia inscio genitore regnum magis vt hostis inuadebat, quàm vt filius iure hæreditario acquirebat: illo verò, quia si, vt canones sanxerunt, cauendũ est ab illius electione, q requisitus antequàm eligatur, electioni de se faciẽdæ consentit, quia ambitionis vitio notatur vt cap. Cũ post. Extrà de electione; quanto magis cauendum erat ab Adonię electione, qui nedũ electioni cõsenserat, sed electionẽ extorquere conabatur, regnumq; adinuentionibus multis venari satagebat. Hinc Tostatus quæst. 32. super cap. 1. tertij Reg. *Indignatus fuit Dauid contra Adoniam, quia eo non iubente præsumpserat accipere regnum; ideò iussit, quòd Salomon vngeretur in regem, & Adonias cessaret à regno.* En quomodò satis iustè regno indignus putatur, qui regnum præripere gestiebat; quia non dignitates sumere, sed ad ipsas assumi debemus. Quod optimè noscens Alexander Seuerus Imperator, cùm vrbi suæ quemdam præfectum destinasset, isq; nè tali, tantoq; publico muneri deseruiret, fugam arripuisset, eum retraxit, & reluctantem, & inuitum eodem nihilominùs munere ornauit dicens: *Inuiti, non ambientes ad rempublicam gubernãdam collocandi sunt.* Ael. Lampridius.

Tostatus.

Arbitionis vitio notati promotione indigni.

Ael. Lãpri.

Inuiti, non ambiẽtes ad rem publicã regendã promouendi.

3 Huius veritatis, dominatum .s. non esse affectãdum, optimè conscius prudentissimus ille Iethro Moysi cognatus, qui cùm Moysen hortaretur, vt ad tot, tantarumque curarum leuamen collegas assumeret, vt diuiso regiminis pondere minus ipse grauaretur, non ambitiosorum more, pro tali munere se obtulit, sed vt prudens, & sapiens, viros fortes, auaritiam odio habentes, Deumq; timentes eligendos asseruit: *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiã, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.* Exod. 18. Vbi Philippus Abbas lib. 1. de dignit. cleric. c. 8. *Videtis hos principes, nempè tribunos, centuriones, &c. ad gradum digniorem non impetu propriæ voluntatis prouectos, sed ordine diuino electos, ipsãq; dignitatem non eorum lenocinari affectui, sed fidelium seruire profectui. Cùm .n. qui electi sunt timere Deum, & amare veritatem, & auaritiam prædicantur odisse, cõstat nimirum dignitatis fastigium eos non ambijsse.*

Exod. c. 18.

Philipp. Abbas.

Nullus propriæ voluntatis impetu, sed ordine diuino eligi debet.

4 Quo posteà calamo Sanctissimi Ioseph humilitatem extollam, qui vt futuræ, quam præuiderat, consuleret inopiæ, virum quidèm annonæ præfectum eligendum asseruit, se autem nequaquàm: *Nunc ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, et præficiat eum terræ Aegypti.* Genes. 41. *Propè est,* ait Pererius, *quem quæri iubes: non longè quærendus est homo iste, quem dixisti, prudens*

Genes. c. 41.

Pererius.

deus, atque industrius, qui tua exequatur monita: tu is es. Verũ licèt coęuos suos scientia, sapientia, prudentia, & sanctitate longè superaret, in Aegypti tamẽ principatum nequaquàm se impellere voluit, sed impelli: Vnde Pharaonem

Ibid. scriptura subdidisse narrat: *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* ibid. Vbi

Idem. præfatus Pererius in Pharaonis persona: *Nec. n. sine numine hæc videris locutus: Tu præfecturam palatij mei suscipe, simulq; totius Aegypti procurationem.* Ac si patentiùs diceret: Tu, qui ad

Ioseph in Ægypti principatum nõ se impulit, sed impulsus fuit. instar apis pedum truncæ ad dominatũ ambulare renuis: Tu, qui regiminis verticem ascendere recusas: Tu denique, qui totius Aegypti principatum nisi vi tractus conscendere nullatenus vis; trahèris quidèm, quia fugientes, & inuiti: non autem ambientes, & sponte offerentes digni sunt.

Isaias c. 49. 5 Hinc Vgo Card. ex occasione verborum illorum: *Dominus ab vtero vocauit me, & de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Isaiæ 49. quædam notatu dignissima dicit, quorum aliqua, quia ad nostrum faciunt institutũ, quòd. s. nullatenus sit arripienda animarum cura, sed vi potiùs ad eam trahi debeamus, adduco: *Dominus ab vtero (non diabolus vocauit me) non incessi me (Ab vtero) idest de gremio Ecclesiæ canonicè assumptus, non aliundè per violentas preces intrusus: vndè psal. 138. Suscepisti me de vtero matris meæ, idest probasti promotionem meam, immò tu eã fecisti, ut ex psalm 21. habetur. Tu es, qui extraxisti me de uentre, spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero. Felix prælatus, qui sic potest dicere, quòd extractus sit à Domino de uentre uidelicet Ecclesiæ assumptus in prælatum contra propriam uoluntatem. Sed hodie non extrahuntur de utero à Domino, immò ex proprio appetitu, tam impetuosè exeunt de utero Ecclesiæ, ut matrem dirumpant per lites, et schismata, et appellationes, et ideò comparãtur uiperæ, quia uipera ui paritur, et matrem occidit in partu Matt. 3. Progenies uiperarũ, quis demõstrauit uobis fugere à uentura ira?* Hæc

Vgo Card.

Verborũ illorum: *Dominus ab vtero vocauit me.* Isai. 49. explanatio.

ipse: quibus num proprijs pedibus ad dignitatis fastum ascendere debeamus, satis clarè apparet.

6 Curiosus fui semper scrutator, cuius esset dorsũ illud, quod ab oneribus liberauit Altissimus, dicente Dauide: *Diuertit ab oneribus dorsum eius.* *Psal. 80.* psalm. 80. Et licet iuxtà litteralem sensũ per dorsum illud Israelitici populi humerus, qui in gestandis cophinis annis pluribus deseruierat, ferè communiter intelligatur. Vndè Bellarminus: *Diuertit ab oneribus dorsum eius, idest Deus diuertit ab oneribus dorsum Israel, siue Iacob, siue Ioseph: idest dorsum populi sui, liberans eum ab oneribus duris luti, et laterum, quibus opprimebatur ab Aegyptijs* Et quamuis ad mysticum sensum rem reducendo D. Bonauentura, per dorsum hoc rationem scelerum pondere præsiam interpretetur, cùm dicit: *Diuertit ab oneribus dorsum eius, idest rationem sarcina peccatorum præsam.* Ego nihilominus prefatis minimè omninò cõtentus numquam inquirendi finem feci; an iste humerus ab oneribus ereptus alicuius alterius esse posset, vsq; dũ ad verba illa perueni: *Issachar asinus fortis, etc. Et supponit humerum suum ad portãdum.* Gen. 49. quia tunc sicuti per Issachar, qui merces, & præmium interpretatur, ambitiosum figurari accepi, qui honorem, virtutis mercedem, & præmiũ præripere gestit; sic per humerum, quẽ ad portandum supponit, affectum, & propensionem ad prælationis onera subeunda significari intellexi; nàm impudentissimus ambitiosus quamuis humilitatem, per asinum figuratam, foris ostendat, intus tamen semper dominandi adeò ęstuat desiderio, vt nusquam officium, aut beneficium vacet, quin ipse vel humilitatem, vel fratrum salutem simulando, humerum non libẽter offerat, vt si ei permissum fuerit, supponat. Quod dicere videtur Innocentius tertius lib. 2. de contemptu mundi cap. 26. his verbis: *Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus, nè quid dicat, uel faciat, quod in oculis hominum ualeat displicere. Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatẽ exhibet, benignitatem ostendit: subsequitur, et obsequitur, cunctos honorat, uniuer-*

Bellarmin.

Bonauent.

Genes. c. 49.

Ambitiosus libenter ad prælationis onera portãda humerũ offert.

Innoc. III.

sis

Digitized by Google

ſis ſe inclinat, frequentat curias, uiſitat optimates, aſtringit, et amplexatur, applaudit, et adulatur; benè nouit illud poeticum: et ſi nullus erit pulus, tamen excutit ullum. Grauem intra ſe ſuſtinet pugnã, difficilemque conflictum, dum iniquitas pulſat animum, et ambitio continet manum, et quod illa ſuggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Collidunt tamen ad inuicem mater, et filia, iniquitas, et ambitio: nam mater in aperto ſubſiſtit, et filia in occulto reſiſtit. Et ita ex hoc Iſſachar humero, quem ad portandum ſupponit; vltra præfatas litterales, & myſticas expoſitiones de dorſo, quod ab oneribus diuertit Dominus, etiam dicendum accepi; quòd tunc Deus dorſum ab oneribus diuertit, cùm illud ſponte, vt Iſſachar, ad prælationis onera portanda ſupponimus; quia aptiores onagri dorſum ab opere declinantes, quàm aſini illud ſupponentes ad ſimilia onera portanda exiſtimantur. Audi Vgonem Card. ſuper citatum pſalmi locum rem mirè confirmantem: *Multi parant dorſum ad portandum ultra uires, ſicut Cameli parant. Geneſ. 49. Iſſachar aſinus fortis, etc.* Et paulo poſt, *ſupponit humerũ ſuum ad portandum, factuſque eſt tribui ſeruiens. Onager autem diuertit dorſum ab opere, ideſt Clauſtralis.* Papè, ſi ambitioſorum deluduntur machinationes, & artes; quia humeros ſponte prælationis oneribus ſubmittunt: ergo illos non ſupponere, ſed à ſimilibus ponderibus diuertere debemus, nè cum illis irrideamur & nos.

Grauem intra ſe pugnã ſuſtinent ambitioſi.

Vgo Card.

Vehemens ambitioſorũ regendi libido, humeros ad prælationis onera portãda ſpõté exhibẽtiũ quonãpactò à Deo irrideri ſoleat?

7 Et nè tua te fallat opinio, quòd ad aliorum vtilitatem humerum, vt Iſſachar, ad portandum tibi ſupponere liceat: Audi Hieronymum in epiſt. 1. ad Damaſum Papam quæſtionem referentem, cuius nam laudabilior eſſet, Iſaiæ zelus vltrò ſe iturum pollicentis: *Ecce ego, mitte me.* cap. 6. an Moyſis humilitas principatũ renuentis? *Audiui ego in hoc loco,* ait dictus Hieronymus, *non paruam Hebræi mei diſputationem, de Moyſe, et Iſaia, quis melius fecerit; utrumnè Moyſes, qui cùm à Deo mitteretur ad populum ait: Obſecro Domine non ſum dignus, prouide alium, quem mittas; an Iſaias, qui cùm non fuiſſet electus ultrò ſe obtulit dicens: Ecce ego mitte me?* Et pro Moyſe concluſum fuiſſe aſſerit, dum ſubdit: *Qui Moyſi aſſertor eſt, humilitatem eius prædicat, ac manſuetudinem, quòd ſe indignum iudicans miniſterio Dei, maior effectus ſit.* Vt addiſcas fratribus humilitate potius te prodeſſe poſſe, quàm dignitatibus humeros ſupponendo; ad quod te ſæpè non Iſaię zelus, ſed ambitionis feruor zeli nomine opertus impellit; vt magis tua, quàm tuorum attendas.

Iſai. c. 6.

Hieronym.

Tutius eſt prælationem renuere, quam zeli cauſa accipere,

8 At quid zeli nomine humeros quoſdam ad prælationis onera portãda ſupponere aſſero, ſi inuerecundè, atq; imprudentiſſimè honores quotidie affectari video. Stupebat Sanctus Optatus Mileuit. lib. contra Parmenian. quòd ambitioſi, vt canes nouos ſemper dignitatum bolos ingurgitare ſtuderent: vndè ſuper illud pſalm. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, hunc dicit in modum: *Eſuritis honores innocentium ſacerdotum. Vndè furori neſtro tanta fames innata eſt, ut guttura neſtra ſepulchra patentia feceritis? Vnicuiq; ſepulchro ſufficit unũ funus, et clauditur: gutturi neſtro honorũ funera minimè ſufficiunt, et adhuc patent, dum alios quæritis deuorare; ut meritò de uobis dictum ſit: Sepulchrum patens eſt cor eorum.* Mirabatur Bernardus ſerm. 30. in Cant. non deeſſe ambitioſos, qui cùm ſe regere neſcirent, aliorum curam, atque cuſtodiam venarentur: *Miror audaciam plurimorum, quos uidemus de ſuis uineis non colligere niſi ſpinas, et tribulos, uineis tamen Dominicis etiam ſe ingerere non uereri. Fures ſunt, et latrones nõ cuſtodes, atq; cultores.* At ego nequaquam miror, quia vſq; eò ambitionis impudẽtiam increuiſſe perſpicio, vt nedum ſe vineis ingerere, verùm (quod abſq; rubore dici vix poteſt) vineas etiam emere audeant, vt rectè dicere poſſint illud: *Villam emi, eo uidere eam.* Luc. 14. quia non eis animarum cura demandatur, ſed carò ab ipſis emitur. Vndè Rupertus Holchot ſuper cap. Sap. 11. *Certè ſi homo uideret, et cõſideraret, quid eſt in dignitate dominij ſecularis, illud nõ emeret nimis carè.* Ex quo fieri ſolet, vt poſt emptionem ſe deceptos agnoſcẽtes, nimis carè id, quod non viderant emendo; non vitia extirpare, virtuteſq; inſerere ſtudent; ſed quomodò ſubdi-

Ambitioſi inſtar canũ nouos sẽper dignitatum bolos vorare vellent.

Pſal. 5.

Optatus.

Bernardus.

Luc. c. 14.

Holchot.

Digitized by Google

torum marſupia euacuando, expenſas pecunias redimere poſſint, omni ſedulitate incumbunt. Vndè Bernardus ſer. 77. in Cant. *Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quàm vitijs extirpandis?* Hi ſunt illi, qui vt idem dicit Bernardus, non vineæ culturæ, ſed proprię vtilitati inuigilant: Hi ſunt illi paſtores, de quibus prophetauit Ezechiel, qui ouium lanis veſtiti, lac erant comeſturi, craſſum occiſuri; infirmum non conſolidaturi, & ægrotum non ſanaturi. Hi ſunt, qui in peſtilentiæ cathedra ſedendo, quod pretio caret, vendere conantur. Vndè Auguſtinus relatus in catena ſuper cap. 2. Ioan. *Vendentes in Eccleſia ſunt, qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: Venale habent totum, quia volunt redimi. Simon ideò volebat emere Spiritũ ſanctum, quia vendere volebat.* Horum cathedras iureoptimò, vt ait Ambroſius ſubuertit Dominus: *Has cathedras Saluator de templo eiecit, eorum, qui ſe honore iactarent, primatus quærerent dignitatem;* quia cùm peſtilentiæ cathedræ ſint, animarum lucrum perdere, immò orbem totum inficere valent.

Bernardus.

Cur tãta in Prælatis ardere ſoleat auri cupiditas?

Auguſtin.

Simoniaci etiã impræcabilia vẽdere conantur.

Ambroſ.

9 Tandem omiſſa Bedæ obſeruatione, iuxtà ſubditorum ſcilicet merita, vel demerita concedi, vel permitti ſolere prælatos: vndè nec oliua, nec ficus, nec vitis ſuper ligna regnare voluerunt, quia infructuoſæ arbores has ſuper ſe fructuoſas regnare non merebantur: *Cur oliua, ficus, & vitis ſuper ligna regnare noluerũt? Ligna quippe ſylueſtres homines eſſe vanos, & vagos æterno incẽdio pparatos habemus. His ergo meritò nec oliua, nec ficus, nec vitis regnare voluit; quia minimè merebantur.* Præfatus Beda ſuper 9. Iud. ſiſto in difficultate illa: Quid eſt, quòd impudentiſſimi ambitioſi regnandi libidine æſtuãtes nulli alij arbori comparantur, niſi rhamno: *Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite.* Iudic. ibid. Et multis, multorum omiſſis rationibus, Lyrani ſatis mihi arridet ſententia aſſerentis, idcircò rhamno aſſimilari ambitioſos; quia cùm arbor hæc parua primò, & mollis ſit, poſteà verò ſpinoſa; duplicitates, & falſitates ambitioſorum oſtendit, qui antè electionem pietatem prætendũt, humilitatem ſimulant, cum omnibus, & præcipuè cum electoribus verbis pacificis in dolo loquuntur, at vtprimũ electi ſpinas producunt, ignem ſpirant, & vix eſt, qui à calore eorum abſcondi poſſit; maximè autem (iuſto Dei iudicio) in electores, non vt ſuperiores, ſed vt iniuſtæ electionis vultores deſæuientes, verbis illos laceſſunt, duplicitatibus decipiunt, & deceptionibus iugiter opprimere ſtudent. Firmat Lyranus his verbis: *Per rhamnum, quę eſt arbor parua, & primò mollis ſicut herba; poſteà verò ſpinas habet, ſignificãtur homines indigni promotione: promoueri tamen procurant multiplici fictione: & grauiter pungunt, & ignem diſſentionis emittunt, quo promotores ſui deſtruũtur: ſicut contigit Abimelech, & habitãtibus Sichem, qui malè promouerunt eum in regem, & vtinam alijs ſimilibus ſic contingat.* Sic veſtra punitur inſania electores, qui Dei poſthabito timore tantùm præ oculis propriam habetis vtilitatem: at vos ò verſipelles electi, qui ad inſtar leonis Samſonis mel in ore, & fel in corde habetis; multiplicate præbendas, augete redditus, euacuate marſupia, firmate imperia, & cum his omnibus ſcitote, quia cùm deſieritis cõtemnere, contemnemini: immò (ſic Deo in ſimulationum, & ſcelerum veſtrorum pœnam permittẽte) quanto nunc honore vos proſequuntur homines, tanta afficiemini ignominia. Vndè Bernardinus Senẽſ. palearum igni à pueris accenſo, ſuper quem mingere tandem ſolẽt, veſtram indigniſſimam exaltationem comparare conſueuit, cùm ait: *Licet plerumq; in talium ambitioſorum exaltatione honores magni impendantur, & fiant feſta, & gaudia magna: Attamen euenit eis ſicut de puerorum ludo: Nam quandoq; in platea accenſo palearum igne lætantur, & ſaltant, ludunt & tripudiant, dum ignis hilaritatem & vigorem, atq; feruorem prætendit. Tamen eo deficiente mingunt ſuper ipſum, ſaltant ſuper eum, pedibuſq; conculcant, diſſipant, & conſumunt.* tom. 1. ſerm. 49. art. 1. c. 3. Sic conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum

Beda.

Iuxtà ſubditorum merita, vel demerita concedi à Deo, vel permitti ſolent prælati.

Iudic. c. 9.

Lyranus.

Ad prælationem electi prælatione indigni iuſto Dei iudicio, vt rhãnus ignẽ ſpirant.

Bernardin. Senenſ.

Dilatẽ male intruſi, dignitateque indigni phylacteria ſua, & magnificent fimbrias; quia pedibus eorum conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorũ Ephraim.

Ephraim,

Digitized by Google

Ephraim, qui deceptionibus, falsitatibus, & simonijs quandoq; honorum culmina obtinent.

Iudæi ergo quærebãt eum in die festo, & dicebãt: Vbi est ille? Ioan. 7.

§. IV.

Sicut odij, indignationisq; indicium est, quem non proprio nuncupare vocabulo: Sic vicissim proprio illum nomine appellare, legitimi amoris censendum est signum.

1 MIris donorum, gratiarũq; priuilegijs Christi domini ornata, atque referta humanitas, per Isaiam quandoq; ob nominis appellationem lætatur, & iubilat: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*: cap. 49. Vbi Lyranus: *Hoc dicitur in persona Christi hominis, de quo adhuc existente in vtero matris dicit Dominus per Angelum ad Ioseph: Vocabis nomẽ eius Iesum.* Et profectò licet in ipsomet vtero, immò ab ipso suæ conceptionis instanti, vltra hypostaticã vnionem, quæ iure optimo priuilegiorum priuilegium dici potest, summam gratiam, summamq; fruitionem accepisset; vt inter cæteros probat Scotus in 3. dist. 13. quæst. 2. & dist. 14. quæst. 1. nihilominus nominis præcisè nuncupatione lætatur, quoniam nõ communis amoris indicium erat, Dominico ore proprio vocabulo nũcupari. Vndè Chrysost. hom. 7. ad Populum Antiochenũ defunctorum nomina sæpè in amicorum, ac consanguineorum ore versari nimiæ beneuolentiæ signum asserit: *Hoc est legitimæ amicitiæ indicium. Sic & mortuos reuocantes facere consueuerunt, continuè ipsorum nomina versantes; sicut vicissim odio habentes, & inimicè in quospiam affecti, nec nomina illorum, qui se læsere tolerant commemorari.* Quod nec profanos latuit; nam Claudianus 2. Stil. in honoris, beneuolẽtiæq; signum vnumquẽq; proprio nomine nuncupandum asseruit verbis illis: *Et nomine quemq; compellas*. Et Valerius 4. Arg. de Iasone, hunc dixit in modum.

Hortatur, suppexque manus intendit Iasoni,
Nomine quemq; premens:

Quod etiam Catilinam erga suos ad amoris ostensionem facere consueuisse, refert Sallust. dum dicit: *Suorum vnumquemq; nominans, laudare solebat.* Quæ cùm ita sint, nulla me amplius vexat difficultas: Cur Iudæi Saluatorẽ in die festo quærentes, nõ vbi est Iesus, nec vbi est Christus scisciantur; sed vbi est, Ille, inquiunt; *Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille?* Ioan. 7. quia odio, inuidiaque tabescẽtes Dominum proprio nomine nuncupare minimè poterant: *Ex nimio odio* (ait Chrysostomus) *eum nominatim appellare non patiebantur*. homil. 48. in Ioannem. Quod argumentum clariùs sequentia ostendent.

2 Plusquam cõmunes nunc existimo obseruationes illas, quòd ideò Iudas magistrum prodere volens, non Iesum, nec Christum nuncupauit; sed vniuersaliori nomine vtens, *Eum*, veluti indiuiduum vagum, non signatum appellauit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* quoniam nomen illud sãctissimum, quod ex corde oderat, ore proferre non poterat. Euthymius: *Non dixit autem Iesum Christum, sed eum: iam n. nomen eius oderat.* Nec minus protritum esse nosco, ex eo maximè Angelum resurrectionis nũcias mulieres ad Apostolos destinando, suppresso aliorum nomine, Petrũ solummodò nominasse, quia negationis causa trepidanti nominis nuncupatione animum addere intendebat; dicente Gregorio super locum illum: *Dicite discipulis eius, & Petro*. Marc. 16. *Quærendum nobis est, cur nominatis discipulis Petrus designatur ex nomine? Sed certè vocatur ex nomine, nè desperet ex negatione*. Peruulgatissimum posteà fateor, nominis repetitionem, veluti Abraham, Abrãhã: Martha, Martha; maioris dilectionis indicium esse, vt ait Augustinus serm. 26. de verbis Domini: *Repetitio nominis est signum dilectionis.* Ait quod maiorem requirit in-

Ephraim. — *Isai. 6.49.* — *Lyranus.* — *Chrysost.* — *Ex nimio amore defunctorum nomina sæpè reuocare solemne.* — *Claudian.* — *Valerius.* — *Sallustius.* — Legitimi amoris indicium est aliquem proprio nuncupare vocabulo: secus verò maximi odij signum propria nomina filere. — *Ioan. c. 7.* — *Chrysost.* — Cur Iudas in Christi proditione Iesum non nominat? — *Euthym.* — *Gregorius.* — Ab Angelo post Christi resurrectionem Petrus præcisè nuncupatur ex nomine, ne desperet ex negatione. — *Augustin.*

Digitized by Google

daginem illud existimo; quid causæ est, quòd primam inobedientiam punire volens Altissimus, Protoplastos quidē (vt recta exigebat iudicij series) interrogauit, serpentem autem nequaquam: *Quia fecisti rem hanc, maledictus eris? &c.* Genes. c.3. Quod prorsus stupens Seraph. Cantuariensis Episc. hūc dicit in modum: *Vide admirabile iudicium Dei, deceptus sciscitatur, serpētem autem non interrogat, quid fecisti? Sed quia fecisti hoc.* Cui difficultati licet cōmuniter responderi optimè noscam; quòd .s. cùm interrogatio ad peccati medelam fieret (quia per ipsam ad delicti confessionem, & per consequens ad veniæ consequutionem Protoplastos inducere intēdebat Deus) dæmonis autē pœnitentia cū minime quæreretur, haùdquaquam erat interrogandus: nil prorsus alitèr Greg. lib. 33. moral. cap. 31. Pro præsenti tamen instituto non esset contemnenda subtilitas, quòd idcircò fortè nō serpētem, vel (vt melius dicam) diabolum in serpente, sicuti Protoplastos alloquutus sit, quia illum, vt in malo obfirmatū, inuisum habebat: hos autem non peruicaces, sed iuxtà D. Irenæi sentētiam in superioribus allatam, iam pœnitentes considerans benevolentia prosequebatur, & gratia; & cùm facilè amicorum, inimicorum verò difficulter vocabula nominentur, suppressio serpentis nomine, diremptisque interrogationibus; Protoplastos nominat, & alloquitur. Flecto ad hōc Chrysostomum homil. 17. in Genes. dicentem: *Attende ordinem contextus refertum Dei erga homines benevolentia; nàm interrogans à viro incepit, deindè ad mulierem transit, & postquam ipsa dixit, quisnam auctor fuerit, vt ventum est ad serpentem, non iam dignatur illum, vt responsum ex eo audiat; sed pœnam intētat.* Vides quomodò nomina silere indignationis indicium sit; sicuti nominare amoris; dum diaboli, vt sibi inuisi, nō memorat nomen per labia sua; sed hominum, quia dilectorum, per os suum dignatur assumere.

Genes. c.3.

Seraph. Cantuar. Episc.

Chrysost.

Cur in primæ inobedientiæ punitione dæmonem sicuti Protoplastos nō alloquatur Altissimus?

3 Sauli animum in suæ conuersionis initio considerans, prorsus obstupeo, quia si primo impetu Verbi verbo, veluti celesti percussus fulmine, cecidit, si luminis magnitudine luminis iam expers deuenerat, si humi stratus quomodò surgeret, quidue ageret penitus ignorabat, qd est bone Deus, quòd veluti omnium immemor, animum nunquam imminuit, audacter semper respondendo: *Quis es Domine? &c. Domine, quid me vis facere?* Actor. c.9. Si miser ille, qui sinè veste nuptiali cōuiuij locum fuerat ingressus primo regis verbo exterritus nullam penitus respondendi viam inuenit: *Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Matth. 22. quomodò ipse inter correctiones, & increpationes; inter cæcitates, & discrimina corpore consternatus, non animo, interrogat, & respondet? Si amicus ille vocatus obmutuit, obmutescere magis debebat, qui psequutor appellabatur? Aſt quonampactò timere poterat ille, qui bis proprio nomine se vocari audiebat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* ibid. licet lupus rapax, licet ouium vorator, licet Christiani nominis persequutor nuncuparetur; pauere tamen nullatenus poterat, quia pluries, in amoris signū, proprio fuerat appellatus vocabulo; secus verò ille infelix, qui è conuiuij loco fuit eiectus, quamuis blandè secum regem loquentem audiret, & licet amicus vocaretur, quoniam tamen proprio non appellabatur nomine, citò defecit, & animum prorsus amittens obmutuit: *Familiaritatis, & benevolentiæ est* (ait Gaspar Sanctius) *vocare aliquem nomine suo, & non alieno, aut communi; nam hoc malevolentiæ signum est, aut contemptus*, super cap. Isaiæ 43. Quis igitur cæcus nō videbit, cur fiducialiter cum Christo agente Saulo, timet ille, qui à rege interrogatur; quia proprio nomine vocatus iste, benevolentiæ arrhā acceperat, per Isaiam dicente Deo: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo.* c.43. Vbi Pinctus: *Hoc est: te dilexi, & signa dilectionis ostendi. Tūc enim Rex carum sibi esse famulum significat, cùm eum nomine proprio vocat;* Hic autem contemni se intelligebat, vniuersali vocabulo nuncupatus.

Act. c.9.

Matt. c.22.

Act. ibid.

Sanctius.

Cur ad primā regis vocem nutante illo, qui sine veste nuptiali cōuiuij locū fuerat ingressus, Saulus à nimio lumine, & Christi voce prostratus animum nūquam amisit?

Isai. c.43.

Hest. Pinct.

4 Dici vix possent, quę de vniuersali iudicio quantum ad progressum, & modum, & locum, & tempus, & dura-

tio-

Digitized by Google

rationem, & alias conditiones, & circumstantias eius sacræ scripturæ Expositores scripsere: mihi verò iugiter super omnia speculandi tribuerũt ansam verba illa Matt. c.25. *Ibunt hi in supplicium æternum*: quia si per pronomen illud, *Hi*, reprobi erant intelligẽdi, cur ipsos non expressè nominauit? Et eò magis dubitandi insurgit occasio, quia de electis posteà immediatè subdit: *Iusti autem in vitam æternam*. ibid. Si ergo horum nomen expressit, illorum cur reticuit? Subtilis equidem difficultas, verùm facilè antecedentia eam eneruãt; quia si inuisos non facilè nominamus, cùm Deo nullus reperiri possit infensior, quàm peccator peruicax in malo obfirmatus, cùm tales sint reprobi, mirum non est, si non proprio, vt iusti, sed vniuersali appellentur vocabulo. Nauseam hanc (nisi temerarius videor sic dicendo) quam diuino ori reproborum nomina sunt allatura in Christi persona expressit Dauid, cũ dixit: *Non congregabo conuẽticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.* psal. 15. quæ verba ad litteram de damnatorum nominibus à Dei ore in iudicio reijciendis intelligit Vgo Card. his verbis: *Non memor ero nominum eorum per labia mea, in die scilicet iudicij, quandò vocabit electos. Matth.25. Venite benedicti, &c. & malis dicet: Non noui vos, discedite à me.*

Matt. c.25.

Ibid.

Psal.15.

Vgo Card.

Reproborũ nominum in iudicio non memor erit per labia sua Christus, vt iustorum, & quarè?

5 Quòd fugiente ad primum luporum incursum mercenario, cuius non sunt oues propriæ, verus pastor viriliter resistat, & animam suam det pro ouibus suis, estò; quia si ille mercedem, hic oues præ oculis habet: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Ioann.10. Quòd proprio commodo studente mercenario; ouium inuigilet vtilitati pastor, optimè; quia huius, nõ illius oues sũt propriæ. Quòd posteà proprias oues vocet hic nominatim, non ille: *Proprias oues vocat nominatim.* ibid. strictim neutiquam prætereũdum puto, quia si hoc absq; labore, discrimine, & iactura fieri põt, omitti à mercenario minimè deberet: fateor equidẽ talis omissionis causam pluries me neutiquã intellexisse: at facillimè nũc cur illas (sicuti pastor) nominatim non vocet, principio, quia si legitimi amoris indiciũ est proprij nominis appellatio, optimè pastor, non mercenarius oues vocat nominatim; quia ille oues amat, non iste, qui mercedi potius studet, quàm ouibus. Aduoco demum Gasparum Sanctium dicentem: *Magnæ beneuolentiæ est vocare aliquem nomine suo: Quarè dum prouidi, atq; amantis pastoris describitur sedulitas. Ioann.10. hoc vnum statuitur in ea cura non postremũ: Proprias oues vocat nominatim.* Loco superiùs allato: Ergo ex amoris defectu ouium nomina à mercenario supprimuntur, & à pastore, ex legitimæ dilectionis magnitudine, cuiuscunque ouis egreditur nominatio.

Ibid.

Sanctius.

Cur mercenarius oues nõ vocat nominatim, sicuti bonus pastor.

6 Sanctissimam, castissimamque Susannam pari odio inhonesti senes insequentes, quo fuerunt amore prosequuti, accusationem varijs struxere figmentis, quod verò supra modum librandum existimo, illud est; quòd ad maiorem sanctę mulieris cõfusionem coràm omni populo molitã describere incipientes calumniam à Susannæ nomine abstinuerunt: *Cùm deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc.* Daniel.13. Et quæ O sceleisti est hæc? An nomine caret? Si iugiter domum eius frequentastis, quomodò dominæ nomen ignoratis? Si in pomario delictũ patratũ testamini, cuius erat hoc viridarium? Si Susannæ vnius amore diù exarsistis, cur eam non nominatis, quòd generali nomine vtimini: *Ingressa est hæc?* At optimè vestram prauam capio mentem, quoniam in odium amorem commutastis, Susannæ nomen, quod priùs veluti super mel dulce assiduè per ora versabatis, nunc odio tabescentes nominare contemnitis. Hectoris Pincti fuit cogitatus: *Particula, Hæc, indicat contemptionem: Ac si dicerent: Ista scelerata, quam nominare non audemus, quia est nomine indigna. Ità Iudæi de Christo dixerunt: Non hunc, sed Barabbam. Matth.27. Et alibi: Hic autem vndè sit nescimus. Marc.15. Et alibi: Hunc inuenimus subuertẽtem gentem nostram.* En quomodò nil vt inimicorum nomina nauseat, dum

Daniel.c.13

Hect. Pinct.

Nauseã pariunt inimicorum nomina.

Digitized by Google

ſuper omne abominabile ſemper os illa tangere renuit.

7 Oculos acuas obſecro,& quàm diuerſimodè à Magis de nato Meſſia Herodes loqueretur, obſeruare te vellem, quam rem ni efficere renueris abſque dubio reperies;quòd regem,& non electum,nec conſecratum,ſed natum; immò regum regem illum vocantibus Magis;omnibus omiſſis magnitudinis titulis puerum eum vocabat Herodes: *Interrogate diligenter de puero:& cùm inueneritis renunciate mihi.* Matth.2.Stulta equidèm loquutio,nihil prorſus antecedentibus cohærens; nàm ſi de rege loquebantur Magi: *Vbi eſt:qui natus eſt rex Iudæorum?* ibid. dicere ſubſequenter debebat: Interrogate diligenter de rege, non interrogate diligenter de puero: & ex eo magis creſcit difficultas, quia ſe etiã ad illum adorandum iturum profitebatur: *Vt & ego veniens adorem eum.* ibid.Nã ſi nullo erat titulo inſignitus, cur ſceleſte obſequium ei te præſtiturum promittis? Et ſi rex erat, cur puerum dicis? Rem tetigit Theophylactus,qui breuiter ſic reſpõdet: *Nõ dixit de rege, ſed de puero: neque.n.nomen ferre poterat,demonſtrans quantũ contra illum inſaniret.* Dennat(ac ſi diceret) omnis admirationis ratio, cur; puerum, non regem appellet Herodes, quia, quod oderat, nominare nullatenùs poterat. Quam etiam ob cauſam Dauidem ab inſigni Philiſtæi victoria redeuntem puerum à Saul vocatum aſſerit Ericius, quoniam infẽſi ſibi nomẽ haùdquaquam per os vertere poterat inuidus Rex: *Cùm n.Dauid, ait modò dictus Ericius,adoleſcens Goliã viris fortibus formidabilem ſtrauiſſet, ait Saul ad Abner:Cuius filius eſt iſte puer, Abner?Et certè armiger eius fuerat:cuharam coràm eo crebrò percuſſerat, & nunc quis eſſet interrogabat.* Ex quibus omnibus ſatis patet, quòd Saluatorem Iudæi, nec Ieſum, nec Chriſtum, nec Meſſiam, nec Redemptorem,nec Saluatorem;ſed generali nomine illum appellabant,quia quem corde oderãt, ore proferre non poterant.

Matt. c.2.

Ibid.

Theophyl.

Cur Chriſtũ regẽ vocantibus Magis, puerum illũ appellat Herodes?

Ericius.

Inſenſorum nomina ne quaquã per diem ore verſari ſolẽ;

Digitized by Google

FERIA QVARTA DOMINICAE PASSIONIS.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat. Ioann. 10.

§. I.

Recedente per culpam charitatis calore friget anima, & alget affectus.

1 NVsquam meliùs præsẽs auspicabimur argumẽtum, quòd .s.per peccatũ superniuẽ peccatoris frigescat anima,& gelascat deuotio,quàm à celeberrima illa quæstione: Quid est, quòd tres illi Sanctissimi pueri nonminus tyranni, quàm ignis victores creaturas omnes tàm visibiles,quàminuisibiles; tàm rationales,quàm irrationales; tàm sensibiles, quàm insensibiles sigillatim, atque nominatim ad Deum laudandum acciẽtes; peccatorem nullatenus accersérunt, vt ex aduocatorum catalogo apparet? Si quia non est speciosa laus in ore peccatoris;parum pulchra in bestiarum oreesse poterat, & tamen à Dei laude excluso peccatore,hę minimè excluduntur: At si Georgio Veneto fidem præstare voluerimus,nec ipse à Dei laude secernitur; sed sub glaciei nomine (quæ idcircò à gelu,& frigore seorsim ponitur, quia per ipsã peccator figuratur:*Glacies simulacrũ tenet peccatoris.* modò dictus Georg.cant.1.to.7.c.20.) recensetur;ac proindè dùm glacies ad Deum laudandum aduocatur,peccator ad tale munus accersitur. Quod si vlterius, cur glaciei comparetur inquires: Facilè idem respõdebit Georgius, quia sicuti flante aquilone gelari solent aquæ, sic suggerente diabolo,& consentiente voluntate gelari solent gratiarum vndæ: *Glacies simulacrum tenet peccatoris,cui aqua diuinæ benignitatis congelata est à frigore peccati, & à vento aquilonari vndè panditur, & aperitur omne malum, sicuti in Ecclesiastico dicitur: Frigidus ventus aquilo flauit, et gelauit crystallus ab aqua.* Sic ipse. Gregorius verò Papa 2. moral. cap.2. ex præsenti euangelica lectione egregiè peccati algorem deducit;dùm non sine mysterio in hyeme Domini necem moliri videt:*Hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo.* Ioan.10. quia tempori malitia congruit, & per hyemis frigiditatem cordium Iudæorum inuidiæ liuore tabescentium algor ostenditur: *Intueri libet* (ait modò dictus Gregorius) *quomodò sacra eloquia in exordijs narrationum qualitates exprimant,terminosq; causarum. Aliquandò namq; à positione loci,aliquandò à positione corporis, aliquandò à qualitate aeris signant, quid de ventura actione subijciant. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Euangelista,cùm prædicante Domino,nullos tunc ex Iudæa credituros diceret,præmisit dicens. Hyems autem erat.Scriptum namq; est: Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.Idcircò ergo hyemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret.* Quod culpæ frigus varijs argumentis probare aggredior.

2 Et antè alia inter charitatem, & culpam modicam non esse contrarietatem,satis ratũ apud te existimo: nàm si charitas est habitus supernaturaliter infusus, per quem Deum super omnia charum habemus; culpa,vt ait Scotus in 1.dist.17. & in 3. dist. 28. quæst.1.est deformitas,per quam ipsũ odio prosequitur peccator,vt proprio ore dixit Altissimus:*Odio habuerunt me gratis.* Ioan.15. Igitur si charitas ignis est,qui in cordis altario semper ardet, iuxtà illud: *Ignis in altari meo semper ardebit.* Leuit.6. immò,vt aptiùs lo-

Georgius Venet.

Glacies vocatur peccatores, & quarè?

Idem.

Ioan. c.10.

Gregorius.

Saluatoris mors cur in hyeme molita?

Ioan. c.15.

Leuit.c.6.

Digitized by Google

Peccati Algor. quar, si incendium est, quod iugiter cor adurit, vt experti fuere illi, qui dixerunt: *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis?* Lucæ 24. Et deniq; si Deus ipse nunc ignis, nunc charitas appellatur. Hebr. 12. *Deus noster ignis consumens est.* Et Ioan. c. 1. *Deus charitas est*, signum est, quòd ad conuertentiam ignis, & charitas dicuntur; quod si verum, vt verissimum est, restat, vt peccatum nix sit, & gelu; cùm iuxtà Aristotelis sententiam, oppositorum eadem sit disciplina. Hinc nonnulli per tempestiuam illam alternationem frigoris, & æstus; æstatis, & hyemis, de qua Genes. 8. *Cunctis diebus, sementis, & messis, frigus & æstus, æstas & hyems*, vicissitudinem status culpæ, & gratiæ; peccati, & charitatis interpretantur. Vndè Carthusianus: *Frigus, hoc est infrigidatio à concupiscentiæ, iræ, cæterarumq; passionum feruore; & æstus, hoc est ardor vehemens diuini amoris.* art. 39. Nec vacat mysterio, quòd frigori, & hyemi comparetur peccatum, quia ad instar hyemalis frigoris charitatis extinguit feruorem, pietatem glaceat, & omnis bonæ operationis motum detinet; Quod expressissimè ex S. Thoma accepit Cornelius à Lapide, qui super 3. Prouerbiorum hęc habet: *Notat Sanctus Thomas peccatum dici frigus; primò quia extinguit calorem dilectionis; secundò, quia congelat humorem dilectionis; Tertiò, quia retardat motum operationis bonæ.* Quo ordine in præsenti excursu procedendo.

Luc. c. 24. Hebr. c. 12. 1. Ioan. c. 1. Genes. c. 8. Carthusianus. Verborum illorum: *Cunctis diebus sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems* Gen. 8 mystica interpretatio. Cornel. à Lap. Culpæ algoris effectus.

3 Dico primò, quòd dilectionis calorem extinguit; quia si ordinata, & perfecta dilectio Dei, & proximi ab vno charitatis habitu procedit, qui vt Scotus in 3. dist. 8. quæst. 1. in corpore quæstionis ait, pro primo obiecto solum Deum respicit, vt bonum primũ in se; pro secũdario verò reliqua veluti obiecta media quasi actuũ reflexorum, quibus mediantibus in infinitum bonum tenditur: cùm peccatum demeritoriè hunc habitum destruat, vt idem asserit Scotus, calorem consequenter ab habitu procedentem extinguit; quod in Petro negationem effeciisse asserit Beda super verba illa: *Accenso autem igne in medio atrij, erat Petrus calefaciens se.* Luc. 22. dùm dicit: *At qui flammam virtutum perdidit, audit à Domino: quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Quo frigore torpens ad horam Apostolus Petrus, persecutorum prunis calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatiũ perfidorum societate quærebat.*

Peccati rigoru dilectionis calorẽ extinguit. Luc. c. 22.

4 Quòd vix patrato delicto in paradisi nemore se absconderint Protoplasti, vt super illa: *Abscõdit se Adam, & vxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Gen. 3. dixit Moyses Barcepha part. 1. cap. 28. de paradiso: *Non sub arbore, de qua improbè ederant; sed in locis densis, frequentibusq; multa, variaq; arbore absconderunt se*, nõ deest, qui in sinistram partem interpretetur, ac si putauerint illi aliquid Deũ latere posse; cùm tamen omnia oculis eius nuda, & aperta sint. Irenæus verò lib. 3. aduersus hæreses cap. 37. oppositum sentit, atq; parentum nostrorum latendi studium in bonam partem accipiendo fugam, illam ad pium quemdam, & salutarem humilis, & pœnitentis animi metum, & pauorem refert; Cuius verba sunt: *Ab altero seductus Adamus sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur, & absconditur; non quasi posset effugere Deum; sed confusus quoniam transgressus erat præceptum Dei, indignum se putauit venire in conspectum, & colloquium eius. Timor autem Domini initium est intelligentiæ; intellectus verò transgressionis fecit pœnitentiam.* Augustinus postea lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 33. ab vtraq; sententia discordando, præ nimio timore, metu, ac turbatione inconsideratè id Protoplastos feciisse asserit, dùm hæc habet: *Cùm Deus auertit intrinsecus faciẽ suã, et fit homo turbatus, non miremur hæc fieri, quę similia sũt dementiæ, per nimium pudorẽ, ac timorẽ. Illo quoq; occulto instinctu non quiescẽte, vt ea nescientes facerẽt, quæ aliquid significarẽt quandoq; scituris posteris, propter quos ista conscripta sunt.* Ego tandem loci, & temporis qualitates considerans, temporis, quoniam vespere flante zefiro; loci, quia non sub arbore vetita, nec sub alia se abscõderunt, sed in paradisi nemore inter densissimas arbores se receperunt, vt ait Moyses Barcepha de paradiso part. 1. cap. 28.

Genes. c. 3. Barcepha. Irenæus. Latendi studiũ in Protoplastis an in bonam partem sumendum? Augustin.

Non

Barcepha. *Non sub arbore, de qua improbè ederant, sed in locis densis, frequentibusq; multa, variaque arbore absconderunt se;* eapropter, id factum censeo, quia amisso per culpam charitatis calore, cùm corpore etiam algerent, inter densissimas arbores, vt zefiri frigiditatem (externum algorem augentem) effugerent, inter densas arbores delitescere studuerunt. Meum nō est hoc, quod dico; sed D. Gregorii, qui 33. moral. c. 3. hæc habet: *Per vmbrā recedente charitate, torpor frigidæ mentis exprimitur, sicut de peccante homine scriptum est: quia secutus est vmbram. Calorem enim charitatis fugiens, veritatis solem homo deseruit, & sub vmbra se interni frigoris abscondit. Vndè, & voce eiusdem Veritatis dicitur: Abundauit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Vndè primus homo post culpam inter arbores paradisi ad auram post meridiem absconsus inuenitur: quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, iam sub peccati vmbra, quasi sub frigore auræ torpebat.* Sic in seipsis, quam culpa frigiditatem, charitatis calorem extinguendo, induceret, experti sunt Protoplasti.

An Adam sub arbore vetita se ablcōderit?

Gregorius.

Etiam corpore algent, qui charitatis calorem amittunt.

5 Intueri etiam libet, quo tempore ad arguendos primos parentes venerit Deus: *Cū audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Genes. 3. non enim vacat mysterio, quòd non meridie, sed vespere arguantur trāsgressores, quoniam tempus hoc culpæ magis congruebat; nàm vespertinum frigus transgressionis algori respondebat. Ità præfatus Gregorius 28. moral. cap. 2. *Quid est, quòd ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant?* Hinc scriptura quosdam in hyeme, quosdā autem in vere obijsse commemorat; in vere Rachel, *Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam: in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit, &c. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam.* Genes. 35. in hyeme verò moriuntur illi quibus mysticè accōmodari potest fuga illa ex hoc mundo, de qua Matth. 24. *Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme*; quia per diuersas aeris qualitates, varios viuentium status exprimere conatur; vt sicuti per vernum calorem gratiæ, charitatisq; feruorem; sic per hyemalem frigiditatem culpæ algorem declaret: *Notandum,* ait Stephanus Cantuariensis, *quòd quædam anima moritur in hyeme, quædam in vere. In hyeme, quæ moritur in mortali. In vere, quæ moriens mundo renouatur Deo, & talis est illa, quæ est Rachel, ideſt videns principium, sed & finem vitæ suæ conditionem diligenter cōsiderans.* In allegorijs, & tropologijs Tilmanni.

Vespere arguūtur Protoplasti, quia culpæ tempus cō gruebat.

Idem.

Genes. c. 3.

Gen. c. 35.

Matt. c. 24.

Stephanus Cantuar.

Quid sit in hyeme, & quid in vere mori?

6 Sanctus Edmundus archiep. Cantuar. c. 22. Spiritum Sanctum in ignis forma apparuisse considerans, statim hanc consequentiam deducit, ergo peccatum frigus est, ergo algore suo culpa charitatis extinguit calorem; nam si iuxtà physicorum axioma, contraria contrarijs curātur, dùm Spiritus Sanctus contrà antiqui serpentis venenum aduenies ignem affert; signum est, quòd frigidi fuere serpentis affatus; & frigidum, quod ad extinguendum charitatis calorem euomuit. Audi ipsum: *Apparuerūt illis dispertitæ linguę tamquam ignis. Ista fuit certa prouidentia Dei nostri, quia duobus modis venit malignus spiritus ad hominem decipiendum in paradiso, scilicet per malum incitamentum suæ linguæ, & per frigiditatem sui veneni, & ideò venit Spiritus Sanctus in lingua contrà incitamentum diaboli, & igne ad destruendam frigiditatem sui veneni.* Optima equidem omnia, sed maximè vltima: *In igne ad destruendam frigiditatem sui veneni*, nostrum probant institutum, quòd cùm super niuem frigeat culpa, facilè charitatis extinguit calorem.

Edmundus.

Spiritus Sāctus ad destruendam veneni frigiditatem per serpentis affatum trāsfusam in ignea figura apparuit

7 Nec tantùm culpę algor charitatis calorem extinguit, verùm etiam humorem congelat deuotionis; quòd satis Ecclesiasticū crystalli figura expressisse existimo, dùm dixit: *Frigidus ventus aquilo flauit; & gelauit crystallus ab aquæ.* c. 43. quā metaphorā prosequutus Georgius Venetus loco superiùs allato dixit: *Vtinam aqua hæc congelata transcendens limites glaciei*

Eccleſiaſt. c. 43.

Geor. Venet.

Digitized by Google

Peccatū deuotionis humorem congelat.

non vertatur in crystallum; adeò in se compactam, & constipatam, vt hospitem Deum, & peregrinum calorem susciperе nequeat, neq; dissolui. Tamen si locum illum: *Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* Luc. 22. diligenter trutinabimus, causamq; tàm velocis fletus inquiremus, subtiliùs tactum probabimus argumentum, quòd .s. culpa deuotionis humorem cōgelet: nàm licet Ambrosius in catena relatus tempestiuū hūc Petri planctum, sicuti cæterorum peccata deflentium, à Christi obtutu originem duxisse asserat: *Quos Iesus respicit, plorant delictum*; adhuc prima extat difficultas: Cur tàm citò Christi aspectus lacrymas ciat? Et nè rem in longum protraham, si Christi oculos igni à Ioanne comparatos fuisse recordaberis: *Oculi eius tamquam flamma ignis.* Apocal. 1. facilè cur eius obtutus lacrymas prouocent, percipies; quia si gelu ad ignis aspectum in pristinas resoluitur aquas, cū Christi oculi igneæ flammæ sint, mirum nō est si gelidum deuotionis humorem liquando, lacrymas stillare faciant. Pulchrè D. Antonius Paduanus super citatum Apocalypsis locum: *Oculi eius tāquam flamma ignis, ideſt respectus gratiæ Christi tamquā ignis glaciem, ideſt cor peccatoris congelatum dissoluentis: Vndè Luc. 22. Respexit Dominus Petrum, oculis scilicet misericordiæ; & fleuit amarè, quia dissoluta fuit glacies cordis eius in lacrymas compunctionis.* Felix Petrus (cuius culpa velut in sereno glacies dissoluta) dicere poterat cum sponsa: *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est.* Cant. 5. quia verbi calore cordis resoluta glacie, non lacrymulas fudit, sed lacrymarum imbres emisit: *Anima quippe* (ait Cornelius à Lapide) *velut spiritualibus poris solutis, illi tota patuit: nàm si igore corpus constringitur; calore resoluitur, poriq; patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore præmitur, ac contrahitur; diuino verò charitatis calore rarescit, totaq; velut poris apertis illa debiscit, vt sponsum tamquam quædam spongia concipiat.* super citatum Cantic. locum.

Luc. c. 22.

Ambros.

Apoc. c. 1.

Ant. de Pad.

Oculi Christi obdurata peccatorum corda dissoluunt.

Cant. c. 5.

Cornel. à Lap.

Anima hyemali culpæ rigore præfla, cōtracta, ac constipata, diuino charitatis calore rarescit, atq; infletus resoluitur.

8 Quòd si quandoq; nec externis Christi obtutibus, nec internis eius vocationibus glaceata liquescat peccatoris deuotio, obdurati cordis defectus censeri debet, non solis. Hinc Rupertus Holchot lect. 60. super cap. sapientiæ 5. non immeritò super iustos, & iniustos solem oriri asserit, iuxtà illud: *Qui solem oriri facit super bonos, & malos*: quia Deus, quantum est in se, vult omnes homines saluos fieri; propter quod super omnes indifferenter gratiæ sufficiētis radios effundit: quòd autem glaceata quorumdam corda non liquescant, eorum est culpa, non solis. Sic ipse sequentibus verbis: *Quādò ita est, quòd sol proijcit radios suos super niuem, & super glaciem, & non liquescunt; signum est, quòd aliquis planeta frigidus impedit radios solis, & eius effectū. Et ita est moraliter quandò Christus producit radios suæ clementiæ super cor congelatum alicuius peccatoris, facit eum cogitare de beneficijs Christi in creatione, redemptione, peccatorum remissione, & præmiorum distributione, & tamen non liquescit cor illud durum: Reuera signum est, quòd frigidus planeta, ideſt diabolus per malitiam infrigidatus illud infrigidauit. Ieremiæ 6. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam; sic frigidam facit malitiam suam dominator diabolus super regionem cordis talis. Et per oppositum est de peccatoribus congelatis, non tamen in tanto excessu frigiditatis, illi .n. liquescunt ad radios solis Christi; exemplum de Petro Lucæ 22. qui postquam Christum negauerat, & Christus eum respexisset egressus foras fleuit amarè. Eccè quomodò liquescebat, & conuertebatur in aquam.* Patet itaque, quòd deuotionis humorem congelet peccati rigor, dùm adeò glaceantur nonnulli, vt nec ipsis iustitiæ solis radijs cedendo liquescant.

Matt. c. 5.

Rupert. Holchot.

Scelestorum corda glaceari adeò solēt, vt nec Christi obtutibus liquescant.

9 Neque hic sistit culpę algor, sed motum quoque bonæ operationis impedit, non solum quoniam nil meritoriè operari finit, sed etiam quia ipsa opera ex charitatis defectu mortua (quę siue ex voti necessitate, siue ex iubentis imperio prætermitti nequeunt) tardè, & tepidè fieri permittit; nec mirum nàm si calori motus tribuitur, & actiuitas: Vndè Ambrosius celeritatem considerans, qua ad montana Virgo pergebat, à Spiritus sancti calore ipsam originem duxisse asserit: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia,* quantò quis debito calore priuatur, tantò

Etiam bonæ operationis motum impedit culpa.

Ambros.

Digitized by Google

tantò tardius mouetur, & agit : vndè peccatores non currere, vt iusti, sed sedere dicuntur, iuxtà illud: *Sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Isaiæ 9. quia charitatis deficiente calore, motus etiam deficiunt, & actiones; hinc Dauid mandatorum Dei viam cucurrisse se quidem asseruit : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* psal. 118. verùm minimè priùs, quàm charitatis ardore incaluisset, vndè subdit: *Cùm dilatasti cor meum* Quod satis cōmodè in Dauidis persona dixit Titelmannus super citatum psalmi locum: *Cùm tu mihi Domine, per gratiam visitationis tuæ, & infusionem gratiarum spiritum subinde soles implere, ac tuo amore cor dilatare, currebam tùm ego alacriter viam mandatorum tuorum*, quoniam motus, quos peccati rigor præpediebat, amoris feruor solicitabat.

Isaias. c. 9.

Psal. 118.

Titelmann.

Alacriter mãdatorum viam currit, cuius cor diuini amoris ardore dilatatur.

10 Pro coronide locum profero illum : *Orate nè fuga vestra fiat hyeme.* Matth. 24. qui non semel speculandi mihi tribuit ansam: Cur in hyeme fuga prohibeatur, & casu in Carthusianum per hyemem peccati algorem interpretantem incidens : *Spiritualiter per hyemẽ exprimitur tepor, siuè extinctio charitatis.* art. 38. facilè quod non intelligebam, percepi; nàm quopacto fugere poterit, qui peccati frigore constipatus sedere cogitur, quia moueri non potest. Allatum adduco Carthusianum: *Per hyemem namque, qua malũ est ambulare propter duritiam frigoris, designatur omne tempus ineptum ad fugam.* Haudquaquam igitur negari poterit, quin motum retardet illud, quod tempus ineptum reddit ad fugam.

Matt. c. 24.

Carthusian.

Cur fuga in hyeme vetita?

Idem.

11 Calamum nunc ad locum illum inflecto: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Lucæ 1. nec mirabile mihi accidit Ioannem in matris vtero situm Mariæ aduentu exultasse, quia si exulto, ab, ex, &, salto; à, in, u, mutata compositum, gestibus, saltibusq; lætitiam ostendere significat; iureoptimo tunc saltando, se mouere incipiebat Ioannes, quoniam mensibus sex originalis peccati rigore algens haudquaquam se mouere potuerat. Fauet Ambrosius in catena : *Citò autem cuentus Mariæ, & præsentiæ Dominicæ beneficia declarantur: nàm sequitur. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Quæ omnia si insufficienter nostrum exiitimas probare institutũ, quòd scilicet per peccatum super niuẽ peccatoris frigescat affectus, & gelascat deuotio; videndus est Hieronymus super illud Prouerb. 31. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis.* vbi per niuis frigora, culpæ rigorẽ intelligit, dùm dicit : *Frigora niuis corda sunt reproborum, perfidiæ suæ torpore rigentia : de quibus ait Dominus. Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Quod etiam dixit Gualfrid. apud Tilmānum verba explicans illa: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suã, sic frigidã facit malitiã suã iniquitas.* Ierem. 6. hùc dicens in modũ: *Frigidã facit cisterna aquam, quoties in quadam insensibilitate perpetratam conseruat mens obstinata malitiam.* Nec omittendus est Rodulphus apud eumdem, qui ideò cęlestem Ieruſalem iuxtà Ezechielis dictum portas tres ab aquilone etiam habere asserit, quoniam non desunt, qui per pœnitentiam conuersi in illam ingredi contendant, & hi à frigida aquilonari plaga, vndè omne pandit malum, cùm veniant, per portas aquilonares ingrediuntur; vt ad Liberatoris laudem, quo rigore in culpæ statu algerent, intelligant. Præfatus Rodulphus: *Omnes. n. qui ab vtero in innocentia perstiterunt, portam ad orientem habent, quia ei regni cælestis aditus à lumine, quod acceperunt, patet. Et omnes, qui in peccatis postmodum lapsi corporis sui frigore sunt depressi, si per pœnitentiam redeant, portam ad aquilonem habent: quia eis etiam post peccati sui frigora regni aditus per misericordiam patet.* Nec omittendus est D. Antonius, locum illum: *Propter frigus piger arare negligit.* Prouerb. 20. sic explicãs: *Frigus statum peccatorum significat multipliciter : Primò ratione frigiditatis pigritiã inducentis: Secundò ratione sterilitatis, quia tunc in terris noui nihil generatur, immò si quid natum est, mortificatur. Tertiò quia in hyeme nullum apparet vestigium æstatis: immò quantò æstas mollior fuerat, tantò postmodum quandò ad hyemem venit peior apparet.* Nec peccatores algorem

Luc. c. 1.

Ambros.

Cur in Mariæ aduentu Ioãnes exultet?

Prou. c. 31.

Hieronym.

Verborũ illorum: *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis* Prouerb 31. mystica interpretatio :

Ierem. c. 6

Gualfrid.

Rodulph.

Pœnitentes quid est, q̃ p̃ portã aquilonarem in cęlestem Ieruſalẽ ingredi dicuntur?

Prou. c. 20.

Ant. de Pad.

Digitized by Google

hunc non sentire obijcias, quia sensu carere apertissimum mortis signum est. Vnde Ambrosius super illud psal. 118. *Factus sum sicut vter in pruina*, hæc habet: *Sicut enim glaciem non sentit vter, quia pellis est mortui: ita mortuus peccato propheta, frigus peccati sentire non poterat.* Quæ pro præsenti instituto sat tibi sint.

Psal. 118.

Ambros. Deplorati peccatoris signũ culpæ algorem nõ sentire.

Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Ioan. 10.

§. II.

Quàm maximus iræ excessus est, versipellium simulatio.

1 IVgiter contrà duplicitatem Deum fuisse inuectum scripturas lustrantem latere minimè poterit; nàm hanc vetuit, cùm agrum duplici semine serendum, & in boue, & asino arandum prohibuit Leuit. 19. & Deuteron. 22. Hanc carpsit, cùm in duas partes nequaquam claudicandum asseruit 3. Reg. 18. Hanc improbauit, cùm duobus dominis seruiri non posse censuit Matt. 6. Hanc deniq; (ne singula scripturæ loca enumerãdo longiùs, quàm par est, sermonẽ protraham) vellicare non destitit, quandò viperarum genimina iræ addicta versipelles nuncupauit Luc. 3. Nec mirum; nàm si Deus, vt annotat S. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 7. quoniam non est compositus ex partibus quantitatiuis; neque est corpus; neq; ex materia, & forma; neq; ex natura, & supposito; neq; ex esse, & essentia; neq; ex genere, & differentia; neq; ex subiecto, & accidente cõponitur: Et vt etiã asseruit Scotus in 1. dist. 8. q. 1. quia non est compositus ex partibus essentialibus, nec ex partibus quantitatiuis; nec ex subiecto, & accidente, & quia necesse est esse, verè, summeque simplex est; vt docuit August. cap. 6. & 22. & vt fidei dogma lateranense cõcilium sub Innoc. III. sanciuit: Quod etiam pro modulo suo agnouit Arist. 12. Metaph. dùm eum ab omni potẽtia, & actu seiungit, purumq; actum appellat: Iure optimo duplicitatem, vt sibi directè oppositam, odio semper est prosequutus: simplicitatem verò semper dilexit, & adeò quidem, vt etiã Spiritum sanctum idcircò in columbę figura apparere fecerit, quoniam felle hæc carens, simplicitatis erat figura. Quod acutè dixit Hieronymus in regim. monach. titulo de virtute humilitatis, verbis illis: *Nihil sic placet Deo sicut simplicitas, & innocentia: Vnde Spiritus sanctus in volatilibus non apparuit, nisi in columba propter simplicitatem.* Verùm vltrà modò dicta, est etiã Deo iugiter chara simplicitas, & inuisa duplicitas, quia hęc suæ sũmæ pietati, infinitæque misericordiæ ex diametro opponitur, cùm sit agrestis, crudelis, & deniq; adeò ęua, vt nulla ei comparari possit impietas, sicuti sequentibus carminibus cecinit Lucianus:

Quia Deus summè simplex est, sẽp ei fuit chara simplicitas; & vt sibi ex directo opposita inuisa duplicitas.

Hieronym.

Spiritus sanctus cur in columbæ figura apparere voluit, ostenditur.

Nihil homine inuenit natura nocentius illo
Quàm, qui sinceram fingit amicitiam
Non hostis nobis ultrà, sed habetur amicus
Talis: & hac ista ladimur arte crebrò.

Lucianus.

Mira lædendi ars simulatio.

Et quidem si callidè, fraudulenterque nocere iuxtà Hieronymi dictum nequaquam humanum, sed diabolicum vitium est: *Peccare hominis est, insidias tendere diaboli.* lib. 1. contrà Ruff. quomodò non Deo semper inuisa duplicitas? Hanc exhorruit Dauid, cùm ait: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* psal. 140. Quod explicans Cassiodorus: *Oleum n. peccatoris est dilectio simulata verborum, quæ vocum blandimentis, nostras mentes velut olei pinguedo ingrediens vigorem veritatis emollit.* Hac Saluatorem impijssimi aggredi conantur Iudæi, dùm dicunt: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ioann. 10. Vbi Chrysostomus homil. 60. *Charitate quadam, & discendi desiderio dictũ videbatur: animus autem corruptus erat, & subdolus; nàm cùm opera insimulare non possent, verbis quærebant eum capere, dicendo: Si tu es Christus dic nobis palã.* Et de huius deniq; diabolici vitij sæuitia audi quæso.

Hieronym.

Insidias tendere diabolicum est.

Psal. 140.

Cassiodor.

Ioan. c. 10.

Chrysost.

2 Si humana cum diabolica cõiuncta sæuitia numquam destitit martyres

tyres excruciare, si nullũ fuit tormentorum genus, quod martyres experti non sint; quid est, quòd per Ecclesiastici os nihil sic sese timuisse fatentur, vt laqueũ linguæ iniquæ; quapropter antè verbera,& illusiones;antè pugiones, & gladios; antè bestias, & ignes veluti tormentorum tormentum incapite laqueum linguæ iniquæ posuerunt? *Confitebor tibi Domine rex, &c. Confitebor nomini tuo,&c.quoniam liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ.*cap.51. An bestiarum vngues,sectiones,& combustiones minores linguæ laqueo apparebant? Ità prorsùs ait Carthusianus;& adeò minores, vt penè dulces in eius comparatione cædes existimarẽtur,& clades. Quis autem fuerit sæuissimus hic laqueus, explicat ipse his verbis: *A laqueo linguæ iniquæ,idest à verbis vitiosis,ac deceptorijs.* art.52. ergo fustibus cędi,telis cõfigi,machęris transuerberari, igne comburi,priùs per ferarum rictus tumulari,quàm mori penè nihil sunt respectu verborum fallaciũ? Nil sanè aliter,nàm vt 1.Tristium cecinit Ouidius:

Impia sub dulci melle venena latent.

3 Fortissimus ille bellator Dauid, qui in adolescentia, & cum leonibus tamquam cum agnis lusit,& bellicosũ Philistęum tamquam catellum lapide percussum occidit:Qui in iuuentute hostium vires confregit,& agmina: Qui in virilitate deniq; insurgentibus contra se castris non timebat,& exurgentibus contra se prælijs in hoc ipse sperabat; Saulis tamen labia semper ipsum extimuisse reperio: Vndè sępè vt affatum amitteret, exorabat, vt paret ex illo psal.30. *Muta fiant labia dolosa,* vbi addit Lyranus; *Scilicet Saulis.* quæ tunc maximè timuisse,atq; vt muta fierent, orasse opinatur Lyranus, cũ se filiũ suũ ab eo vocari audiuit: *Num hæc vox tua fili mi Dauid?* 1.Reg.14. Nec vacat mysterio,quòd bellicosus Dauid nõ Saulem,nec Saulis iram,sed eius labia melle linita se filium vocantia formidaret, quia cùm nulla possit simulationi comparari indignatio, nũquã magis Saulem sibi indignatũ existimauit, quàm cùm se filium vocari audiuit: *Muta fiant labia dolosa,* ait modò dictus Lyranus, *scilicet Saulis,quia aliquandò vocabat Dauid filium, sicut habetur 1.Reg.14. vbi dicitur: Dixit Saul numquid hæc vox tua fili mi Dauid? tamen posteà quæsiuit eum ad mortem.* En quomodò labia timet,qui timere ignorabat; & verba exhorruit, qui exercitibus erat terrori,quia optimè noscebat,quàm sint pauendi molliti sermones. Vndè Bernardinus Senensis tom.1. Sabbat. post 3. Dom. Quadragesi. serm.32. de duplicitate art,2.cap.3. explicans illud eiusdem Dauidis:*Molliti sunt sermones eius super oleum.* psal.54.hunc dicit in modum: *Sicut nouacula inter alia habet tria: Primò enim abscondit aciem in manubio; secundò acuitur super lapidem oleo vnctum;& tertiò linitur,secat,& radit, Sic etiam lingua dolosa: Primò occultat malitiam praua intentionis; Secundò autem acuitur super lapidem oleo vnctum, cùm antè dolum præcedit adulatio quædam, iuxtà illud propheticum:Molliti sunt sermones eius super oleum,& ipsi sunt iacula. Tertiò linitur,secat,& radit scilicet bona temporalia: Vndè quasi continuè malitia cordis suggerit menti praua illud Ezech 5. Sume tibi gladium acutum,radentem pilos.*

4 Implexa nimis est quæstio illa; Cur Simeonis,& Leui indignatio pertinax ab eorum patre vocetur, & vt durissima maledicatur: *Maledictus furor eorum,quia pertinax?* Genes.49.si à sancta Iudith non solum commendatur,verùm Deo etiam auctore,atque inciratore Sichimitarum cędes facta prædicatur; nàm c.9.libri eius in precatione, quam ad Deum habuit, hæc inter cętera eam dixisse reperio: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarũ, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem: & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem;& omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum;*per quæ à Deo in Sichimitarum vltionem gladium Simeoni datum asserit;cùm hoc significet illud, in defensionem alienigenarum, quomodò pertinax vocatur furor,& maledicta eorum indignatio? Si sic Phinees in scri-

Ecclesiast. 6.51.

Carthusian.

Simulatione nihil.

Ouidius.

Psal.30.

Lyranus.

1.Reg.c.14.

Idem.

Nil ea formidabilius.

Psal.54.

Bernard. Senens.

Subtile malum.

Genes.c.49.

Iudith. c.9.

Digitized by Google

scripturis extollitur zelus, cur Simeonis, & Iudæ non tantùm non commendatur, verùm corripitur etiam, & punitur? Difficultatem, haudquaquã me latet, Magistrum historiæ scholasticæ, & Dionysium Carthusianum, super dictum Iudith locum soluisse dicendo; quòd Sichimitarum cędes considerari tripliciter poterat, ex parte Dei, ex parte interfectorum, & ex parte interficientium; & quòd ex parte Dei iusta fuit, quia decuit Deum fædissimum illud stuprum nequaquã inultum dimittere; & similiter, quòd ex Sichimitarum parte iusta prædicari potuerit vltio, quia de scelere, vel ab ipsis, vel apud ipsos commisso nullam egerant pœnitentiam; ex parte verò Simeonis, & Leui, multis de causis iniustam fuisse asserunt. Lyrani tamen magis mihi arridet opinio asserentis, quòd non zelus (nàm Dei offensam vlcisci laudabile erat: *Dicendum quòd in facto illo duo fuerunt, scilicet zelus vlciscendi stuprum, & illud fuit licitum, & iustum*, super præfatum Iudith locum) sed modus incusetur, ac maledicatur à Iacob: & si quis fuerit hic modus maledictione dignus inquires: simulatam amicitiam respondebit ipse: *Aliud quod fuit ibi, fuit modus vlciscẽdi, qui fuit malus, & proditorius, in quantum filij Iacob fregerunt pactum habitum cum Sichimitis, & sic reprehendit illum Iacob.* Ergo non vltio, sed simulatio Iacob displicuit? Ità certè, nec aliter esse poterat, nàm hac, qui vtitur, semper modum in vlciscendo transgreditur.

Lyranus.

Idem.

Proditio iustis semper inuisa.

5 Verùm non tàm ad rem nostrã facit, quòd Simeonis, & Leui furor pertinax vocetur, quàm quòd ipsi vasa iniquitatis bellantia nuncupentur: *Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellãtia.* ibid. quia si vas iuxtà Tostati sententiam à continendo vas dicitur, cùm simulationem, quæ iniquitas per antonomasiam dici solet, in corde contineãt vafres, iniquitatis vasa iure optimo appellantur: *Dicuntur ergo Simeon, & Leui vasa iniquitatis, ideſt homines cõtinentes iniquitatem; & propriè dicuntur vasa iniquitatis illi, qui tenent malitiam in corde radicatam, sicut vas intra se aliquid continet, & conuenit propriè Simeoni, & Leui quãtum ad proditionem, quam tenuerunt contra Sichimitas facto pacto in dolo.* Modò dictus Tostatus: facilè itaque cur iniquitatis vasis versipelles comparentur, innotescit. Verùm quæ cohærentia posteà inter vasa, & prælia? Quis vnquam vasa bellare vidit, quòd bellantia dici debeant? Implicitus sanè loquendi modus, quem vt percipias, ad illam te mitto difficultatem: Quid est, quòd Christus, qui blãdè inimicis, ac comprehẽsoribus erat loquuturus, phariſæorũ discipulis ipsum magistrum bonum, sanctum, iustum, & à Deo missum vocãtibus tàm acritèr respõdit: *Quid me tentatis hypocritæ? &c.* Matth. 22. Si quia isti ab hostibus missi erant, ab amicis certè mittẽdi non erant illi: Si quia isti eũ comprehendere satagebant, funibus illi de facto erant eũ comprehẽsuri, & vinctũ ad iniquissimos iudices ducturi; cur igitur quàm blãdè cum illis, tàm acritèr se gessit cum illis? Difficultatem enucleauit Imperfectus homil. 42. in Matth. dicendo, quòd bellaturi quidẽ erant hostes contra Christum, sed vasa iniquitatis bellantia dici non merebantur, quia aperto marte id contra eum erant facturi; isti autem quia subdolè eum capere studebant, vasa erant iniquitatis acriùs nimis contra Christum pugnantia, quàm hostes manifesti; propterea contra eos maximè, vt maximè pugnãtes inuehitur Saluator, quod innuere videtur Euangelista verbis illis: *Cognita Iesus nequitia eorum dixit: Quid me tẽtatis hypocritæ?* Allatus Imperfectus: *Isti catenam subdola laudis portantes in ore, & gladium malitia abscondentes in corde taurum ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant, de quo tauro prophetans Iacob ex tunc increpabat Leui filium, quia de Leui erant nascituri sacerdotes, qui interfecturi erant Christum: Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia, &c.* Hæc ipse, quibus cur vafres vasa iniquitatis bellantia dicantur, nulla ampliùs ambigendi remanet causa, dùm liquidò cõstat neminem contra Christum, nec contra quemquam tàm acritèr pugnare solere, vt versipelles. Vndè non dentibus, nec ore, sed cauda, quæ blandiendi consueuit esse instrumentum draconem tertiam stellarum partem tra-

Matt. 22.

Imperfect.

Nemo acriùs pugnat, quã qui fictè, fraudulenterque blanditur.

Genes. c. 49.

Tostatus.

Versipelles iniquitatis vasa cur dicti?

xisse

xisse describitur, quia nullus tot sternit, nec sic acriter pugnat, quàm qui fictè, fraudulenterq; blanditur.

6 Aequum minimè existimo ad modò dictorum roborationem silere, nusquam Christum lõginquius fugisse, nec diutius à suis cõciuibus exulasse, quàm Herodis tempore; nàm eo superstite haudquaquam redeundum iudicauit: *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsq; dum dicam tibi.* Matt. c. 2. Fugit equidẽ cùm ſè montis supercilio hostes eum præcipitare voluerunt, sed qua pollebat potestate, per medium illorum transiens in Capharnaum Galileæ ciuitatem descendit, Luc. 4. Fugit sanè cùm lapidibus ſe appeti vidit, sed tãtũ de templo tunc exijsse narratur: Herodis autem tempore, & longè fugit, & diu abfuit; quid est hoc? An fortè plus humilis erat metuendus, adorator, quàm petulantes inimici? Prorsus ità ait Imperfectus homil. 2. in Matth. rationemque adducit, quia plus, sæuiusque in Christum Herodes blandiendo, quàm hostes palam crudescendo pugnabat: *Talis est consuetudo malignorum*, ait modò dictus Imperfectus, *quandò aliquem in occulto grauius volunt lædere, humilitatem illi, & amicitias fingũt.* Optimè igitur vasa iniquitatis bellãtia veteratores vocãtur, quia acrius ipsi blandiendo, quàm alij persequendo belligerant.

Matt. c. 2.

Imperfect.

Sæuius blãdiẽdo, quàm persequẽdo bellatur.

7 Cæterùm parum Drogonem vasa hęc iniquitatis bellantia carpsisse existimans, dùm ea mulis propter duplicitatem, atq; malitiam cõparauit cùm lib. 1. de sacramento diuinæ passionis dixit: *Mulus ex equo, & asino mixtus, est duplex animus, qui foris ostentat, quod intus non seruat. Talis erat Iudas, talis Absalõ: foris pietas, intus malitia: Duplex iniquitas; equus manifestè tumet, asinus simpliciter ambulat, mulus nequam, & subdolus incautum præcipitat;* addo, verſipellem fictè, fraudulenterq; decipientem horrendum monstrum, nusquam aliàs visum censeri debere, atque vocari; quam rem ex eo facilè mihi suadeo, quia si duobus capitibus, vel tribus brachijs potiri monstruosum procul dubio esset, quis mõstrum nõ vocabit illum, qui vnus cùm

Drogo.

Mulis comparantur simulatores, & quare?

fit, duo corda se habere demonstrat? Et nè gratis me verſipelles viros bicordes vocasse existimes, sapientissimum audi Salomonem: *Ne accesseris ad illum duplici corde.* Eccleſiast. 1. Vbi S. Antonius Paduanus in mystica expositione adamussim meam firmans sententiam, per pessimum hoc mõstri genus vafrem intelligit: *Natura non patitur monstra in corde, quia est membrum, quod est vitæ principium: & ità sicut homo non potest habere duas vitas temporales eiusdem speciei, sic nec duo corda potest habere.* An non illum nouum monstri genus vocabis, qui quod natura nõ patitur, efficit? Sanè si tali eum nomine nuncupabis, à vero minimè te deuiare existima.

Eccleſiaſt. c. 1.

Ant. de Pad.

Pessimũ mõstri genus verſipelles.

8 Quanto posteà hoc mõstri genus iustissimo odio fuerit sẽper Deus prosequutus, satis declarari arbitror si dicatur; nusquam alibi copiosius thesauros iræ suæ ipsum effundere solere, quàm in vasa hæc iniquitatis ad interitum, vt dixit Paulus ad Rom. 9. reseruata: pro cuius dicti probatione aurea est illa Bernardi quæstio: Cur Christus in cruce pro crucifixoribus orans: *Pater dimitte illis*: Luc. 23. aliquam tanti sceleris addẽdam putauit excusationem: *Non enim sciunt quid faciunt?* Et illicò responsionem idem adducit Bernardus dicendo, quòd vt nõ pro doctis, sed pro ignorantibus se rogasse ostẽderet, verba addidit illa: *Non n. sciunt, &c.* Quòd si vlterius quænam sit hæc scientia adeò Christo inuisa, vt pro scientificis orare renuerit, inquires: fallendi scientiam esse respondebit Bernardus, & sic pro huiuscemodi indoctis orãdo, vafres decipiendi scientia pollentes, à sua oratione (vt venia minus dignos, immò vt iustæ vltionis obiectum) excluſit. Appositè Bernardus ſerm. de conuersione ad clericos cap. 27. *Nemo n. magis iram meretur, quàm amicum simulans inimicus. Non est huic pars in oratione, qua orat ad patrem, & dicit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* En quomodò vasa iniquitatis bellantia, vasa iræ ad interitum reseruata euadunt, dùm non minùs insontes, quàm sontes callidè decipiendo, non ignoranter, sed scienter multorum operãtur ruinam. Idem

Luc. c. 23.

Bernardus.

Pro vafris Christus in cruce minimè orauit.

Digitized by Google

prorsùs argumentum, quòd ſcilicet vaſa iniquitatis dolum moliendo, vaſa iræ ad interitũ reſeruata dcueniãt, proſequutus eſt D. Antonius Paduanus in myſtica expoſitione ſuper locũ illum Apocalypſis 6. *Ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum*: Vbi hæc habet: *Equus pallidus ſignificat falſos fratres, ſimulatores, & callidos, qui ſuper ſe prouocant iram Dei*. Et optimo quidem iure hos verſipelles liuore pallidos mors ſequitur, & infernus, quia in duplicitatum pœnam poſt ſubitaneam mortem, morte conteruntur æterna.

Apoc. 6.

Ant. de Pad.

Simulatores inſtiſſimè diuinæ indignationis obiectũ.

9 Deniq; ſi præfatis minimè ſatisfactus, quàm ſemper Deus diabolicũ, infernaleque hoc deteſtatus ſit vitium, vlterioribus argumentis videre exoptas; Deuteronomij cap. 22. percurre, & propterea, iuxtà Gregorij ſententiam, veſtem ex lana, & lino contextam prohibitam fuiſſe videbis: *Non indueris veſtimento, quod ex lana, linoq; contextũ eſt*, quia duplicitatis erat figura: *Per lanam quippe*, ait præfatus Gregorius, *ſimplicitas, per linum verò ſubtilitas deſignatur. Et nimirum veſtis, quæ ex lana, linoq; conficitur, linum interius celat, lanam in ſuperficie demonſtrat. Veſtem ergo ex lana, linoque contextam induit, qui loquutione, vel actione, qua vtitur, intùs ſubtilitatem malitiæ operit, & ſimplicitatẽ foris innocentiæ oſtẽdit.* lib. 8. moral. cap. 31. Luſtra etiam Matt. cap. 8. nàm ibi idcircò adoleſcentem, qui ſe futurum Chriſti diſcipulum ſpondebat, reiectum à Saluatore reperies, quia veluti vulpecula callidè loquebatur. Vndè Auguſtinus in Chriſti perſona adoleſcentem hunc in modum alloquitur: *Vulpes enim habent foueas in corde tuo, quia doloſus es. Quomodò ergo doloſus ſequetur ſimplicitatem?* Videndus eſt etiam Ambroſius 3. officiorũ cap. 10. & cap. vltimo plura de hac re dicens.

Deuteron. c. 22.

Gregorius.

Veſtis ex lana, & lino cõtexta cur vetita?

Auguſtin.

Sæpe Deo inuiſa duplicitas.

Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis. Ioan. 10.

§. III.

Quemadmodum autem citò excitantibus Dei vocibus præbere magnum eſt prædeſtinationis indicium; Sic diù illis non cedere maximum eſt cenſendum reprobationis præſagium.

1 NVllum certum, nullum euidens, nullumque clarum prædeſtinationis dari argumentum pluſquam ratum apud te exiſtimo, quia ſi prędeſtinatio propriè ſumpta, iuxtà Scoti ſententiam in 1. diſt. 40. dicit actum diuinę voluntatis, ordinem videlicet electionis per voluntatem diuinam alicuius creaturę intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam; cùm nobis nullatenus diuinæ voluntatis innoteſcant decreta, nec certam, nec euidentem in ſtatu iſto de alicuius prædeſtinatione ſcientiam habere valemus. Et licet in ſacris paginis plura extẽt rei huius ſigna, & adſint indicia, ſicuti baptiſmo inſigniri, iuxtà illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Marc. 16. Dei verbum audire, dicente Saluatore: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Ioan. 8. Tribulationibus impræſentiarum cumulari, vt ait Paul. ad Hebr. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* c. 12. Miſericordia flagrare, ſecundùm illud: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matt. 5. Præcepta ſeruare, per Matthæum ipſa teſtante Veritate: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* c. 19. Et deniq; licet penè innumerabilia in ſacris paginis diuinæ electionis reperiantur indicia, ſemper tamen diuinis auxilijs non reſiſtere, ſed illicò gratiæ præuenienti reſpõdere certius (ne minus incertum dicam) æternæ prædeſtinationis duxi præ-

Prædeſtinationis deſcriptio, quæ?

Marc. c. 16.

Ioan. c. 8.

Prædeſtinationis ſigna.

Hebr. c. 12.

Matt. c. 5.

Matt. c. 19.

Digitized by Google

præsagium; quod meum quidem non est, sed Carthusiani, qui supra præfata
Ioan. c.10. Saluatoris verba: *Oues meæ vocem meã audiunt.* Ioan.10.vocis nomine non verbum vocale, sed diuinas intellexit inspirationes, vt esset sensus: Oues Christi illicò diuinis assentiendo inspirationibus, ad vitam se prædestinatas ostendunt: *Si de solo corporali loqueretur auditu, isti quoque Iudæi, quibus præsentialiter respondebat, oues fuissent. Loquitur ergo præcipuè de interiore auditu, ideſt de obedientia, & consensu. Vt sit sensus: Oues meæ, ideſt homines, quorum corda per gratiam nutrio: vocem meam audiunt, hoc est inspirationi internæ obediunt, saltem antequam de hoc seculo auferantur.* art.27.in quo ab hædis se differre ostendunt; quia quã pertinaciter isti diuinis semper repugnant vocationibus, tã flexibiliter illæ cuilibet cedunt inspirationi, q̃ disparitatem prædestinationis, ac reprobationis esse indicium, satis liquidò adducenda ostẽdent.

Carthusian.

Diuinis inspirationibus reseratã habere aurẽ præcipuum prædestinationis signũ.

2 A pluribus sacræ scripturæ locis præsens auspicari possem argumentũ, vt ex illo psal.44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Vbi rectè illa anima per adoptionem filia appellatur, quæ audit; quia ille se regni hæredem ostẽdit, qui Dei inspirationibus aurem inclinat. Quod tangere videtur Incognitus verbis illis: *Attende, quòd hic alloquitur Psalm. Ecclesiam, quæ non dum erat, sed futuram, ideſt ipsam gẽtilitatem, ostendens quid debeat facere, vt à Christo in sponsam, & reginam acciperetur: Audi, & inclina aurem tuam.* Et ex illo: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* psal.17.quia, vt ait Bernardus serm.28. in Cant. nimis felix est ille, qui in auditu auris relicto peccatorum cæno Deo seruire incipit: *Felix, cui veritas attestatur dicẽs: In auditu auris obediuit mihi. Dignus qui videam, si priusquam videam, obedisse inueniar. Quã beatus qui ait: Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non cõtradico.* nihilominus aureus est, inter cætera, locus ille Iobi 42. vbi habetur; quòd completo agone, parta victoria, reportato de Satana triumpho, restitutisq; nedùm in pristinum, verùm in melius etiam sancto viro bonis, dũ vltrà præ-

Psal.44.

Incognitus.

Psal.17.

Bernardus.

Beatus, cui Deus aurẽ aperit.

dia, & domos; vltrà seruos, & armenta; diuitijs multis affluere Iob, amicorum quilibet ouem vnam, & inaurẽ auream vnam ei largitus est: *Dederunt ei vnusquisq; ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Obstupui (fateor) quoties antehac in rem incidi istam; tum quia affluentiæ tempore importuna videbantur munuscula, quæ fortè inter egestates satis opportuniora fuissent; tum etiam quia non parum inter se dispares oues sunt, & inaures. Vndè Gregorius: *Quid verò aut ouis ad inaurem pertinet, aut quid inauris ad ouem?* lib.35.moral.c.9. tamen nunc ad mysticam interpretationem confugiens, non vulgare in re hac mysterium latere agnosco, illud dico in prædestinato, & vocatione; quia si per ouem electus, per inaurem inspiratio designatur: & sic bene ouis cum inaure concordat, quia ille se ouem, hoc est prædestinatum ostendit, qui reseratam cordis aurem diuinis inspirationibus tenet. Vndè Gregorius: *Qui inaurem hanc non habet, signum est ad oues Dei non pertinere.* Iure optimo quilibet Iobi amicus ouem ei cum inaure attulit, nàm illũmet, quem paulò antè à patientia, atq; veritate cecidisse (sed temerè quidem) asserebant, nunc quia diuinis agnouerant inspirationibus obtemperasse, Dei ouem, immò Dei amicum, cælestisq; regni hæredem muneribus mysticè prædicabant. Viuat semper Origenis memoria, qui loco prefato hanc mihi expositionem suggessit: *Notandũ verò est, quòd hoc loco cum inaure ouis, eum oue inauris affertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ iungitur: Domino attestante, qui ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me.* Aurea sanè omnia, sed maximè illa: *Cum inaure ouis, & cum oue inauris affertur,* doctum probant institutum, nullum sic se Dei ouem ostendere, sicut, qui semper cordis aurem ad audiendum reseratam tenet, & ad obediendum paratam.

Iob. c.42.

Gregorius.

Idem.

Origen.

Nũquam sine inaure Dei ouis.

3 Verùm quia vocis nomine, quam in electionis signum Christi oues audire debent, gratiam excitantẽ me dixisse non fugit, omisso Iobo, qui iustus extitit semper, ad Zachæi histo-

Digitized by Google

riam confugio, subtiliterq; quodnam speciale prædestinationis signũ ostendisset Zachæus, propter quod Veritatis ore Abrahę filius diceretur: *Eo quòd & ipse sit filius Abrahæ.* Luc.19.ingro: Si quia Christũ Dominum in domũ suam excipere meruerat: eũdem excepit & Martha, quæ licet Abrahæ filia esset & ipsa, tamen ob hoc præcisè tãti patris soboles minimè nuncupatur: Si quia vt alienis consuleret necessitatibus, etiam propria fuerat largitus; idipsum sanè effecerunt multi, qui nihilominùs propter largitatem solummodò Abrahæ filij dicti non fuerunt; vndè ergo talis, tantaq; Zachæi prærogatiua? Num fortè quia speciale aliquod prædestinationis signũ ostendit, Abrahæ filius prædicari meruit? Nil aliter Titus dicit Bostrorum episcop. Et si vlteriùs, quodnam hoc fuerit inquires; præfati Euangelistæ calamum rem declarasse respondeo; nàm Zachæum non in sordibus perstitisse, sed illicò diuinis inspirationibus respondisse scribendo, vndè se Abrahæ filium declararet, ostendit. Modò dictus Titus: *Statim vt Christus Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, diuinitatis oculum in eo defixit, blandaque, & amica voce eum appellauit. Non perstitit Zachæus in sordibus.* Perindè ac si diceret: Si primæ vocationi cedendo Zachæus anteactam detestatur vitam, aliena restituit, propria libenter largitur, Christum sequitur, totumque se mutatum ostendit, iurè Abrahæ appellatur filius, quia primum pastoris consilium audiendo, ad dominicum gregem se spectare declarauit.

Luc.c.19.

Titus.

Quodnam speciale prædestinationis signum ostendit Zachæus, quòd Abrahæ filius nuncupatur?

4 Nè nouos luporum pateretur incursus in caulam Domini, immò in paradisum ipsum ouis ducitur illa, quæ dixerat: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum:* Luc.23, nec mirabile Theophylacto apparuit; quòd iuxtà illud Matth. 24. ex duobus in agro repertis vnus tantummodò assumatur, quia vnus Domini vocem audiendo dominici gregis se oũ ostenderat. Mox dictus Theophylactus: *Verisimile est, quòd primùm quidem duo eũ conuiciati sint: deindè vnus eorum cordatior, agnoscens bonitatem Iesu ex voce: confutat & alterum latronem, & ad Iesum dixit: Memento mei.* Quid si relicta pertinacia alter æquè dominicæ voci cessisset? Non in agro relictus, sed cum socio ad æternæ felicitatis ouile ductus fuisset.

Luc.c.23.

Theophyl. Ex audita se dominicæ caulæ ouem ostendit Latro.

5 Centurionis arguendi modum prorsùs stupet Bernardus serm.28.in Cantic. quòd scilicet ex occasu, veluti ex veris, necessarijs, ac per se notis præmissis Christi Deitatem inferret, dicente Marco: *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.* c.15. Si nil vt mors sic Deo repugnat, quonam pacto ex ipsa Dei filiationem infert? Nec difficultatem quorumdam soluit opinio asserentium per præfata Centurionem non Christum Dei filium, Patri coæternum, nec illi coæqualem; sed specialiter sanctum, & præ cæteris Deo carum asseruisse, nàm ex virtute morientis, & ex potestate moriendi, quam in clamore valido ostendit, verum Deum ipsum confessum fuisse autumat Hieronymus, qui Arrij carpens impietatem hunc dicit in modum: *Nota quòd Centurio verè filium Dei confitetur, & Arrius in Ecclesia prædicat creaturam.* Citatus à Glossa super Matth. 27. Cuius sententiæ sunt Euthymius, Ericius, Christianus Druthmarus, Vgo Card. Paulus de Palacio, nonnullique alij, quod si verum est, vt existimo, rationabiliter nimis stupet Bernardus, q ex morte, vel ex moriendi modo Dei filium Christum confiteretur Centurio, cùm ex talibus præmissis verum hominem potiùs, cui desinere esse nõ repugnabat, inferre debuisset: Tãdem quid mirum concludit Bernardus, quòd Christum agnoscat, illumque Dei filium confiteatur Centurio, si Dei ouis erat, quæ non ex occubitu, nec ex moriendi modo, sed ex voce pastorem agnoscit, illumq; confessione tunc sequutus est, posteà morte, vitam pro ipso fundẽdo. Audi ipsum loco citato: *Ex voce agnouit filium Dei, non ex facie. Erat n. fortassè ex ouibus eius, de quibus ait: Oues meæ vocem meã audiunt, & cognosco eas, & cognoscunt mè meæ.* Et statim: *Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad vnam expirantis vocem sub tot infirmitatis indicijs*

Hieronym.

Bernardus.

Centurio Dei cum esset ouicula, ex voce agnouit, q ex facie non agnoscebat.

Digitized by Google

dicijs **Dominum maieſtatis agnouit.** Hæc ipſe, quibus ſatis apertè illos Dei oues oſtendit, qui aure circumciſi facilè paſtoris audiunt vocem.

6 Porrò quia Centurionem in auditu auris obediendo, Dei ouem ſe oſtendiſſe mòx diximus, minimè prætereundã hãc duco difficultatẽ: Quid eſt, quòd ad ſingularem ſponſæ ornatum, inaures in murenarum forma, ſe ei ſponſus facturum promiſit: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento?* Cant. 1. Si ab initio inter ſerpentem, & mulierem declarata fuerat cõtentio, & indictum bellum: cũ murena lõgitudine, ac rotũditate ſerpẽtis potiùs, q̃ piſcis ſimilitudinẽ geſtet, cur ſpõſæ murenulæ tribuũtur? Et poſteà, quod maiori ſtupore dignum cenſeo, cur non ad brachij, vel pectoris, vel capitis, vel alterius corporis partis, quòd ad aurium ornatum aſſumuntur? Angerer equidèm talibus ſepitus dubijs, niſi murenam ſerpentis ſibilo obtemperãtiſſimam deſcriberet Bercorius cap. 70. de murena, vbi hæc habet: *Murena ſecundùm Iorath, & ſecundùm Ambroſium numquàm concipit à ſuo ſimili, ſed à ſerpente, quem ſibilo prouocat, & inducit.* Sic ipſe, ex quo facilè cur ſponſę inaures in murenularũ forma fieri deberent, percipio; quia illa anima Dei cenſenda eſt ſponſa, quæ murenulas in aure habet, hoc eſt, quæ primam Dei inſpirationem audiens, veluti murena, relicto mundi æquore ad Deum, vt ſe ſpiritualiter cum illo maritet, confugit. Dicere id videtur Gomezius ſuper cap. Ioan. 8. *Quia verò animam maximè oportet talibus inauribus, ſeù audiendi deſiderijs nõ eſſe priuatam, ipſi ſub nomine ſponſæ ſignificatæ, eas pollicebatur diuinus ſponſus, dicens ei: murenulas aureas dabimus auribus tuis.* Optima certè ſpõſæ, & murenularum connexio; quia ſponſa non eſt, quæ ſponſi vocibus aurem non præbet. Vndè Bernardus ſerm. 41. in Cant. in ſponſi perſona ſponſam, vt talibus ſe decoraret inauribus, his verbis hortatur: *Gradus eſt auditus ad viſum. Proindè audi & inclina aurem tuam, ornamẽtis quæ tibi facimus, vt per auditus obedientiam ad gloriam peruenias viſionis.*

Cant. c. 1.

Bercorius.

Spõſæ inaures cur in murenularũ figura?

Gomez.

Signũ quo oues Chriſti cognoſcuntur, in aure geſtãt, illud eſt, vocẽ eius audire, & ſibilo eius dulci parere.

Bernardus.

7 In ipſo vocationis exordio vas electionis nuncupari eximium fuit Pauli priuilegium, at nil ſanè mirum, quia ſi primum paſtoris audiens ſibilum: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. ac ſi murenulas ſe in auribus habere agnouiſſet, relicta pſidia ad paſtorem confugit: *Domine, quid me vis facere?* ibid. vbi Auguſtinus: *Iàm parat ſe ad obediendum, qui priùs ſæuiebat ad perſequendum;* iure optimo in ipſo vocationis exordio electus, & prædeſtinatus vocatur. Tetigit rem Cornelius à Lapide verbis illis: *Fuit vas electionis, quia ſtrenuè, & ardenter vocationi, & electioni diuinæ cooperatus eſt, iuxtà illud: Gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius omnibus laboraui.* Vides quomodò diuinæ, qui reſpondet vocationi, gratiæq; excitanti qui cooperatur, Dei ouis, electionis vas, & prædeſtinatus vocatur. Quod expreſſiſſimè aſſeruit Dauid, cùm in iuſti perſona dixit: *In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.* Pſal. 40. quia per ipſa (ni mea me fallit opinio) dicere intendebat: ex eo maximè æternæ feror beatitudinis ſpe, quia tua adiutus gratia, diù in peccato minimè perſtiti, ex quo per peccatum longè ſuper me gaudere inimicus non potuit.

Act. c. 9.

Ibidem.

Auguſtin.

Cornel. à Lap.

Vas electionis à vocationis exordio nũcupatur Paulus, & quare?

Pſal. 40.

8 Secùs verò diuinis non reſpondere vocationibus, reprobationis indicium eſſe, vltrà dicta in pſalm. 17. *Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt;* ex quibus apertè habetur, quòd propterea filij alieni, hoc eſt diaboli, appellantur nonnulli, quia diuinas inſpirationes contemnendo in vitijs inueterauerunt. Vndè Titelmannus: *Filij iſti alieni, quos ego nõ pro meis ouibus agnoſco, in vitijs ſuis inueterauerunt;* audi ſi libet: ſupra quàm cogitari poteſt inſanientibus in deſerto Iſraelitis, deoſq; ſibi fieri popoſcentibus, licèt inuitus, vt tamẽ populi furorem effugeret, annuit tandèm Aaron; ſed cum' hac cautione, vt efformandus deus de vxorum, filiorum, filiarumq; inauribus fieret: *Tollite inaures aureas, de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Exod. 32. Hæc Aaron, quæ non paruam ſacræ ſcripturæ Expoſitoribus ſpeculandi tribuerunt anſam: Si æquè in Idola-

Pſal. 17.

Non illicó diuinis reſpõdere vocationibus reprobationis indiciũ.

Titelman.

Exod. c. 32.

Digitized by Google

Idolatriæ scelus incidebant lapides, ac aurum adorãdo, cur vt ex auro fieret, vrget Aaron, & instat: & posteà si aurum vim (vt ità dicam) in se ad idololatriam impellendi continet, iuxtà illud 3. Aeneid.

Virgilius. *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames?

Cuius virtutis conscius (ni fallor) Nabuchodonosor, vt populos ad sui adorationem facilius incitaret, statuam se representantem non ex lapide, nec ex ære, sed ex purissimo auro fieri præcepit; idcircò nè ad idololatriã pnos proniores efficeret Aarõ, nequaquàm ex auro vitulum conflare debebat: Nec mihi asserentium satisfacit opinio, quòd eapropter ad ornatum spectantia poposcit, quia populi, & mulierum præcipuè vanitatem dijs potiùs, quàm ornamentis priuari se velle existimabat, & sic non idololatriã accendere, sed illã p hoc impedire posse putabat; nàm si hoc pre oculis habuisset Aaron, eadem ratione anulos, armillas, & monilia petere potuisset, quod tamen haudquaquàm effecit. At si, vt paulò superiùs dixi, in prædestinationis signum oues, & inaures Iobo datæ fuerunt, vt mysticis muneribus Dei ouis prædicaretur ille, qui semper cordis aures diuinis inspirationibus paratas habuerat; iure optimo populus idolis seruire cupiens inauribus spoliatur, quia iuxtà allatam Gregorij sententiam, auditu carẽtes ad oues Dei non pertinebant. Astipulatur Tertullianus lib. aduersus Gnost. cap. 3.

Tertullian. *Aaron iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri: amissuri.n. erant in iudicium sibi vera aurium ornamenta, Dei voces.* Optimè sanè in iudicium sibi aurium ornamenta deposuisse dicuntur idololatræ; quia per hoc inobediẽs populus non ad ouile, sed ad hædile se pertinere declarauit.

Cur vitulus ex inauribus effectus?

9 Hallucinor, nisi hoc præ oculis Petrus habebat, quandò Malchum ferire volens non in capite, nec in alia corporis parte illum percussit, sed auriculam tantùm ei abscidit: *Abscidit auriculam eius dexteram.* Ioan. 19. quia si Malchus hebraici populi duræ ceruicis, auribusque incircumcisi gestabat figuram, priuari auribus, non potiri debebat, cùm in reprobationis signũ multò iàm priùs auricularũ ornamenta proiecerit: *Per Christi discipulum* (ait Hilarius) *inobediens auditus exciditur, & hoc quod erat inaudiens, amputatur*: Nec caret mysterio, vt Origenes ait, quòd Malcho non sinistra, sed dextera abscindatur auricula: *Abscidit auriculam eius dexteram*, quia si reproborum sinister est locus, longè à se abdicanti populo inaures, quod remansit, sinistrum fuit: Sicuti è conuerso gentili populo reiectas ab hebræis inaures assumenti in electionis præsagium totum dexterum accidit. Mòx dictus Origenes: *Videtur autem mihi, quòd qui ex gentibus crediderunt omnes vnus populus constituti in Christo, per hoc ipsum, quod crediderunt in Christum, facti sunt causa, vt præcideretur iudæorum auditio dextera, secundùm quod fuerat prophetatum de eis: Grana aures populi huius, & oculos eorum deprime, nè videntes audiant, & audientes intelligant, & conuertantur, & curem eos.* En quomodò auditu carens, inspirationibus scilicet diuinis inobediẽs, ad sinistram se pertinere declarat.

Hilarius.

Abscinditur à Malcho auricula, quia auditu carentes ad Dei oues nõ pertinent.

Origenes.

10 In terminis visa res est, quòd scilicèt ad sinistram pertinere se declaret, qui inauribus caret, in illo, qui absq; veste nuptiali conuiuij locum fuerat ingressus, quia non cũ impolitè indutus introiuit, sed cùm monitus siluit, & interrogatus obmutuit, è cõuiuij loco eiectus, & in tenebras exteriores proiectus describitur. Vndè Gualfrid. subtiliter verbum illud, *Tũc*, trutinãs: *Tunc ait Rex: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite in tenebras exteriores*: Matt. 22. non otiosè appositũ dicit, nàm cùm aduerbium temporis sit, tempus reprobationis declarat; illud scilicèt cùm regis vocibus respondere contempsit: *Tunc videlicèt*, Ait ipse, *non vbi ille sine nuptiali veste introiuit, sed postquàm admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.*

Matt. c. 22.

In tenebras exteriores ejicitur impolitè indutus, nõ quia sine veste nuptiali introiuit, sed quia admonitus siluit.

Gualfrid.

11 Pro conclusione contemnenda minimè est difficultas: Vndè accidit, quòd ad primam Patris vocem pauentibus discipulis peruicacior sẽper persistebat turba; nàm vt Matth. cap. 17. testatur intonante Patre: *Hic est filius meus dilectus: ipsum audite*, in

Ioan. c. 19.

Matt. c. 17.

facjem

faciem ceciderũt illi, ipſiuſmet poſteà perſtrepente è cælo voce: *Venit ergo vox de cælo: Et clarificaui, & iterùm clarificabo.* Ioann. 12. non vocem, ſed frãgorem quemdam factum fuiſſe exiſtimauit hæc: *Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum;* Magna ſanè inter hãc, & illos differentia, magnum diſcrimen; myſterio tamen non vacat, illudque dico in electis, & reprobis; quia vbi diſcipuli prædeſtinatorum figuram gerentes cuilibet inſpirationi acquieſcunt, & annuũt: turba (reproborum typus) vocationes reijcit, & contemnit. S. Gaudentius ad Neophytos ſerm. 9 *Vocem Dei patris circumdantium Iudæorum turba audiens de excelſis cælorum ſedibus reſultantem tonitruum putat, quia verba non aſſequitur: Populus.n. ſecundùm prophetam Iſaiam aure audiens, & non audiens, ſonum tantummodò diuinæ vocis audierat ſinè intellectu ſermonum.* Ex quibus omnibus ſpeculum ſibi vnuſquiſq; ſtatuere facilè poterit, vt cuius regionis ſit, contempletur.

Ioan. c. 12.

Gaudent.

Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te. Ioan. 10.

§. IV.

Verè mirabilis veritatis potentia, quæ ſuis teſtimonium etiam ab hoſtibus extorquet inuitis.

1 VEritatis potentiam plenè extulit Aeſchines, cùm in eius laudem hunc dixit in modum: *Adeò valida eſt veritas, vt omnes humanas cogitationes ſuperet.* Pleniùs verò Seneca in quadam epiſtola dùm eam quarumcumque calliditatum, inſidiarum, & fraudum victricem appellat verbis illis: *Magna eſt vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, ſolertiam; contra fictas hominum inſidias facilè ſeipſam defendit.* Pleniſſimè autem Tullius, qui eam nec patrono, nec defenſore indigere aſſerit, cùm de ſe ſola omnium inſidias, omniumq; machinationes facilè diſſoluat; Cuius verba ſunt: *Tantam ſemper potentiam veritas habuit, vt nullis machinis, aut cuiuſquam hominis ingenio, aut arte ſubuerti potuerit. Et licet in cauſis nullum patronum, aut defenſorem obtineat, tamen per ſeipſam defenditur.* Et pro Marco Cœlio ipſam tantæ virtutis aſſerit, quòd non obſtantibus impugnantium agminibus per ſe mortalium animis ſugitèr illabatur. Vndè clamat: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, cæteraſque fictas omniũ inſidias, facilè ſemper ſeipſam defendat!* Et pro Cluent. Improbitatis, & veritatis differentiam aſſignans ait, Si facilè illa deprimitur, hæc opprimi nullatenùs poteſt, quin emergat, & mendacium manifeſtet: *Multorum improbitate depreſſa veritas emergit, & innocentiæ defenſio interclusa reſpirat.* Sic veritatis vim, ac virtutem extulere præfati. Verùm aptiùs, pleniùſque (mea ſententia) eam deſcripſiſſent, ſi ab ipſis hoſtibus, licet inuitis, teſtimonium pro ſe extorquere ſolere dixiſſent: nàm eius potentia victi multotiès ipſam, velint, nolint, cõfiteri, ac prædicare coguntur. Vndè Chryſoſtomus hom. 3. ad Romanos dicere conſueuit: *Etiam qui veritati aduerſantur, per ea, quæ quotidiè & faciunt ipſi, & dicunt, declarant veritatis dogmata commendare, ac probare.* Quod ſi alio minimè demonſtrari poſſet argumento, ſatis hoc vnum eſſet, quòd acerrimi illi veritatis hoſtes, qui Chriſtum primam Veritatem inuidia tabeſcentes ſemper impugnare ſtuduerant, nunc eum bonum opus feciſſe confitentur: *De bono opere nõ lapidamus te.* Ioan. 10. Vbi S. Antonius Paduanus: *Ecce confitentur bonum opus;* ac ſi diceret: Si veritatem opprimere, & argutijs obruere ſatagitis, cur eã prædicatis? An ipſius potentia victi, licet inuiti illam tamen confiteri cogimini? Ità ſanè ait Chryſoſtomus in catena relatus ſuper illud:

Seneca.

Tullius.

Veritas patrono minimè indiget, cùm ſatis ſeipſam defendat.

Idem.

Improbitatis, & veritatis differẽtia quæ ſit

Chryſoſt.

Ioan. c. 10.

Ant. de Pad.

Aeſchines.

Veritatis explicatur potentia.

Ioan. c.18. lud: *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat, &c.* Ioan.18. *Tanta n. est veritatis potentia, vt & inimici eam personet.* *Chrysost.* Pro qua re, dictis dicenda subnecto.

2 Si mihi pulueri, & cineri Dominum, Saluatoremq; meum alloqui liceret, omni qua possem humilitate, quos in suæ doctrinæ testes aduocauit, quando à Pontifice de doctrina, & discipulis interrogatus, respondit: *Ioan. c.18.* *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid loquutus sim eis.* Ioan.18. percõtarer quidèm: quia etsi hostium testimonio par aliud reperiri non possit; vndè Theophylactus super citata Saluatoris verba ad indubitatam suæ diuinissimæ doctrinæ demonstrationem non discipulos, nec amicos; sed inimicos ipsos Christum in testimoniũ assumpsisse asserit, dũ in eius persona dicit: *Interroga inimicos, insidiatores, ministros illos, qui ligauerunt me: Ista .n. est veritatis indubitata demonstratio, quandò quis habet inimicos testes eorum, quæ dicit;* quis tamen se inimicis compromisit vnquàm? Quis hostium animum iàm mutatum asserebat, si tunc maximè in eum furebant? Cur in ipsis taliter confidit, & sic absolutè eorũ se attestationi committit? Difficultatem Augustinus inspexit, qui eam etiam soluit dicendo, quòd optimè inimicorum malitiam, odium, ac liuorem agnoscebat Saluator: tamen quia veritatem etiam ab hostibus testimoniũ extorquere non ignorabat, propterea hostes non solum non respuebat, sed assumebat in testes. Audi ipsum in catena relatum: *Ipsa .n. quæ audierant, & non intellexerant, talia erant, vt non possent iustè, ac veracitèr criminari.* En quare non amicos, sed inimicos ad pro se testandum aduocet Saluator, quia vellent, nollent veritatis commendare debebant præconia.

Theophyl. Indubitata veritatis demonstratio est, cùm quis inimicos in testes assumit.

Augustin. Hostes Christus assumit in testes, & quare?

3 Reticentia posteà tunc maximè ostensa, cùm eum è furentium manibus Pilatus eripere nitebatur, quid aliud indicabat, nisi veritatẽ minimè se defendere voluisse; sed ab hostibus ipsis prædicari expectasse: quod adamussim euenisse testatur Matth. 27. *Matt.c.27.* Nàm dicente Pilato: *Quid .n. mali fecit?* Non malum aliquod deponebant, sed clamoribus multis, vt ipsum crucifigeret, postulabãt: *Illi verò multò magis clamabant: Crucifige, crucifige eum.* ibid. *Ibidem.* Quod maximum erat veritatis testimonium, nàm satis clarè non delicto alicui, sed liuori se satisfacere velle declarabant: *Papæ quomõdò vincit veritas!* clamat Theophylactus, *Tacet Iesus, & testificantur pro eo inimici.* *Theophyl.* Et clariùs Eusebius Emyssenus: *Iàm nõ accusatione, sed clamore; non iudicio, sed violentia Christũ Iudæi occidere contendunt. Interrogat Pilatus quid mali fecerit: nihil huic interrogationi respondent; quoniam quid respondeant, non habent.* *Euseb. Emyssen.*

Christi innocentia etiam ab hostibus prædicata.

4 Stupet præterea Hieronymus considerans, quòd post tot inquisitiones nullam aliam mortis Christi causam se inuenisse confiterentur hostes, quàm quia eorum rex erat: *Posuerunt causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Matt.27. *Matt. ibid.* Et quòd à Patre constitutus sit rex super Sion mõtẽ sanctum eius, quo pacto sceleste, vos in hoc læserat Christus? Quòd iuxtà hãc Patris voluntatem rex Iudæorum natus sit: quæ mortis causa est hæc? Vbi sunt falsi testes? Vbi pecunijs corrupti? Vbi qui illum accusabant? Cur non vt legis transgressorem? Cur non vt Sabbati contemptorem? Cur non vt populorum subuersorem accusatis; sed regni tantùm (quod quidèm semper renuit) causa damnatis? An fortè veritatis potentiæ vestra non valente resistere nequitia, Saluatoris innocentiam licèt inuiti confiteri cogimini, dùm nullam mortis causam afferre valetis? Sic sanè mihi suadeo, præfatus dicit Hieronymus, qui pòst multam admiratione, & obstructa falsorum testiũ ora nil prorsùs obijcere auderent, veritatis potentiam in causa fuisse concludit: *Non possum dignè admirari pro rei magnitudine, quòd redemptis pretio falsis testibus, & ad seditionem, clamoremq; infelici populo cõcitato nullam aliã inuenerint causam interfectionis eius, nisi quòd rex Iudæorum esset.* *Hieronym.* Magna sanè veritatis potetia, quæ nec ab odio, nec à liuore, nec à pecunijs, nec ab alio infirmàri sic potuit, quin hostes ad pro se testandum cogere valeret.

Contra veritatẽ infirma est omnis potẽtia.

5 Vlteriùs, alios Christũ saluasse dixisse inimicos: *Alios saluos fecit:* Matt. *Matt. ibid.* 27. Nõnè veritatis extitit vigor, qui ipsos vel-

vellent, nollent Saluatorem non perdere veniſſe, ſed ſaluare, teſtari cogebat? Ità modò dictus Hieronymus:

Idem. *Etiam nolentes confitentur Scribæ, & Phariſæi, quòd alios ſaluos fecerit. Itaque vos veſtra condemnat ſententia.* Eamdem veritatis potẽtiam annotauit Ericius, maiores Chriſti perſecutores eius ſigna prædicare audiens: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ioann. 11. cùm dicit: *Velint, nolint confitentur, quia ille, quem quaſi hominem deſpiciebant, ſicut Deus ſignis, & miraculis coruſcabat.* Idipſum etiã obſeruauit Carthuſianus art. 11. ſuper illud Lucæ 4. *Et omnes teſtimonium illi dabant*; vbi etiam à perſecutoribus, ac calumniatoribus Chriſti ſanctitatem, doctrinã, ac mores laudatos aſſerit: *Plures de omnibus ibi præſentibus proteſtabantur vera eſſe, quæ protulit Ieſus, quòd ſcilicet ſcriptura Iſaiæ eſſet in ipſo completa; & quòd eſſet Chriſtus in lege, & prophetis promiſſus, quamuis vlla notitia nondùm eſſent firmati.* Concordat cum præfatis Toletus, dùm verba illa inimicorum Chriſti gloſſans: *Quid eſt hoc verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?* Luc. 4. hunc dixit in modum: *Quod eſt hoc verbum? ideſt magnum, & inſcrutabile opus hoc eſt, cuius cauſam, & rationem aſſequi non poſſumus.* Et paulò infrà, *Dicitur autem in poteſtate, quia non vt prophetæ, & ſancti homines, tamquàm miniſtri Dei, at Chriſtus, vt Deus, & Dominus eos exire imperabat.* Nec à præfatis diſcordat Michael de Palacio turbam conſiderans Lazari ſuſcitationem acclamantem iuxtà illud: *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento.* Ioann. 12. *Turba Iudæorum, quæ aderat Domino ſuſcitanti Lazarum, teſtata eſt magnitudinem, & euidentiam miraculi ſuſcitati Lazari.* Sic cunctos Chriſti hoſtes pro ipſo teſtatos fuiſſe aſſerunt cuncti.

Ioan. c. 11. *Ericius.* *Luc. c. 4.* *Carthuſ.* *Luc. c. 4.* *Toletus.* *Ioan. c. 12.* *Paulus de Palac.*

6 Et nè in Chriſto tantùm veritatem triumphaſſe exiſtimes: Nonnè acerrimus Ioannis perſequutor ſemper extitit Herodes? Nonnè ipſum in vinculis retinuit? Nonnè eum vita priuauit? Ità ſanè: Cur poſteà Chriſti miracula audiens, & prodigia ad Ioãnem denuò confugit, ipſumq; illorum putat auctorẽ: *Ioãnem ego decollaui, & quis eſt iſte, de quo talia audio?* Luc. c. 9. Aſt ò magnam veritatis vim! perſequutus ſanè fuerat Ioãnem Herodes, vita quidèm ſpoliauerat, tamen etiam poſt mortem & iuſtum, & ſanctum, & alium ſibi ſimilem, neutiquàm reperiri poſſe fatetur: *Stultiſſimus populus* (ait Euſebius Emyſſen.) *qui dùm uidet prophetas, eos perſequitur, & uituperat; poſt mortem verò eos ueneratur, nec tales ulteriùs naſci poſſe arbitratur, quales illi fuerunt, quos occiderat.* Et Toletus ad Herodem præcisè rem reducens hunc dicit in modum: *Notandum hic eſt, quanta ſit Herodis ſtupiditas, confitetur ſe decollaſſe iuſtum, confitetur reuixiſſe, confitetur fortiorem eſſe, quàm priùs: nàm uirtutes dicit operari in eo.* annot. 20. Vides quomodò non in Chriſto tantùm, ſed in alijs etiam veritatis triumphet potentia, dùm Herodes acerrimus Ioãnis perſequutor illum laudat, extollit, & prædicat.

Luc. c. 9. *Euſeb. Emyſſen.* Herodes acerrimus Ioãnis perſequutor illũ extollit, & prædicat: *Toletus.*

7 At quia de Ioanne fari iàm cæpimus, ſtrictim non eſt prætereũdum, quid eſt, quòd Herodes morti illum addicturus, turbatur: *Et contriſtatus eſt rex?* Marc. 6. Si quia iurauerat, dices; quod veluti cauſam ſubdere videtur Euangeliſta, dùm habet: *Contriſtatus eſt rex propter iuſiurandum*; omitto communiorem ſententiam, quòd vt illum perdendi occaſionem venaretur, iuraſſet; & poſito quòd nõ ob hoc, ſed quia incautè tantùm iuraſſet, nũquid quod inconſideratè promiſerat, opere implere tenebatur? Neutiquam certè dicũt Iſidorus, & Beda; nàm periurium quidem, non iuramentum fuiſſe aſſerunt: cur igitur, quod incautè promiſerat, impiè obſeruat? Et ſi ea propter iurauit, quia iuriſiurandi nomine illum interficere moliebatur, vt ſentiunt penè omnes; cur triſtatur, atq; turbatur? Difficultatem Venerabilis Beda hiſce enucleauit verbis: *Triſtitia regis non abſolutio eſt, ſed confeſſio ſceleris. Hoc etenim eſt ſuperna iuſtitiæ indicium, vt plerumque reprobi, & cognoſcant ſe, & fateantur erraſſe.* Quia inſontem ſe morti addicere, ſanctumq; occidere ore ſceleſtus confiteri renuebat, vt veritatis appareret victoria (quæ etiam ab ipſis inimicis, licèt inuitis, ſui teſtimonium

Marc. c. 6. Herodis triſtitia in Ioãnis morte quid indicet *Beda.* Ore veritatem confiteri renuebat, vultu eam confiteri coguntur.

Digitized by Google

extorquet) vultus impietatem, sacrilegiumq; testabatur.

8 Faceret pro præsenti instituto Hectoris Pincti obseruatio, quòd scilicèt Darius, qui posthabito deorum suorum cultu soli sibi preces, & vota offerri sanciuerat, Deum posteà Danielis (veritatis impulsu) Deũ verum, & viuum vocauit: *Daniel ſerue Dei uiuentis*, cap. 6. *Veritate compulſus fatebatur uerum Deum, quem Daniel colebat.* Præfatus Pinctus. Verùm altiori indagine locum illum indigere existimo: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* 1. Corint. 1. Quia esto, quòd Paulus Christi nominis peculiarem se cõcionatorem, atq; præconem declarare vellet, quia ad hoc se specialiter vocatum, electum, immò assumptũ agnoscebat, ad quid legationem suam explanare volens illud, *Autem*, apposuit? *Nos autem prædicamus Chriſtum, &c.* Si æquè bene absque particula illa se Christi nominis præconem declarare potuisset, cur eam addendam existimauit? An fortè illud, autẽ, specificationem, & emphasim indicat, vt sit sẽsus: Nos autem, qui in huius nominis odium Christianos ab eo denominationem sumẽtes odio paulò antè prosequebamur non modico, nos illum nedùm Deo inspirante, verùm etiam veritate cogente commendamus, extollimus, & prædicamus? Ità Cyrillus Ieroſolym. catech. 10. *Quis autem eſt iſte? Ille, qui antè perſequebatur, ipſe nunc Chriſtum annunciat: Quam ob cauſam? Numquid pecuniis corruptus eſt, cùm raptus eſt in cælum? Exiuit vt perſequeretur, & poſt triduum Damaſci perſequutor ſit illius præco.*

9 Fidem posteà an mihi is præstiturus, ignoro, si audies dæmonem ipsum mendacij patrem adeò veritatis quandoq; vires experiri, vt pro ea contra sui motem tellari cogatur; & tamẽ tunc in terminis visam rem puto, cùm de Iobo à Deo interrogatus Satan, si eum vidisset, quidnam de illo sentiret, respondit: *Numquid Iob frustrà timet Deum?* cap. 1. nàm si bene aduertis, ipsum iustum sanè nũcupauit, dum Deum timentem asseruit. Nec mirum, quia tantæ erat potentiæ veritas, quòd nec odio opprimi, nec liuore supprimi, nec inuidia deprimi potuit: Immò ipsum diabolum, (qui ideò calumniator interpretatur, quia calumnias struendi finem ignorat) ad sui confessionem coegit, & compulit. Meum nõ est hoc, quod dico, sed Pinedæ in hũc modum dicentis: *Obſeruanda eſt Iobi ſanctitas mirabilis, cui nihil à Satana obijcitur, aut affingitur mali.* Et vbi tuæ sunt fraudes, ait Chrysostomus hom. 3. de pœnitentia Iob, ò Satana? Vbi calumniæ? Quò abierunt accusationes? Quonam pacto tàm citò tuę falsæ postulationes euanuerunt? At nil sanè mirum; nam veritatis coactus virtute, quòd priùs calumnijs studebas opprimere, laudibus nũc cõpelleris afficere. Allatus Chrysostomus: *Inuitè diabolus Iob uirtutem laudat, & prædicat eius potentiam.* Certè vides diabolum ipsum non posse, non veritatis commendare virtutem, dùm cõtra sanctissimum Iobum iniquissimum os aperire non audet.

10 Cæterũ, vt cõcludã, veritatẽ, quã Iobi tempore perfunctoriè dixit Satã, Pauli tempestate apertè, & seriò ab eo declaratam fuisse in 16. cap. Actor. asserit Lucas, tunc scilicet, cùm per puellæ os Paulum, & socios Dei ministros, viamq; salutis doctores pluriès prædicauit: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant uobis uiam ſalutis.* Quæ diaboli attestatio non modicam sacræ scripturæ Expositoribus speculandi materiam præbuit: vndè ad discipulorum Christi sanctitatem, atq; doctrinam confirmãdam cõpelleretur: si homines non ad Deum confugere, sed ab eo fugere; nec eos viam salutis, sed perditionis tenere optabat, cur Pauli doctrinam confirmat, rectũque salutis iter illũ docere proclamat? Lyrano non multũ arridet Bedæ sententia asserentis, non voluntatis, sed necessitatis confessionem istam fuisse, vtpotè Spiritus sancti timore, ipsiusq; virtute à mendaci ore exstortã; quia si ità se res habuisset, nequaquàm de tali attestatione doluisset Paulus, nec eam vt à Spiritu sancto productam, impedire ausus fuisset. Nec mihi multùm satisfaciunt dicentes; nè ab ergastulo suo pelleretur, ac nè à Paulo deturbaretur, illum laudibus mulgere stu-

Daniel. c. 6.

Hect. Pinct.

Darius, qui deitatem affectare videbatur, Danielis Deum verum Deum confitetur, & quare?

1. Corinth. c. 1.

Cyrill. Ieroſolym.

Cur Paulus ſpecialem ſe Chriſti nominis præconẽ declarat.

Iob. c. 1.

Pineda.

Chryſoſt.

Etiam diabolus inuitus Iob virtutẽ laudat, & prædicat.

Actor. c. 16.

Digitized by Google

ſtuduiſſe; tùm quia non ſemel Paulum adulatoriis cantionibus aurem minimè præbere iàm nouerat; tùm etiam quia faciliùs illum declinare, quàm vanis laudibus flectere potuiſſet: idcircò meam dicam ſententiam, quòd neceſſitatis quidèm confeſſio fuit, non voluntatis, vt Beda aſſeruit Venerabilis; ſed neceſſitas, atque coactio non tàm à Spiritu ſancto, quàm ab ipſa veritate procedebat, à qua victus, atq; compulſus, quod nolebat, dicere cogebatur. Concinnè Carthuſianus art. 16. *Quæritur, quo impellente loquutus eſt dæmon aduerſarius humanæ ſalutis uerba memorata de Paulo, eiuſq; ſocijs? Et reſpondendum ſecundùm quoſdam, quòd bono naturæ hæc dixit, quia naturæ conſonum eſt, uerum cognitum confiteri.* En quomodò veritatis potẽtia ipſum patrem mendacij ad pro ſe teſtãdum vrget, & cogit. Pro quo inſtituto vidẽdus eſt §. ſecundus fer. 3. Dominic. 1. part. prim.

Carthuſ.

Pauli sãctitatem volẽs, nolens clamat diabolus.

Digitized by Google

FERIA QVINTA DOMINICAE PASSIONIS.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c. Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Luc. 7.

§. I.

Nè impia pietas coràm Deo tua appareat eleemosyna; ex licitè, non illicitè partis illam efficere debes.

1 SEmper Deo caram fuisse largitatem, semperq; ei amicam erga pauperes beneficentiam extitisse satis perspicuum puto; nàm nec sacrificia sibi aliàs admodùm grata absque misericordia, nec sacrificantes misericordiæ experres ferre potuit vnquàm. Ex quo Chrysostomus homil. 67. ad popul. diuina asserit prouidentia fuisse dispositum, vt antè sacrarum ædium ianuas egeni consedeant, nè charitate, beneficentia, ac largitate vacui ad dominum ingrederentur fideles, iuxtà il lud: *Nõ apparebis uacuus antè Dominum.* Exod. 16. *Iudæis hæc dicebantur, quantò magis nobis? Propterea pauperes antè fores positi sunt, nè quis uacuus ingrediatur, ut introeat cum eleemosyna. Si ut misericordiam consequaris intras, priùs miserere.* Mòx dictus Chrysostomus. Et Augustinus super cap. Matt. 6. obitèr tangens verba illa: *Filiæ Tyri in muneribus uultum tuum deprecabuntur.* psal. 44. neutiquàm absque beneficentia, ac largitate coram Deo apparendum suadet, nè misericordiæ vice ira reportetur: *Adorent eum in muneribus: Quid est in muneribus? Nolite uobis condere thesauros in terra, ubi tinea, & rubigo exterminant, & ubi fures effodiunt, & furantur; sed thesaurizate uobis thesauros in cælo. Venite cum muneribus, date eleemosynam, & omnia munda sunt uobis. Venite cum muneribus ad eum, qui dicit: misericordiam uolo magis, quàm sacrificium.* Verùm non omnis Deo amica in pauperes miseratio, nec omnis pretiosa eleemosyna, sed illa tantùm, quæ nõ ex illicitis, nec ex iniquè collectis; sed quæ ex proprijs, & benè acquisitis impẽditur; quia si eleemosyna ex proprijs fieri debet, non ex alienis; cùm iniquè collecta, & ex rapinis congesta nostra minimè sint, vt habetur ff. pro socio. l. cum duobus §. vlt. restitui potiùs, quàm in pauperes erogari debẽt: Vndè Augustinus: *De iustis laboribus facite eleemosynam. Non enim corrupturi estis iudicem Christum, ut non audiat. Nolite eleemosynas facere de fœnore, & usuris.* De qua re fusè Tostatus quæst. 36. super Matth. 6. Iuxtà quam doctrinam sanctissima hæc peccatrix, & retrò pedes Domini (egenos vltimã eius mystici corporis partem figurantes) stare voluit; quia nè vacua coràm Domino appareret, proprio commodo (vt ait Vgo Card.) illorum prætulit egestatẽ: *Stat retrò secus pedes Domini, quæ prouisionem pauperum, proprio commodo anteponit;* Illius fortè consecia, quod libro 5. cecinit Martialis:

Extrà fortunam est, quicquid donatur amicis
Quas dederis solas, sẽper habebis opes.

Et eos nec sudario, nec linteo, sed capillis suis tersit, quia non aliena, sed propria in egenorum subsidium eroganda esse noscebat; vt benè ad diuitũ eruditionem Vgo annotauit Cardinalis, cùm ait: *Hæc etiam debent diuites pauperibus præstare: debent secus stare, ideſt ex affectu compati; debent capillis ter-*

Exod. c. 16. *Chrysost.* Nè quis vacuus ante Deum appareat, in ipso templorum introitu egeni cõsident.

Psal. 44.

Augustin. Deũ in muneribus adorare, quid sit?

Augustin.

Vgo Card. Pauperum vtilitatẽ proprio cõmodo vera charitas præfert

Martialis.

Vgo Card. Ex proprio, non ex alieno largiendum.

Digitized by Google

tergere, hoc eſt de ſuis ſuperfluis miſereri. Qui rectus largiendi modus ex ſequẽtibus magis, magiſq; patebit.

2 Pietatis magiſter pietatem erga miſellos commendare volens, miſerendi etiam modum, ac normam docuit, dexteræ opera ſiniſtram ignorare præcipiendo: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Matt.6. cuius præcepti intelligentiam tradere nititur Chryſologus ſerm.9. dùm dicit; quòd ſi in dextera virtutes, & vitia in ſiniſtra ſita eſſe ſcribuntur, dexteræ opera ſiniſtram ignorare præcipitur; quia nil vitioſi virtutibus immiſceri debet. Vndè poſt multa hunc concludit in modum: *Quotiès ergo nobis cum bonitate, pietate, & miſericordia cauſa eſt, neſciat hoc ſiniſtra; Siniſtra eſt, quæ nobis animarum prælia ſemper indicit: & nè uirtutes in effectum ueniant elaborat. Nè ſit pietas, impietas agit.* Quòd ſi curioſiùs quænam ſit hæc impietas, quæ pietatem in ipſam impietatem vertere ſolet, inquires; ad Salomonem te mitto dicentem: *In ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria.* Prouerb.3. quod ſi non tàm de diuitijs abſolutè (cùm de ſe nec bonæ ſint, nec malæ) ſed de diuitijs malè partis præcipue dictum exiſtimabis, facillimè à quo pietas impietas effici poſſit, percipies; quia cùm charitatis operibus, quæ à dextera ſolummodò procedere debent, ſiniſtra ſe immiſcet ex iniquitate congeſtis largiendo, non tantùm virtutis effectum impedit, verùm in ſummam etiam impietatem pietatem vertit, dùm malè acquiſitarũ opum Deum etiam (quantum in ſe eſt) participem vellet. Quam rem elegãtiſſimè deſcripſit Auguſtinus ſerm. 19. de verbis Domini, vbi quorũdam deſcriptis rapinis, qui nulla pupillorũ, viduarum, nec pauperum habita ratione, alieno ære auctis eorum diuitijs, Deo tandèm munera, & ſacrificia offerre ſatagunt, hæc habet: *Cùm his ergo fraudibus repleuerint ſacculos ſuos, uideas illos lætos, & accuratos ad eccleſiam properare, & Deo gratias agere, quaſi ab ipſo illis hæc pecunia conferatur; illud quoque peccantes, quòd rapinarum ſuarum Deum uolunt eſſe participem.* En quare in eleemoſynarum largitione dexteræ opera ignorare debet ſiniſtra; quia ſi quid malè partum charitatis immiſcetur operibus, in ſummam impietatem commutabitur pietas.

3 Inuerſus ſemper mihi videbatur ordo, quòd antè altare in ipſo ſacrificij actu pro fratrum reconciliatione Dei eſſent protrahendæ oblationes, & prolatanda ſacrificia: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſũ te: relinque ibi munus tuum antè altare, & uade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc ueniens offeres munus tuum.* Matt.5. Verùm tanti myſterij facilè nunc intelligentiam carpo; nàm eapropter id iniunctum exiſtimo, nè quis ex malè congeſtis Deo ſacrificium offerre auderet: non igitur vt creatura Creatori, cui nullatenùs comparari poteſt, cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, anteferatur, priùs fratri reconciliandum, quàm ſacrificium offerendum iniungitur; ſed vt facta priùs reſtitutione, quod poſteà Deo offertur, ex proprijs, non ex alienis (ne Deo impiũ appareat) offeratur: Vgonis Card. fuit iſta ſubtilitas, qui ſic me præfatũ ſcripturę locũ gloſsãdi modũ edocuit verbis illis: *Si offers munus tuum, & ibi recordatus fueris, &c.* Ideſt, *ſi in mentem tibi venerit; quia frater tuus, quem læſiſti, habet aliquid aduerſum te pro temporalium ſubtractione. Relinque ibi coràm altari, ſiue coràm Deo munus tuum, non alienum munus; quia qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris: Vndè Iſaiæ 58. Frange eſurienti panem tuum, non dicit alienum.* Nam ſecùs ſi efficies, quãtum in te erit, Deum ipſum, iuxtà Auguſtini dictum, rapinarum tuarum participẽ te velle declarabis: quod quàm impium ſit, tibi ipſi excogitandum relinquo.

4 Stupent non pauci ſacræ ſcripturæ Expoſitores, qd cauſæ eſt, quòd de tributo interrogatus Chriſtus, an Cæſari reddi deberet, priùs illi, quàm Deo reddendum aſſeruit: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Matt.22. Si ſuper omnia Deus eſt colendus, cur inuerſo ordine priùs Cæſari, quàm Deo ſua reddenda edocuit? Si tàm iure creationis, quàm redem-

Matt.c.6.

Chryſolog.

Dexteræ opera ſiniſtrã ignorare debere, quomodo intelligẽdum?

Prouer.c.3.

Auguſtin.

Ex iniuſtè partis offerens, Deum quantum in ſe eſt, rapinarum ſuarum participem vellet,

Matt.c.5.

Vgo Card.

Cur fratrũ reconciliatio Dei oblationi præponatur?

Matt.c.22.

Digitized by Google

demptionis omnia Deo debemus, quonam pacto Cæsaris restitutio, Dei potuerit restitutioni præferri? Nec totaliter mihi quorumdam satisfacit dictum, idcircò prius Cæsari, quàm Deo sua reddēda præcipi, quia discipulus Domini esse nequit, qui mundo priùs non renunciat; nàm amoris, charitatisque actus peccati displicentiam includit, & satis mundo renunciasse videtur, qui Christi sectari vestigia incipit; sic ambigenti mihi Paschasius tandèm occurrit sequentibus verbis difficultatem perfectè enucleans: Paschasius. *Primùm reddite, quod alienum est; vt possidere possitis, quod vestrum est. Vndè quamuis Deus antè omnia, & super omnia honorandus sit, oportet tamen in hoc facto rectus ordo seruetur: non primùm, quod Dei est Deo, sed quod Cæsaris est Cæsari: alioquin primùm vos offerre Deo cum fœnore alieno peruersus ordo est.* lib. 10. Proh quanta in aliquorum oblatione nequitia! Quàm ingens in quorumdā sacrificijs impietas! quòd Deus ipse inuerso ordine priùs creaturæ, quàm Creatori, priùs Cæsari, quàm sibi sua reddenda præcepit, nè de illicitè congestis sacrificia admittendo, rapinarū particeps fieri videretur.

Prius restituto, quàm eleemosyna est facienda, nè ex alieno fœnore Deo offerri videatur.

5 Aureus est pro re hac, de qua loquimur, locus ille Leuitici 1. vbi habetur, quòd in aurium holocaustis gutturis vesiculas nequaquàm sibi offerri patiebatur Altissimus: *Vesiculam verò gutturis proijciet propè altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent*; quia (vt optimè, non tàm à seipso, quàm ad cuiusdam Rabini mentem dixit Lyranus) non ex proprijs, sed ex alienis alimenta recipiendo, illicitè congestorum gestabat figuram: quæ quia (vt summè inuisa) Deus sibi offerri non patitur, proijci potiùs, quàm sacrificari debebat vesicula: *Dicit Rabi Salomon, & hoc erat, quia volauerāt ad capiendum cibum de alieno, & propter hoc designabatur, quòd sacrificium de rapina non placet Deo.* Mòx dictus Lyranus, quibus quā Deo ex iniustè partis oblatio displiceat, satis clarè demonstrat.

Leuit.c.1.

Lyranus.

Gutturis vesiculā Deus sibi sacrificari non patiebatur.

6 Inter omnes Nabuchodonosoris regis stultitias, illam maximam existimat Hector Pinctus, quòd victa Ieroſolyma, capto rege, depopulato templo, ablatisq; omnibus, vasa aurea, & argentea, quæ à mox dicto templo, quod erat in Ierusalem abstulerat, in domum thesauri dei sui intulisset: *Asportauit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum thesauri dei sui.* Daniel. 1. Quod (quid quid dicat modò dictus Pinctus) suppositā Nabuchodonosoris idololatria, religionis potiùs erga deum suū, quàm stultitiæ actus primo videtur intuitu; nàm vasa offerendo partam victoriam deo suo ascribere videbatur. Atò amentiam mysterio magno admixtam! iniustè rapta deo suo obtulit Babylonis rex, in præsagiū, quòd nostræ tempestatis quamplurimi ex furtis, atque rapinis Deo viuo, & vero oblationes erant daturi. Vndè præfatus Pinctus: *Videte ridiculam tyranni religionem: Obtulit deo suo vasa, quæ iniustè rapuerat. Huiusmodi sunt, qui ex malè acquisitis eleemosynam aliquam faciētes, existimant animam expiare, & liberalitatis nomen obtinere.* Hi aquilarum more (quę ideò à nonnullis magnificę appellantur, quia ex rapinis victum sibi comparantes, prædam, quam vi rapuerunt, alijs auibus distribuunt) ex vsuris, cruentisq; spolijs viuentes, quia aliquam raptarum opum particulam pauperibus largiūtur, liberalitatis vocabulo, & charitatis præstantia se fulgere existimant. Has rapacissimas aquilas carpit Paulus verbis illis: *Qui furabatur, iàm non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonū est, vt habeat vndè tribuat necessitatem patienti.* Ephes. 4. Vbi Anselmus: *Magis autem laboret, hoc est, vt possit pauperes de iusto labore sustentare. Hinc.n. ostenditur, quòd eleemosyna debet fieri ex eo, quod bonum est, id est, quod iustè habetur, non de eo, quod iniustè: Vndè Dauid: Honora Dominum de tua substantia.*

Daniel.c.1.

Hect. Pinct.

Nabuchodonosorem imitātur, qui ex rapinis Deo quid offerunt.

Ephes.c.4.

Anselm.

Ex manuū labore pauperibus erogandum.

7 Pharisæus Zachæo statura maior, sed virtute minor antè Dominū stans & ipse eodem prorsùs modo, immò eodem verbulo suas expressit oblationes; nàm si Zachæus non in futuro, sed in præsenti; non se daturum spopondit, sed actu dantem se declarauit; & vnico vt concludam verbo, si Zachæus non dabo, sed Do, dixit: Di-

mi-

Digitized by Google

Luc. c. 19. *midium bonorum meorum do pauperibus.* Luc. 19. Phariſæus eodem omninò vſus fuerat loquendi modo: *Decimas*

Idem c. 18. *do omnium, quæ poſſideo:* Quid eſt, quòd illius laudata pietate, & commendata largitate, iſtius reijcitur donum, & reprobatur oblatio? Difficultatē & mouit, & ſoluit Gorranus dicendo: humilitatem, ac ſuperbiam approbationis, reprobationiſq; cauſas fuiſſe, quia, ꝙ in aliorū confuſionē arrogāter ſe efficere iactabat Phariſæus: ad diuinæ pietatis aſſequutionē humiliter agebat Zachęus: aſt ſi aliā mihi afferre rationē liceret, eam ſanè adducerem; quia ex alieno offerente Phariſæo (nàm quicquid de decimis ſit, honorem ſaltèm, quem Deo impendebat, ab alijs furto auferebat) ex proprijs largiebatur Zachæus, quia vltrà perfectiſſimæ reſtitutionis integritatem, dimidium ſubſtātiæ ſuę iuſtè, iureq; poſſeſſæ largitèr in pauperes erogabat. Audiendus eſt Baſilius, qui in latè fuſis regulis monaſticis de Zachæi eleemoſyna loquēs ad illam Phariſæi aditum tibi pandit, vt vndè reprobata fuerit, agnoſcas:

Baſilius. *Memento Zachæi, qui cùm adieciſſet, quadruplum ſi quemdam circumuenerat; pecuniarum, quæ reſtabant, dimidium diſtribuit pauperibus. Sciebat. n. quòd Deus non habet accepta, quæ parata ſunt ex iniquitate, niſi ſoluta fuerint detrimenta.* Hæc ipſe: quibus cur Phariſæi reijceretur oblatio, ſatis patet; quia actualitèr honoris ſaltem efficiebat rapinam. Hinc Chryſoſtomus hom. 86. in Matt. phariſaicum, immò diabolicum aſſerit eſſe eleemoſynarū genus, ex quibuſcūq; rapinis aliquid offerre: *Audiatis, quicumq; animæ hominis pretium rapientes, beneficium poſteà ex cæde confertis. Iudaica huiuſmodi eleemoſyna eſt, immò verò diabolica.* Et ſi impijſſimis ſacerdotum principibus reſtitutam à Iuda pecuniam in corbonam mittere incongruum videbatur, quia ſanguinis

Matt. c. 27. erat pretium: *Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.*

Gloſ. Interl. Matth. 27. vbi Gloſſa Interlin. *Oblatio impiorum abominabilis eſt Domino, quæ offertur ex ſcelere;* Deo quonam pacto illa Phariſæi ex rapinis congeſta placere poterat? Nullatenùs ſanè.

Optimū miſerendi, modū Zachæus edocuit.

Chryſoſt.

8 Vgo Cardinalis verba trutinās illa: *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Prouerb. 3. ex proprijs eleemoſynam faciendam eſſe deducit; nàm ſecùs, qui facit, Deum potiùs ſubſannare, quàm honorare videtur: *Offerens de alieno videtur Deum deridere; offerendo quod non eſt ſuum; & ideò dicitur Prouerbiorum 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Altiori tamèn indagine rem ego perpendens, quidnam noſtrū ſit, ex quo veluti ex proprio Deo offerre teneamur, vlterius inquiro; ſi eius ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues: immò ſi Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo, noſtrum quid erit, quod Deo offerre poſſimus? Occurrit difficultati S. Saluianus, qui non minùs elegantèr, quàm piè conceſſa omnia, licet ſua eſſent, noſtra tamen Deum vocare aſſerit; & tātæ bonitatis rationē aſſignans ait, quia aliàs, ingrata ei eſſet noſtra oblatio, ſi ex ſuo non ex noſtro offerretur: *Cùm vtiq; totum ſuum ſit, quod ab eo accepimus, noſtrum eſſe dicit, vt demus: ideò, ſcilicèt, noſtrum appellans proprietate poſſeſſionis; vt maior ſit merces operantis: quia plùs fructuum neceſſe eſt, largitèr habeat, vbi de ſuo videtur eſſe largitio.* Ergo bonus Dominus vt nos beneficos reddat, & noſtram eleemoſynam gratuitæ liberalitatis titulo honoret, ſuam ſubſtantiam; noſtram vocat. Ex quo quàm ex furto, rapiniſq; congeſtis oblata abhorreat; deducere haud difficilè poteris.

Prouer. c. 3.

Vgo Card.

Deū deridere videtur, qui alienam offert ſubſtantiam.

Saluianus.

Vt Deus gratuitæ liberalitatis titulo noſtrā honoret eleemoſynā à ſe condita noſtra appellat.

9 Pro quo tandem argumento (ſi præfata inſufficientia exiſtimātur) facit illud Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ.* Nàm vt benè annotat Hieronymus epiſtola ad Lucianum, non quæcumque diuitiæ animæ redemptio ſunt, ſed eapropter additū eſt, eius, quia propria, nō aliena animæ ſaluti proficiunt: *Poſſumus quidèm diuitias intelligere, quæ non de alieno, non de rapinis ſunt, iuxtà illud: Honora Deum de tuis iuſtis laboribus.* Mòx dictus Hieronymus. Quo exponendi modo vſus eſt etiam ſuper locum illum Iſaiæ 58. *Frange eſurienti panem tuum,* dùm non otiosè ly, *Tuum,* appoſitum dicit, ſed vt ex quibus fieri debeat eleemoſyna, edoceret: *Pulchrè addidit tuum, nè de rapina*

Prou. c. 13.

Pluribus Sāctorū patrā monumētis non ex alieno, ſed ex proprio eleemoſynā eſſe faciendam oſtenditur.

Hieronym.

Iſaias c. 58.

Idem.

pina facias eleemosynam. Redemptio enim animæ viri, propriæ diuitiæ. Secùs autem, qui faciet. Non dabit Deo petitionem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Vnde Gregorius
Gregor. 12. moral. *Nonnunquàm diuites clari inferiores opprimũt, aliena rapiunt, & cùm multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis ferunt; sed tunc eleemosyna superbi diuitis eum redimere non valet.* Docuit etiam hanc veritatem D. Basilius, qui illos tãtùm in egenos beneficentijs Deum laudare, & honorare, iuxtà illud psal. 28. *Afferte Domino gloriam, & honorem*, asserit, qui ex licitè congestis largiuntur: *Honorem affert Deo, qui secundùm prouerbium, ex iustis laboribus, & primitijs suæ iustitiæ eum honorat.* Sic ipse, qui etiam: *Neque enim ex iniustis lucris beneficia egeno facta sunt Deo accepta.* Nec idipsum pluriès prædicare destitit Chysostomus, qui
Chrysost. hom. 86. in Matth. *Sunt enim, sunt, inquam etiam nunc, qui alienis direptis excusatos se à toto crimine putant, si aliquam partem pauperibus dederint, de quibus ait Propheta: Altare meũ lacrymis operiebatis. Nõ vult certè Christus rapina nutriri, ingratissima hæc sibi sunt alimenta: melius est committere, vt inedia tabescat, quàm huiusmodi alimento sustentare.* Hactenus ipse, qui alibi: *Eleemosynam autem dicit, non quæ est ex iniquitate, hæc enim non est eleemosyna, sed crudelitas: quid enim iuuat exuere alterum, & alterum induere:* Vndè quamuis admodùm Deo sit miseratio amica: quamuis iuxtà
Hildebert. S. Hildeberti dictum ex cruce eam tibi suadeat: *Extensa quippè sunt in cruce manus Domini, vt extenderentur inopi manus contractæ, manus tuæ.* epist. 48. absit tamẽ vt ex alieno id facias, quia coràm patre filium sacrificare videberis, si ex malè partis dona offeres, & oblationes.

Hic si esset propheta, sciret vtiq; quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Luc. 7.

§. II.

Vt ignominiosis nominibus virtutis ledere famam, liuoris est proprium: sic vitiorum fœditatẽ vocabulorum comitate prætexere Dei consuetus mos esse.

1 FVsè Ouidius virtutis extollens præconia inter cætera eius magnalia, ipsam mortalium neglecta consuetudine cælum versùs gressus dirigere consueuisse, sequenti decantat versiculo:
Cælum negata tentat ire via. Ouidius.
Carm. M. 3. od. 2. quod ob id maximè ipsam tentare opinor, quia et si non desint, qui eam laudibus afficiant, nunc pulchram eam vocando, vt Senecam effecisse reperio, qui epistol. 67. Virgilium venustiorem in uenusto corpore virtutem appellasse carpens, hunc ait in modum: *Errare mihi videtur, qui dixit: Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Non enim vllo honestamento eget; ipsa magnum sui est decus, corpus suum consecrat.* Nũc pretiosam, vti eam dixit Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. *Magno vbique pretio virtus æstimatur.* Nunc præpotẽtem, vt eam censendam autumauit mòx dictus Seneca trag. 9. cùm ait: *Nunquàm Stygias fertur ad vmbras inclyta virtus.* Et Aristoteles oratione cõtra proditores mysteriorum: *Nullum adhùc vitium de virtute trophæum erexit*; Et denique Stoici ad benè, beatèque viuendum eam solam satis esse asseuerant: cùm tamen communiter impugnari, & assiduè ab inuidia lacessiri se videat, nàm (vt reliqua fileam) Ephesi in Hermodoro nõ tantùm iniurijs affectam se sensit, verùm etiam extrà ciuitatem pulsam se reperit. Apud Athenienses in Aristide, & Themistocle. Apud Syracusanos in

Virtutis præconia etiam ab Ethnicis cognita.

Seneca.

Sui est decus.

Valer. Max.

Aristot.

Nũquam de ea vitium trophæum erexit.

Sæpe à vitiosis lacessita.

Her-

Hermocrate,& Dione. Apud Romanos in Camillo, Rutilio, & Metello ſe dedecoratam agnouit.Et denique(nè ſingula percurrendo longiùs quàm par eſt, ſermonem protraham)in Catone Vticenſi ambitionis,& in Hercule puſillanimitatis vocabulis laceſſita, vt venenatos inuidiæ vitet affatus, cælum versùs greſſus dirigit,vt ibi ſaltèm venena effugiat, vbi liuor locum habere nō poteſt, dicente Liu.Decad. 4.l.8. *Cæca inuidia eſt, nec quidquā aliud ſcit,quàm detrectare virtutes.*Et ità planè eſt, nàm quàm Deus etiam (vt ità dicam)humana vitia honeſtatis cauſa nominum comitate prætexere ſtudet, tàm illorum virtutem vocabulorum fæditate lædere audet inuidia. Quod in Magdalena apertiſſimè completū reperio, nàm eius lacrymis nil Phariſęi cor emollitum,immò incudis more ſuſpiriorum,atq; gemituum ictibus magis, magiſq; denſatū peccatricē eā vocabat:*Hic ſi eſſet propheta,ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum:quia peccatrix eſt.* Luc.7.quàm Chriſtus miris excellentiæ decorabat nominibus.Hinc Carthuſianus art.19. poſt longam Phariſæi caſtigationem, de eo, eiuſq; ſimilibus virtutem ſemper calumniantibus,hunc dicit in modum: *Iſti ſunt imperfecti,inanes,& leues,qui fatuè gloriantur, deriſibiliter extolluntur,& alios aſpernantur: qui ſi ſapientes, virtuoſiq; eſſent, alijs charitatiuè compaterentur, conſilio,atq; auxilio ſuffragarentur.*Hæc ipſe.nos autem quàm à Deo differant mundani, dùm honeſtis nominibus homines, hominumq; defectus operiente illo, vocabulorum fæditate virtutem fædare ſtudent hi, oſtendemus.

Liu.

Cęlum verſus ire conatur, & quarè?

Luc.c.7.

Carthuſ.

Quàm virtutem nominum fęditate laudeſpoliare conatur inuidia, tàm etiam quod virtuti deeſt, nominū honeſtate prætexere ſtudet Altiſſimus.

2 Vt in deſerto ingratiſſimus populus ſiti laborare incępit, nulla Moyſi,& Aaron habita ratione laxatis linguæ habenis contra illos, quòd ſiti ſe necare vellent, murmurare cępit: angebantur illi viſa populi ſeditione, nec alitèr egeſtati conſulere ſe poſſe exiſtimantes,quàm diuino implorato auxilio, antè tabernaculum prolapſi Deum enixè, vt tumultuanti populo ſatisfaceret,precabantur;quorum precibus illicò piiſſimo annuente Domino ad leuis virgæ contactum ex ſicca ſilice vberrimos aquæ riuulos ſcatere fecit: *Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ,ità vt populus biberet,& iumenta.* Num.20. quo peracto ſtatim contradictionis cognomine aquas appellatas reperio: *Hæc eſt aqua cōtradictionis.* ibid. Deſineret me ſanè dies,ſi ſingulorum adducere vellem opiniones, vndè aquæ iſtæ contradictionis ſortirentur vocabulum: *Numquid inerat ea vis in aqua, quæ populum ad contentionē impelleret?* ait Theodoretus in Caten. Zephyr. Minimè ſanè: nàm contentiones,& lites aquæ præceſſerant emanationem.Nec Moyſis,& Aaronis hęſitationi rem tribuendam cēſeo, nàm ſi qua horum etiam interfuit abdubitatio, antè potum,non poſt ipſos ſubdubitaſſe,eſſet aſſerendum.Vndè mòx dictus Theodoretus:*Nec Moyſes cùm ex ea bibiſſet, cum* Deo *contendit.* Nec deniq; myſticę quorumdā interpretationes quòd per aquas.ſ. has ex rudi, impolitaq; ſilice egrediētes ſiuè Chriſtus ex intacta Virgine in ſignū contradictionis poſitus: ſiuè Virgo ipſa cunctas extinguens hæreſes importaretur,dicente Lorino: *Myſticè per aquā contradictionis, quæ de petra prodijt, non modò Chriſtum iampridem indicari, quia poſitus eſt in ſignum cui contradicetur, petraq; dicitur: Verùm etiam aliqui Mariam intelligunt, quæ ſola canitur,hæreſes interemiſſe in vniuerſo mundo, quas maxima ex parte hæretici contra illam excitauerunt,*difficultatem eneruant;quia rebellem populū hoc nullatenùs præuidiſſe non eſt,qui dubitet: vndè igitur ignominioſum contradictionis, iurgijq; cognomen aquæ ſortirentur, cùm ipſæ contradictionē extinxiſſent potiùs,quàm excitaſſent,haudquaquā caperem,niſi inuidiam contra virtutū opera ſemper oblatrantem agnoſcerem, quæ vt tanti miraculi obnubilaret ſplendorē;contradictionis,litigijq; vocabulo illud nuncupare ſtuduit; nec mirum,quia ſi vt optimè dicere conſueuit Xenophon in ped. Cyri: *Solent inuidi,& qui præcipuè ſuo ingenio diffidunt, aut qui præſtant impudentia, alios detrahendo,obloquendoq; laceſſere;* iuxtà inuidiæ morem,quod liuore tabeſcentes præſtare non poterant,falſis

Theodoret.

Aqua ex percuſſa ſilice emanās, cur cōtradictionis cognomine appellata?

Idem.

Lorinus.

Xenophon.

Inuidi alios detrahendo, obloquendoq; laceſſere ſtudēt.

Digitized by Google

vocabulis infamare satagebant.

3 Maximæ ascriberetur incuriæ, si impræsentiarum quodnam sit cælum illud, de quo DD. psal. 72. *Posuerunt in cælum os suum.* & quonam pacto in ipsum os posuisse dicantur nonnulli, vestigare omitterem; & quamuis duplici via scripturæ expositores incedere non ignorem, nàm aliqui per cælum Deum, qui pluriès cæli nomine in scripturis nuncupatur, intelligi debere existimarunt: atq; tunc contra hoc cælũ os posuisse scelestos addunt, cùm Deum blasphemantes de eius potentia, vel sapientia, vel prouidentia obloquuti sunt, vt August. Hieronymus, Euthymius, Titelmannus, Vgo Card. Lorinus, multiq; cũ ipsis sẽtiunt. Alij autem Chaldaicã sequẽtes versionem cæli vocabulo, iustos, cælos pluriès per antonomasiam nuncupatos, accipiunt; tuncquè contra hos cælos positũ os asserũt, cùm falsis detractionibus iusti lacessiti, stulti, atq; mundi vocati sunt purgamenta. Glossa tamẽ ordinaria aliam mihi discooperuit semitam, per cælum nempè hic, cælum propriè, ac materiale significari; quæ si teneatur sententia, non facilè difficultatum scopulos vitare possemus; nã si in cælũ os quosdam posuisse asseruit Dauid, quonam pacto in hos materiales orbes illud facere valuerunt? Et posteà si cæli perfecti sunt, omnisquè eorum ornatus, quis adeò effrons esse poterit, vt de eis obloqui non erubuerit? Et licèt his etiam difficultatibus eadem occurrat Glossa dicendo: *Posuerunt in cælum, &c. Astrologos carpit, qui os suum ponunt in cælum, dùm nimis curiosè astra, & stellas contemplantur, quæ in cælo sunt*; ego nihilominùs intacta astrologorum curiositate non sistens, vlteriùs quis cælis Lunæ, Martis, Mercurij, Veneris, ac Saturni nomina imposuerit, inquiro; & si Astrologos fuisse respondes, vlteriùs, cur hæc effecerint, scitor: Si ad cælorum distinctionem, atq; cognitionem id factum dices, adhùc dubitationi remanet locus, cur his præcisè non alijs vocauere nominibus? Obstrusa sanè quæstio; sed si cælorum perfectionem, & inuidiæ cõsiderabimus proprietatem, facilè apparebit solutio: nàm si hæc calumniãdi dempta peritia, omnium aliarum rerũ est prorsùs ignara: & si illi adeò perfecti sunt, vt vltrà diuinam attestationem: *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Gen. 2. nunc à nonnullis immateriales, nunc alterius materiæ à sublunaribus, nunc nequaquam peregrinarum impressionũ receptiui ab Aristotele vocantur, mirùm sanè non est, quòd non tàm ab Astrologis, quàm ab inuidia præfatis vocentur nominibus; quia Martis iracundia, Veneris inhonestate, Saturni fraudibus, aliorumque magnis sceleribus cælorum pulchritudinem, ac perfectionem fędare studuit, atq; contendit. Meum non est hoc, quod dico; sed Hieronymi, qui super cap. 5. Amos hæc habet: *Non debemus sequi fabulas poetarum, ridicula, ac portentosa mendacia, quibus etiam cælum infamare conantur, & mercedem stupri inter sidera collocare.* Quid pulchrius? Sanè in eo sẽper sistit liuor, vt fœdis nominibus, & cęli pulchritudinem, & cuiuscumq; alterius virtutem, ac perfectionem obumbret, atq; deturpet. Quod argumentum adamussim prosequutus est Theodoretus in caten. Zephir. qui eapropter hebdomadæ etiam diebus eadem prorsùs nomina Solis, scilicet, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni imposita fuisse autumat, vt sordidis recensitorum nominibus lucem ipsam Dei semper ore laudatam obnubilarent, ac inficerent: *Nullus est dies, quem non dæmonum appellatione compellent.* Desinat nunc percontari Ennodius: *Diem laudare quis abnuat? Attollere solis radios quis metuat?* Sistatque prorsùs diei extollere laudes, *Si themati obsequium præstat oratio, ab ipso suscipit dignitatẽ.* Dict. Scholast. 2. quia inuidia nedùm lucem laudare, diemq; extollere renuit, verùm ipsam etiam impiorum obscœnitatibus vilem reddere, ac deturpare conatur.

4 At quid cælum infamare, lucẽque inuidiam obnubilare asserо, si sanctissimi Iobi virtutem, perfectionem, ac sanctitatem, quæ cęlis disertiùs Dei gloriam enarrabant, & Luna clariùs mundum suo illustrabãt fulgore, semper nominum vilitate deijcere, ac deturpare studuit: quod nè gratis dictã exi-

Psal. 72.

Gloſſa.

Aſtrologorum nimia curioſitas carpitur.

Geneſ. c. 2.

Hieronym.

Cælis fœda nomina ad eos inficiendos impoſita.

Theodoret.

Ennodius.

Diebus & ac luci detrahere volens inuidia eadem prorſus eis nomina impoſuit.

Digitized by Google

existimes, quid per eiusdē vxoris os inuidētiæ eructauerit pater, audi si libet: *Adhuc tu permanes in simplicitate?* c. 2. vbi Lyranus simplicitatis nomine stoliditatem intelligit, vndè cùm nostra vulgata habet: *Adhuc tu permanes in simplicitate?* Glossat ipse, *Adhuc tu permanes in stoliditate?* At quæ est hæc stoliditas mulier? Numquid Deum timere, à malo recedere, & bonum facere amentiam nuncupandam censes? An diabolus, qui hæc tibi dicere suggessit eximiam sancti viri philosophiā stoliditatis vocabulo infamare satagebat? Prorsus ità ait Dydimus in catena græca: *Cùm ad pietatis turrim quatiendam inanis eius fuit omnis conatus, verborum contumelia, atque contemptu coniugem armat.* Proh nefas! Quia virtutum structurā deijcere nequiuerat, & virtutis fulgorem extinguere non potuerat, ad suetas machinationes inuidentiæ pater confugit, vt stoliditatis saltē fædaret vocabulo, quod insidijs extinguere nullatenus valuerat.

Iob. c. 2.

Dydimus.

Stultitiæ vocabulo summam Iobi philosophiā infamare conabatur inuidiæ pater.

5 Celebris semper mundo Dauidis extiterat sanctitas, sed tunc maximè eius humilitatem, animiq; rectitudinem eluxisse opinor, quandò regalibus abiectis exuuijs coram arca Domini nulla habita dignitatis ratione saltauit, ac lusit: *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg. 6. Verùm quo nomine tantam Dauidis humilitatē nuncupauerit Michol, neutiquam silendum existimo: *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, quasi si nudetur vnus de scurris.* ibid. Ergo scurra humilis, & scurrilitas vocatur humilitas? Prorsùs ità: nec mirum, quoniam virtutem, quam extinguere liuor non valet, vocabulorum contemptibilitate cōtemptibilem reddere satagit. Optimè Bernardus lib. 4. de consideratione: *Enim verò timor Domini simplicitas appellatur, nè dicam fatuitas. Virum circumspectum, & amicum propriæ conscientiæ calumniantur hypocritam, amatorem quietis, & sibi interdùm vacantem dicunt inutilem.* Sic semper virtuti detrahere studuit liuor. Quod videre est etiam in 9. cap. 4. Reg. vbi Eliśei discipulus, qui iuxta magistri præceptum Iehu in regem vnxerat, insanus à modò dicti Iehu seruis nūcupatus describitur: *Quid venit insanus iste ad te?* quia insaniæ titulo prophetiæ spiritum semper dedecorare studuit liuor. Quod præterquam tormentorum vi in inferno confitebuntur damnati: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Sapien. cap. 5. pluries cæca etiam declarauit gētilitas, nàm Plato in Phæd. insanos prophetātes appellat: *Quidam diuino beneficio sunt insani, vt prophetæ, & Sibyllæ.* Et Tullius lib. 2. de diuinatione nedum propheticum spiritum insaniæ nomine deturpat, verùm furiā etiam illum nuncupando, prophetas furiosos appellat: *Quid habet auctoritatis furor iste, quem diuinum vocatis, vt quæ sapiens non videt, ea videat insanus; & is, qui humanos sensus amiserit, diuinos assequutus sit?* Ex quibus omnibus clarè inuidiæ elucent machinationes, quæ vt virtutum pestundet fulgorem, ignominiosis hisce nominibus virtutes appellat.

2. Reg. c. 6.

Bernardus.

Dauidis humilitas scurrilitas nuncupatur, & quarè?

4. Reg. c. 9.

Sap. c. 5.

Plato.

Tullius.

Vt prophetiæ spiritum dedecoraret inuidia, insaniam, ac furiam illū vocare consueuit.

6 At quid inuidiam nominum obscuritate (quantùm in se est) virtutum dixi obtenebrare nitorem? dicam & melius, quòd in ipso virtutum auctore idipsum (sed incassùm) semper zeli liuor efficere conabatur; quā rem sole clariùs videre si cupis, Matthæum lege, & in c. 13. reperies, quòd longè, latèq; miraculorū, ac sapientię Christi perstrepente fama, mirantibus cūctis, immò rei magnitudinem demirante orbe laudis loco, contemptionis verba proferre cæperunt concines: *Vndè huic sapientia hæc, & virtutes? Nonnè hic est fabri filius?* Stupet Chrysologus ser. 48. talium iudęorum amētiam, quòd ex virtute ad generis exiguitatem recurrerent, ac si in sanguine tantùm claris vigere sapientia posset, cùm tamen multos generis ignobilitate iacentes virtutes erexerint; ad quid igitur in Iosephi, quē eius patrem opinabantur, artem confugiunt? An fortè stemmatis (quod etiam falsò calumniabantur, dùm & regum, & sacerdotum clarebat insignibus) vilitatem prætendendo sapientiam, ac virtutem obtenebrare laborabāt? Nil alitèr ait mòx dictus Chrysologus: *Non sic nubes cælum, nox diem, solem caligo, quomodò mentem cæcat, & tenebrat inuidia. Liuor*

Matt. c. 13

Chrysolog.

Fabrili nomine Christi diuinitatem abscondere conabatur inuidia.

hoc iudaicus probat, qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, attollit opera, dicta suscipit: & tamen nè in ipso videatur Diuinitas, Deitas sentiatur, carnalium parentum nomina commonet, & diuulgat, Statimq; subdit: *Dicebant fabri filium, vt arte vili, ars lateret auctoris, & Deitatis nomen fabrile nomen absconderet*. En quomodò nedũ doctrinę splendorem nominis humilitate extinguere, verùm Deitatem ipsam fabrili nomine tegere conabantur. Mirùm igitur non est, quòd contra virtutem nominum fæditate liuor insurgat, si virtutũ auctorem, Deitatemq, ipsam nominis exiguitate tegere satagebat.

7 Secus posteà semper Deum effeciſſe reperio, nàm nomina quidem creaturis imponit multoties; sed vel vt virtutem exaltet, vel vt quod virtuti deficit, nominum honestate operiat: *Hieronym.* Porrò *Dominus*, ait Hieronymus super Danielis primum, *in bonam partem nomina mutat antiqua, & ex rebus imponit virtutum vocabula*. Et super illud psal. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, quæstionem mouet: cur in baptismate nomina mutentur, quam illicò soluit; vt nouo nomine infidelitatis aboleret nomen: *Mutamur quippè in lauacro: & ex filijs hominum vocamur filij Dei. Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Sic ipse, qui statim ad Apostolos sermonem vertens, cur eis nomina à Christo mutata fuerint, ratione assignat dicẽdo: *Vox Christi est: Nec memor ero istorum Apostolorum nominum, quæ priùs antè fidem habuerunt. Illa non recordabor: quia crescentibus meritis nomina addita sunt noua*. Hæc mòx dictus Hieronymus, quibus satis patet, idcirco nomina noua imponere consueuisse Altissimum, quia aut virtutem extollere, aut quod minùs laudabile erat, abolere intendebat.

Sẽper Deus in bonã partem nomina mutat.

Psal. 15.

Idem.

Cur Apostolis, & multis alijs nomina mutata?

8 Circa difficultatem illam, quinam fuerint illi Dei filij, de quibus dicitur Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*. sententiarum insurgit pelagus; nàm aliqui filiorum Dei nomine dæmones incubos, ex quibus gigantes emanarunt, significari asseruerunt, quod quàm falsum sit, ex ipso litteræ contextu patet; nàm dicendo, quòd Dei filij in vxores filias hominum acceperint, malos Angelos hos Dei filios fuisse excluditur, cùm nusquam dæmones incubos sponsasse, atq; vxores duxisse legatur. Nec officit, quòd filiorum Dei nomine Angeli in scripturis vocari soleant, quia boni, non mali tale sortiri solent vocabulum; vndè quotiès in Iobi libro Dei filij ante Deum astitisse leguntur, diabolus ad Angelorum Sanctorum distinctionem Satanæ nomine nuncupatur: *Quadam autem die, cùm venissent filij Dei, vt assisterent coràm Domino, affuit inter eos etiam Satan.* cap. 1. & c. 2. *Iob c. 1.*

Factum est autem, cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coràm Domino, venisset quoq; Satan inter eos; ex quo liquidò patere existimo, neutiquam hic, filiorum Dei nomine dæmones incubos significari. Nec penitus de Angelis bonis obloquentes audiendi sunt, dum eorum aliquos mulierum formositate illectos degenerasse asserunt; quia (vltrà quàm post viæ morulas amplius eos peccare non posse, communis docet theologorũ schola) cùm propter hominum flagitia, & ad eos, nõ Angelos, qui aquis necari non possunt, interficiendos diluuium immissum dicatur: *Videns autem Deus q̃ multa malitia hominum esset in terra, &c. Delebo hominem, quẽ creaui à facie terræ, &c.* Gen. 6. nullatenus hic de Angelis, nec bonis, nec malis esse poterat sermo. Alij filiorum Dei nomine populi principes importatos autumant, quod etiam quàm à vero aberret, textus ipse declarat; quia si Noe excepto, eiusque familia ob communia scelera communitèr omnes necari debebant, non præpotentes tantùm filiorum Dei vocabulo nuncupantur, sed omnes indifferenter, ob quos indiscriminatim diluuium mittebatur, quod innuere videntur verba illa: *Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coràm me*. ibid. Hieronymus tandèm cum principalioribus scripturæ interpretibus per hos Dei filios Seth nepotes, posteroſque, qui à maioribus suis degenerantes, *Ibid. c. 2.* *Genes. c. 6.* *Ibidem.*

Genes. c. 6.

Digitized by Google

rantes, diuinumque ius contemnentes ardentiſſima libidine cum impuris mulieribus copulati ſunt, intelligit; quæ & ſi verior, communiorq; cenſeatur opinio, haud quaquàm tamèn difficultate maxima vacat; quid. ſ. cauſæ eſt, quòd Dei filij vocantur illi, qui à Deo adeò declinauerant, vt ſecum reliquos ad ſimilia perpetranda induxerint; vndè Caietanus: *Multitudo vitiorum manifeſtatur in caſu iuſtorum, vt ex hoc, quod iuſti ex tunc declinauerunt à recto, intelligatur innumera multitudo peccantium, immò vitia tunc fuiſſe communia.* Quod ſi verum, vt veriſſimũ eſt, nõ Dei, ſed diaboli filios eos nũcupare ſcriptura debuiſſet: verùm myſterio minimè vacat, quòd etiã ſceleſti filiationis Dei titulo decorentur, quia (ni temerarius videor) Deus etiam virtutis defectus, vitiorumq; vt prætexeret magnitudinem, eximij nominis dignitatem adiecit. Flecto adhoc Pererij verba: *Narrat Moyſes, Deum generali diluuio perdere voluiſſe omne genus hominum, paucis exceptis, propter intoleranda eorum flagitia, præſertim autẽ propter eorum peccata, qui cùm filij Dei appellarentur, tamen maiorum ſuorum degeneres, profeſſionis ſuæ obliti humani deniq; ac diuini iuris contemptores exiſtebant.* Manifeſtius meo iudicio dicere volens: quòd maximè ob Seth filios iraſcatur Altiſſimus, & quòd propter eorum præſertim ſcelera diluuiũ immittat, neutiquam mirari debemus, quia venia prorsùs indigni reddebantur, qui ſuam negligebant infamiam, quam Deus nominis dignitate operire ſtudebat.

Caietanus.

Pererius.

Vt Deus virtutis prætexat defectus, eximiorum nominum dignitatem interſerit.

9 Non abſque magno myſterio Chriſtus Dominus, qui adeò minutim martyrum membra, licèt ferris dilaniata, feris diſcerpta, igne combuſta, ſiuè quouis alio tormentorum genere deperdita reſtaurabit, vt nec capillum de eorum capite caſurum aſſerat; non tantùm (vt Brugenſis vtar verbis) vulnerum cicatrices, verùm ipſa etiam vulnerũ foramina in ſuo ſacratiſſimo corpore relinquere voluit: nã ſi abſq; peculiari miraculo hoc fieri minimè poterat; vndè mox dictus Brugenſis: *Peculiari miraculo factum eſt, vt illa foramina non impedirent quominus nerui, & arteriæ circumcirca continuarentur, optimeq; diſpoſiti eſſent, tùm ad continendum ſanguinem, tùm ad obeũdas actiones omnes, motuſq; vitales,* ſuper cap. Ioan. 20. ad quid ergo miraracula cumulat? Cui difficultati, & ſi diuerſis rationibus occurrant diuerſi, & præcipuè ex recentioribus Cornelius à Lapide, qui ſuper cap. Zachariæ 13. viginti cauſas, rationeſq; cur hoc à Chriſto factum ſit, aſſignet: Nonnulli tamen, vt Thomæ præſertim incredulitatis plagas curaret (nàm etſi vt fer. 2. Dom. 4. §. 3. num. 7. tetigimus, non deſit opinio, quòd timore, reuerentiaq; correctus Thomas Chriſti vulnera non attrectauerit; oppoſitum tamèn certum eſt, ipſum ſcilicèt Domini præceptum de inferendo digito intrà vulnerum concaua impleuiſſe, vt optimè inter cæteros dixit Gregorius hom. 29. in Euangelia, & poſt ipſum Toletus annot. 27. ſuper Ioan. 20.) plagas à Saluatore fuiſſe retẽtas autumant, quod alios vt omittam, apertiſſimè dixit Incertus: *Ecce ad quid Dominus ſuorum vulnerum cicatrices reſeruare voluit, & delere noluit: quia hæc in eius diſcipulo ſanare, & eius mentis vulnera curare diſponebat.* Quæ ſi teneatur opinio, modica non erit difficultas, cur ad Thomæ incredulitatis curationem plagas adhibere voluerit: Si mutos ſolo verbo, & alios ſolo intuitu curauit, & traxit, cur nõ ſicut Zachæum vocauit, vel vt Petrum ipſum non aſpexit, quòd vt eius ſanaret vulnera, vulnera in ſuo corpore relinquẽda cenſuit? At ò magnam Dei noſtri pietatem! bonitatem ò verè magnã! vt increduli incredulitatem prophetiæ nomine (ſi fas eſt dicere) quodammodò operiret, non abſq; miraculo vulnera retinere voluit: & vnico vt dicam verbo, quia fortè (ni decipior) Thomam præuidebat dicturum: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum; & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meã in latus eius, non credam.* Ioan. 20. ideò plagas retinere voluit, vt ex rei euentu diuinationis nomen ſortiri videretur nutatio. Meum neutiquam eſt, quod dico, ſed Chryſologi, qui ſerm. 84. elegantiſſimè rem expreſſit dicendo: *Certè*

Cur Chriſtus ſuorum vulnerũ reſeruauerit cicatrices?

Brugenſ.

Ioan. c. 20.

Incertus.

Chryſolog.

Digitized by Google

Thomæ incredulitas prophetiæ decoratur vocabulo.

tè prophetia magis, quàm cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium resurrectionis suæ, sola seruata vulnera prophetali spiritu cognouisset? Sic contra humanum morem, quod virtuti deest, nominis honestate, vt ità dicã, supplere solet Altissimus, vt ipsã Thomæ incredulitatem, etiam non sine miraculo, diuinationis quodam vocabulo honestare studuerit.

10 Præsentem tãdèm claudo tractationem dicendo, quòd si eò inuidentiæ peruenit malitia, vt quod nominum fæditate deturpare non valet, nominis priuatione lumine spoliare conetur: pijssimi verò Domini eò protrahitur bonitas, vt quod nominũ honestate operiendum non censet, nominis saltem absconsione occultet: Claret primum ex 16. Exodi, vbi habetur, quòd hæsitante populo quisnam

Exod. c. 16. esset cibus ille cælitus missus: *Quod cùm vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc?* Et dicente Moyse: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendũ.* ibid. non propter hoc ingratus destitit populus Man panem illum vo-

Ibid. care: *Appellauit q; domus Israel nomen eius Man.* ibid. quod ex ignorantia amplius minimè procedebat, cùm iàm quid esset, à Moyse intellexissent; sed vt rem debito spoliarent honore, nominis ignorantiã simulabãt. Quod tangere videtur Theodoretus in cate-

Theodoret. na Zephir: *Vndè cibus is appellatus est manna? Quia nouo rei spectaculo commoti alter ad alterum cæperunt dicere Manhu? Quid est hoc? Et interrogationis verba in proprium nomen contulerunt.* Secundum verò, quòd scilicet summa Dei bonitas scelestos, & scelera, quæ de se occultari nequeũt, nominis absconsione transiliat: patet in Epulone, cuius nomen propterea silentio præterijt, vt quod nominis comitate operiri non merebatur, silentio saltem obtegeretur. Quod breuibus quidèm verbis, sed ponderibus plenis dixit

Quod nominis fæditate inficere non valet inuidia, nominis ablatione dedecorare studet.

Ambrosius. Ambrosius: *Habenda erat ratio eius, qui damnatus dicebatur.* Hæc mòx dictus Ambrosius, quę cùm dictis pro præsenti instituto satis esse existimo.

Etiam damnatorum rationem Dei pietas habere non dedignatur.

Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autẽ lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi nõ dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meũ non vnxisti: hęc autem vnguento vnxit pedes meos. Luc. 7.

§. III.

Pluris à Deo fiunt pœnitentes bello capti, quàm innocentes gratia iure possessi.

1 VVulgaris nequaquam sanè fuit Constantij Imperatoris animi magnitudo, dum non vt Thetidis filius bello captos venia indignos existimauit: nec ipsos in pœnitentiæ signum etiam ad genua prouolutos necauit, vt defuncto Patroclo efficiebat iste; sed potiùs seditiosos omnes, hostesq; cunctos, modò supplices venissẽt, excipiebat, & in pristinum restituebat. Quod disertè nimis Iulianus Cæsar Panegyr. 3. in eũdem descripsit, cùm ait: *Quotquot belli huius administros tyrannus habuit, horum omnium nec mors ipsa manifesta, neq; obscurum exilium, aut nulli etiam pœnitẽtia fuit. Pleriq; enim ad imperatorem supplices venerunt: ab eoq; omnes veniã consequuti sunt, qui hac in parte Thetidis filiũ magnanimitate superauit. Hic enim Patroclo extincto, nec attendere quidèm quos in bello cæperat, amplius volebat: noster verò impunitatem proponebat omnibus, qui coniurationem eiurare vellent, non modò extremi supplicii, vel exilii,* *Iulianus Cæsar.*

vel

vel panè cuiuſuis alterius metum auferens: ſed inſuper quaſi ex maximis grumnis, atquè infelicitatibus ereptum priſtinum in ſtatum reſtituebat. Aſt reſpectu Dominicæ magnanimitatis nulla penitùs eſt cenſenda, quia huic minimè ſufficit pęnitentes è principis mundi huius manibus ereptos, ac proinde iure belli acquiſitos, iuxtà illud: *Cùm fortis armatus cuſtodit atriũ ſuum in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, &c.* Luc. 11. innocentibus adæquare, niſi eis etiã longè præferat, vt ex eo ſatis patet, quòd Baptiſtam laudauit quidèm, non tamen in os, immò nec eius præſentibus diſcipulis, nè ad illius aures laudes deferrent, vt videre eſt apud Matth. cap. 11. Sanctam verò hanc peccatricem, de qua impræſentiarum noſter eſt ſermo, præſentem, & audiẽtem non ſolum pluriès præconijs extulit multis, verùm adeò etiam laude dignam prædicauit, vt nec nomen tãtæ mulieri congruum reperiri poſſe aſſereret, quapropter proprio relicto vocabulo, vt minùs quàm par erat expreſſiuum, hanc vocat: *Vides hanc mulierem?* Luc. 7. vbi noſter Didacus Stella ex conſimili pronomine Abrahæ operis expreſſiuo: *Quia feciſti rem hanc.* Gen. 22. petendi anſam deſumpſit: *Quam rem Domine?* Illicoq; in Dei ſubdit perſona: *Non inuenio nomen operi dignum. Sic etiam in domo Phariſæi fecit cum Magdalena.* Nec alia ſanè diſcriminis ratio, niſi quia vt oſtenderet, quòd tali pœnitentes amore proſequitur, vt eos innocentibus aliqua ex parte præponat, non clàm, ſed palam, nec abſentem, vt Ioannem, ſed præſentem Magdalenam ad æthera extulit. Quod breui quidèm, ſed diſertè nimis de pœnitenti, & iuſto in ſe dixit Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 8. *Chariorem ſenſerat, quem lucrifecerat.* Quod nil erat, niſi dicere: quem per pœnitẽtiã, veluti iure belli è diaboli poteſtate eruit, in maiorem ſui amoris gratiam coaptat. Nec mirum, quia, ſi fictos gentilium Deos adeò hominum pœnitentiam approbaſſe exiſtimabat Ouidius lib. 1. de Ponto, vt in priſtinum pœnitentes reſtituerent:

Talia cœleſtes fieri præconia gaudent,
Vt ſuo quid valeant numina teſte probent.
Sæpè leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
Cùm benè peccati pœnituiſſe vident.

Ouidius.

multò magis Deus viuus, & verus, qui iuxtà Dauidis dictum miſericordiarũ Deus nũcupari exoptat. Qui texte Nanzianzeno amoris, & dilectionis cognomen aſſumit. Qui ob errantem, atq; balantem ouiculam nonaginta nouem in deſerto reliquit. Qui deniq; (cętera vt omittam) propter hãc errabundam ouem cruentorum luporum dentibus dilaniari non metuit; vndè Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium: *Dei filius propter vnam morbidam ouem, alapas, crucem, & flagella ſuſtinuit*, hominum pœnitentiam probare, & pœnitentes ipſos nedùm in priſtinum reſtituere; verùm innocentibus etiam aliqua ex parte præferre debebat.

Hieronym.

Innocentibus pœnitẽtes præfert multoties Deus.

2 Pœnitentes innocentibus coæquando ſatis ſe extuliſſe exiſtimauit Radulphus, dùm capri, & ouis ſacrificium ad myſticum ſenſum reducens, ea propter in eodẽ holocauſti loco illũ cũ hac offerri opinatur, vt videre eſt in 4. cap. Leuit. quia eumdem locum, eumdemq; gradum, quem innocentiæ gratia poſſident innocui, pœnitẽtiæ virtute obtinent pœnitentes: *Videtur pœnitentiæ meritum ſicut de capra dictum eſt, interim commendare. Nam etiã lex hircum, qui pro peccato offertur, in loco holocauſti immolandum decreuit: vt ſcilicet peccatores ſi dignos pœnitentiæ fructus attulerint, eumdem cum ijs, qui perfectionis iter ab initio gradiuntur, meriti gradum adepturos eſſe confidant.* Sic ipſe apud Tilmannum: vbi illicò neutiquàm myſterio vacare ſubdit, quòd porta aquilonaris iuxtà Ezechielis ſententiam ijſdem prædita, atq; ornata ſit, quibus porta potiebatur, atq; decorabatur orientalis: quia æquè aditus ad cęleſtem Ieruſalem pœnitentibus, ac innocentibus patet: *Per Ezechielem porta ad aquilonem ea omnia, quæ porta ad orientem habet, perhibetur habere. Omnes enim, qui ab vtero in in-*

Radulphus.

Eumdem meriti gradum pœnitentes cum innocuis obtinere ſolent.

Idem.

Æquè innoxiis, ac e peccatis cõuerſis ad cęleſtẽ patriã aditus patet.

Luc. c. 11.

Luc. c. 7.

Didac. Stella.

Tertullian.

Chriſtus in os Magdalenam laudat, qui nec corã diſcipulis Ioãnẽ commẽdare voluit, & quare?

Digitized by Google

nocentia perstiterunt, portam ad orientem habent; quia eis regni cœlestis aditus à lumine, quod acceperunt, patet. Et omnes, qui in peccatis postmodum lapsi torporis sui frigore sunt depressi, si per pœnitentiam redeant, portam ad aquilonem habent: quia eis etiam post peccati sui frigora regni aditus per misericordiam Dei patet. Quod & ad pœnitentiæ commendationem dicere videtur Beda super cap. 19. Lucæ, vbi coniunctionem illam, *Et*, premēs: *Eò quòd, & ipse sit filius Abraha*, appositam ob id eam existimat, vt pari passu coràm Altissimo cum innoxijs noxios pœnitentes incedere ostenderetur: *Pulchrè dicit, & ipse: vt non solùm eos, qui iusti perseuerant, sed eos, qui ab iniustitia resipiscunt ad filios promissionis pertinere declaret.* Et apertissimè confirmat Anastasius Sinaita, qui in anagogicis contemplationibus in Hexæmeron non ob aliud redeunti prodigo stolam primam datam fuisse asserit, nisi vt ex primi indumenti restitutione in pristinum, ac si nūquàm peccasset, primum hominem in prodigi persona expressum, fuisse restitutum agnosceretur: *Cùm accepisset prodigum hunc, nudum hominem, qui extrinsecùs intrò rectè erat ingressus, eum texit dicens: afferte stolam primam, quam iste ferebat priùs, nempè indumentum incorruptionis, & induite eum.* Sic ipse cum præfatis pœnitentiam cum pœnitentibus non parum se extulisse putat: mihi tamen valdè diminuta videtur laudatio, quia & si statum ad statum comparando innocentiæ scilicet, & pœnitentiæ, nobilior ille innocentiæ censeatur: persona posteà, si personæ conferatur, non solùm innocentibus pœnitentes coęquari, sed præferri etiā multotiès reperio; quod satis apertè mòx dicti prodigi ostendit parabola, nàm idcircò (ni temerarius videor) in prodigi regressu primogeniti, qui nūquàm à patre discesserat, introducuntur querelæ, quia tanta beneuolentia à Deo excipi solent pœnitentes, totquè amoris stringi consueuerunt amplexibus, vt in iustis etiam si qua inuidię oriri posset occasio, (quod iustitię repugnare optimè nosco) oriretur equidēm. Neutiquàm id meum asserо, cū à Diuo Bernardo serm. contra pessimum vitium ingratitudinis dictum reperiam: *Minimè sufficere potuit paternæ pietati, nisi tàm copiosam ei misericordiam exhiberet, cui posset et ille, qui numquàm à patre discesserat senior filius inuidere.* Nec mirum, quia super exaltat misericordia iudicium. Et adeò vbi abundauit delictum, abundare solet & gratia, vt illa innocentium ei æquari multotiès nequeat. Vndè Vgo Cardinalis super præfatum Lucæ locum: *Ex hoc apparet, quòd Dominus lapso, & per pœnitentiam humiliato, maiorem gratiam cumulat quandoq; quàm illi, qui nusquàm cecidit, vt patet in Paulo, et Petro, & Magdalena.*

Bernardus.

Tāta Deus beneuolētia pęnitentes prosequi solet, vt etiam inuidiosi aliis fieri possint.

Vgo Card.

Beda.

Anastasius Sinaita.

In pristinū per pœnitētiam restituitur.

3 Angebatur semel Rex ille, qui filio nuptias efficere intendebat, quòd amicorum inurbanitas inuitatum cōtemnendo suæ restitisset vrbanitatis iusserat propterea, quòd horum vice alijs indicerentur nuptiæ; paruerunt sanè obsequentes seruuli indiscriminatim conuiuij locum quotquot inuenerunt introducentes: at quid est bone Deus, quòd nulla habita bonitatis ratione mali priùs inducti describuntur, quàm boni: *Vocauerunt quotquot inuenerunt malos, & bonos?* Matth. 22. vbi est totiès commendata distributiua iustitia? Quò seruorum abiit sapientia? An virtuti vitium, & probitati improbitatem præferre intendebant? Difficilis sanè scripturæ locus; tamèn illa alia difficultate à Radulpho mota facillimè enodabitur: cur oues in tępli vestibulo, & caprę in introitu immolari iubebātur, vel vt clariùs dicam; cur longiùs à tabernaculo oues, quàm capræ offerebātur: *Si de ouibus fuerit eius oblatio, &c. immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij. Si capra fuerit eius oblatio, &c. immolabit eam in introitu tabernaculi testimonij.* Leuit. 3. Si per has peccatores, & per illas iusti importabantur, longiùs arceri debebant istæ, quàm ille: *Notandum*, ait Radulphus à Tilmanno allatus, *Quòd cùm ouis hostia offertur, ab introitu tabernaculi elongatur. Capra verò victima in ipso introitu immolari iubetur. Quid est igitur, quòd peccatoribus tanta accedendi libertas conceditur, quam ij, qui quamuis maguis virtutibus vacuam, innocētem tamèn*

Matt. c. 22.

Leuit. c. 3.

Radulphus.

se

Idem.

Cur longius à tabernaculo oues immolantur, quàm capræ?

Gomezius.

Ad cœnam mali priùs introducti dicuntur, quàm boni, & quare?

Matth. c. 1.

Hieronym.

Gomezius.

In Christi genealogia Abrahę præfertur Dauid, quia apud Deum pluris haberi solent pœnitentes, quàm innocentes.

Paulus de Palacio.

Christus cur Dauidis potius, quàm Abrahæ filius nuncupatus?

Gualfridius

se recolunt transcurrere vitam, longius stare præcipiantur? Verùm haud quaquam mysterio vacat, quòd propiùs accedánt caprę, quàm oues: quia peccatores, & publicani; telonearij, ac fures si veram delictorum suorũ pœnitentiam egerint, ipsos innocuos in regno Dei gloria multoties anteibũt: *Hæc est sacra consuetudo scripturæ: quia penè ubiq; peccatores si reuerti voluerint, in spẽ reuocare conatur. Indè est, quòd sæpius eorum proponit exempla, in quibus cùm prius abundasset peccatum, superabundauit & gratia.* Hæc mòx dictus Radulphus: quibus cur mali priùs, quàm boni ad nuptias vocati describãtur, sole clarius innotescit; quia contritionis, ac pœnitentię virtute nedũ innocentibus præstãtiores apparere solent; verùm in ipso quoq; cęlestis patriæ conuiuio primas obtinere cõsueuerunt sedes. Aduoco Gomezium super psal. 50. dicentem: *Licet enim vt plurimum melior sit innocentia, quàm pœnitentia, sicut melior est vestis integra, quàm scissa et dissuta, quamuis commissuris postea resarciatur quibusdam: tanta tamen potest esse pœnitentia, et contritio, vt sit innocentia, et incorruptione multò præstantior.* Optimè quidem, & non ad insipientiam nobis summi Regis seruuli malos priùs vocauerunt, quàm bonos; quia ex hoc, quò per pœnitentiam ascendere possimus, edocent.

4 Vetus est quæstiuncula, sed pro præsenti instituto magno referta mysterio: quid causæ sit, quòd Christi generationem describere volens Matthæus à Dauide est exorsus dicẽdo: *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham.* cap. 1. si multis temporum curriculis Dauidem præcessit Abrahamus, cur præpostero ordine genealogiæ seriem à posteriori inchoat? Nosco communem fuisse sententiam, quòd nè iterum repeteretur Abraham, à Dauide exorsa sit generationis textura. Vndè Hieronymus lib. 1. commentariorum in Matt. in initio: *Ordo præposterus, sed necessariò commutatus. Si enim primùm posuisset Abraham, et posteà Dauid, rursus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis series texeretur*; verùm si hæc potissima fuisset S. Euangelistæ mens; ab Isaac, vel à Iacob incipiendo, atq; dicendo, Filii Iacob, filij Abraham; vel filii Isaac, filij Abraham difficultati facilè occurrere potuisset. Si dices, quòd relictis alijs ipse præcisè, ac Dauid in prologo poni debebant, quia his duobus solummodò in veteri testamento expressa facta fuerat de Christo ex eis nascituro promissio, vt ex Gen. 22. & ex Psal. 109. constat, quod de alijs nequaquàm habetur, adhuc prima viget difficultas; si æquè facta fuerat vtriq; repromissio, cur tẽporis nõ seruatur ordo, & proinde nõ priùs Abraham nominatur, quàm Dauid? At ò magnam pœnitentiæ vim! immò infinitã Dei nostri pietatem! quia enim Dauid peccauerat quidem sed plenam delicti pœnitentiam egerat, ea propter in sui genealogia Christus etiam ipsi Abraham semper iusto, sẽperq; sãcto illũ prętulit; vt & innocuis, amicisq; pœnitentes se præferre ostẽderet. Gomezij fuit ista subtilitas super psal. 50. in hunc modum dicẽtis: *Tantum enim pœnitentia sua apud Deum valuit Dauid, vt ipsum etiam Abraham, licèt tam innocens esset, maximè antecelleret. Quapropter à D. Matthæo cap. 1. dum generationem Christi Domini enarrat, priori loco, quàm Abraham, licèt tẽpore posterior esset, relatus est, cùm dixit: Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham.* Hæc ipse, quibus pluris Deũ verè cõtritos, vereq; humiliatos, quàm innocentes facere, satis patet.

5 Nec vacat mysterio, quòd cùm vtriq; repromissio facta fuerit, Dauidis semper tàm à doctis, quàm ab indoctis: tàm à magnis, quàm à paruis filius vocari voluerit, vt ex multis scripturæ locis habetur, sed præcipuè ex Matth. cap. 9. & c. 22. quia pœnitentiæ suæ esse debebat prærogatiua Christi patris vocabulo insigniri. Vndè Paulus de Palacio: *Christus magis dicitur filius Dauid, quàm Abrahæ: filius scilicet eius, qui peccauerat, quàm eius, de cuius peccatis nulla fit mentio.* Hinc dicere consueuit Gualfrid. super cap. Isaiæ 6. à Tilmanno relatus, quòd & si iustus excelsũ Dei soliũ dicatur, iuxta illud: *Anima iusti sedes est Sapiẽtiæ*, tamen verè pœnitẽs solium super excelso eleuatum dici debet: *Solium hoc excel-*

Digitized by Google

celsum in his, qui innocentiam seruauerunt accipi potest: eleuatum verò in his, qui per pœnitentiam redierint. Quod sanè non est pœnitentiũ vulgare præconiũ, supra excelsos eleuatos describi.

Ioan. c. 12. 6 *Fecerunt autem cœnam ibi: et Martha ministrabat. Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo*: verba sunt Ioan. cap. 12. quæ considerans Vgo Card. mysteriũ magnũ in ipsis contineri asserit, illudque esse de pœnitente, & innoxio; quia si iuxta Saluatoris nostri dictum maior est, qui recumbit, minor autem, qui ministrat; licèt Marthæ famuli non deessent, nec famulæ; licèt copiosa ei esset familiarium turba, tamen optimo iure discũbente Lazaro non seruos, nec ancillas; sed ipsam ministrasse narratur; quia in illo æterno Dei conuiuio nedum innocentibus per Martham figuratis pluris haberi solent pœnitentes per Lazarum demonstrati; verùm etiam, vt discumbentes à ministratibus, sic hi ab illis differre videntur multoties.

Vgo Card. Fauet Vgo Card: *Quis maior est, qui ministrat, an qui recumbit? Nonnè qui recumbit? Ergo maior est in conuiuio Domini Lazarus, quàm Martha; quia peccator de magnis flagitijs conuersus magis feruet in bonum.* En quomodò satis innocentibus pœnitentes præstant, dùm ipsis discumbentibus ministrant illi.

Vt discumbentes à ministrãtibus, sic pœnitẽtes ab innocentibus differre cõsueuerunt in cœlis.

7 Quanta polleret sanctitate Ioannes, sole clarius mundo innotuit toti; nàm eum prophetã, & plus quã prophetam, & Eliam, & omnibus ex mulieribus ortis maiorem, & deniq; (vnico vt concludam verbo) & terrestrem Angelum, & adhuc in terris degẽtem cœlestem ciuem os veritatis asseruit: At si huic etiã pœnitentẽ quandoque aliqua ex parte Christum prætulisse audires, fidem sanè id asserenti minimè præstares, & tamen in terminis visa res est; nàm corrigiæ calceamentorum Christi contactu indignum se vocante Ioanne: *Non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius.* Ioan. cap. 1. nequaquàm capitis attrectatione indigna existimatur Magdalena: vndè in domo Simonis discumbente Saluatore è pedum ad capitis eleuatur contactum: *Cùm autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Matth. 26. nec ob aliud sanè, nisi vt in hoc eò agnosceretur euecta, quò Ioannis nõ peruenerat magnitudo. Perbellè rem cõfirmauit noster Viega fer. 2. Hebd. Maior, dùm clamat: *Magna equidem amoris audacia caput illud tangere, & manibus suis contrectare, quod omniũ hominum, & Angelorum erat caput! Hac consideratione perterritus ille magnus Baptista, qui in vtero matris sanctificatus fuerat, & Spiritu Sancto plenus, sanctum eius verticem cùm baptizandus accessit, tangere non audebat: Non sum dignus, aiebat corrigeam calceamentorum eius soluere; & tamen sancta hæc peccatrix postquàm lacrymis corporis mentis culpas abluit, ad tantam Christi gratiam, & familiaritatem peruenerat, quòd non solùm pedes, verùm et caput ipsius tangeret. Priùs enim ex licentia eius pedes non excedebat, nunc autẽ vsque ad summũ eius verticem per Dei gratiam erecta est.* Quàm autẽ cæteris iustis Magdalenæ similes præferantur, dùm hæc etiã Ioanni aliqua ex parte præficitur, tibi excogitandum relinquo.

Viega.

Christi caput contrectãdo Magdalena eò se ostendebat euectã, quò minimè Baptistæ peruenerat magnitudo.

Io. c. 1.

Matt. c. 26.

8 Quia innocentibus pœnitentes præferendo lusisse me nosco; addo, quòd, & ipsis cœlestis patriæ ciuibus (ipsis Angelis dico) anteponuntur aliquotiès, quod nè gratis dictum existimes, Matt. lege, & in cap. 5. Christũ in monte turbas docturum sedisse reperies: *Ascendit in montem, et cùm sedisset, etc.* quod & si ad magisterij dignitatem spectare videatur, Bernardus tamen turbarum accessum, ac voluntatem à D. Luca descriptam: *Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, etc.* cap. 5. considerans, ideò Christum sedisse existimat, vt ad eum accessus, qui Angelis negabatur, corde concederetur contritis: *Sedit, vt ad eum, quem nec ipsi quidem Angeli stantem attingere poterant, etiam publicani, et peccatores accedant.* Hæc Bernardus, quibus luce clariùs etiam Angelis præferri quodammodò pœnitentes asseruit. Quam Bernardi sententiam etiam Paulum de Palacio super verba illa: *Filius autem hominis*

Matt. c. 5.

Luc. c. 5.

Bernardus.

Ipsis Angelis aliqua ex parte præponuntur pœnitentes quandoq;

Luc. c. c. 9.

non

Digitized by Google

Luc. c. 9. *non habet ubi reclinet caput suum.* Luc. cap. 9. sequutum fuisse reperio, nam in pœnitentis potius corde, quàm in Angelorũ sinu caput ipsum reclinare optasse asseruit, dum in gratia existẽtibus Angelis inter homines, culpæ causa, vbi caput reclinaret, minimè inuenisse conquestus describitur: *An nõ habet Christus Angelos, in quibus dignè caput reclinet? Cur igitur queritur, se non habere ubi caput reclinet?* Ait mòx dictus Paulus, qui illicò difficultatem soluit subdendo: *Nescio an id audeam dicere: maius gaudium est Christo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis illis, qui choros Angelorum significant, qui pœnitentia non indigent. Quid igitur miraris, si nescio quid solatii inueniat Deus in hominis anima, magis quàm in Angelo?* Si dulciùs (ni hallucinor) in pœnitentis anima, quàm in Angelis cubat, haùd quaquam tibi mirabile videri debet, si his illos aliqua ex parte præponat.

Paulus de Palacio.

Dulcius (si fas est dicere) in pœnitentis anima, quàm in Angelorũ sinu pietatis requiescit Magister.

9 Rationem deniq; cur pœnitentes adeò exaltet Altissimus, si scisciteris; omitto, quòd virtute cœlestis gratiæ tanta solet pœnitentia, & contritio esse, vt ipsa innocentia, & iustitia multò coram Deo præstantior appareat: propterea etiam sic à Deo pœnitentes extolli existimo, quia cariùs iuxta superiùs allatam Tertulliani sententiam haberi solet, quod iure belli acquiritur, quàm quod pacificè possidetur: Vndè non innoxios, sed à peccatis conuersos pro insigni trophæo à Deo erigi consueuisse obseruat Stephanus Cantuariensis, dùm arcum illum in fœderis signum in nubibus positum Magdalenam figurasse autumat, quã ob id maximè in signum Deum posuisse putat, vt trophæum de hostibus ipsam ad se trahẽdo reportasse, ostẽderet: *Arcus*, ait ipse à Tilmanno allatus, *fit ex repercussione radiorum solis, et nube humida. Nubes humida fuit Maria Magdalena, quando pedes Domini lauit, et capillis tersit. Fuit etiam solis radiis repercussa, ideſt gratia respersa, et lacrymis resoluta. Color igneus refertur ad dilectionem. Et dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cæruleus ad pœnitentiam: Vndè lacrymis riguit pedes Domini;* Et subdit, quod magis ad rem facit præsentem: *Fuerat hæc priùs in cœno luxuriæ, sed modò ponitur in nubibus cœli, et sic est fœdus inter nos, et Deum. Quis enim desperare potest, ubi tàm peccatrix, tàm glorioſa effecta est?* Hæc ipse: quibus ego addo, quòd si quia fuerat in cœno luxuriæ, lacrymis postea emundata in nubibus ponitur; ergo pœnitentes sibi, non innocẽtes pro trophæo erigit glorioſissimus dæmonis Victor. Nec mirum, quia vt optimè dixit Chrysologus serm. 97. ob id peccata, quæ facilè impedire posset, permittit, quia: *Maius est reparare perdita, quàm illæsa reseruare.*

Stephanus Cãtuariens.

Arcus in fœderis signũ in nubibus collocatus Magdalenã mysticè figurabat, & quare?

Præclara victoris Christi trophæa pœnitentes.

Chrysolog.

Fides tua te saluam fecit. Vade in pace. Luc. 7.

§. IV.

Perdita peccator conscientiæ pace durum nimis contra se, proximũ, & Deum bellum assumit.

1 GRatiã, & pacẽ germanas esse sorores, Pauli fuit sẽtẽtia, qui pluriès, sed maximè ad Romanos scribens, sic habet: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* cap. 1. Vbi Chrysostomus hom. 1. *Animi tranquillitatem, et lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum afferre consueuit, præterquàm rectè factum solùm spirituale, ac conscientia bona.* Nec vacat mysterio, quòd indiuiduas socias gratiam, & pacẽ appellet; quia si iuxta S. Thomæ sententiam in 2. 2. quæst. 29. art. 3. pax alterius non est effectus, nisi charitatis, & gratiæ (Quod antè ipsum dicere visus est Isaias, quandò iustitiæ opus pacem nuncupauit: *Erit opus iustitiæ pax.* cap. 32. quod S. Antonius Paduanę ciuitatis iubar mysticè glossans ait: *Opus iustitiæ, ideſt, illorum qui sunt iàm per gratiam iustificati, est pax; fundamentum totius boni operis ponunt*

Rom. c. 1.

Chrysost.

Pax charitatis germana.

Isaias c. 32.

S. Ant. de Pad.

Digitized by Google

Dissentiones & bella peccati filiæ:

in pace mentis) dissentiones, & lites, seditiones, & pugnę peccati filiæ sunt; quod Arrian. lib. 2. cap. 26. dixisse existimo, cùm ait: *Omne peccatum pugnam complectitur. Cùm enim is, qui peccat, non peccare, sed rem bene gerere velit; perspicuum est, eum id, quod nolit facere.* Et Seneca epist. 57. frustrà tumultuante conscientia pacem foris

Seneca.

quæri asserit: *Quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt? Omnia noctis erant; placida composita quiete: falsum est. Nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit.* Et sanè haùd mirum, quia si secundum Philosophi sententiam oppositorum eadem est disciplina, cùm gratiæ peccatum opponatur, si illa pacis, hoc belli causam esse oportet. Quod optimè super illud Isaiæ 22. *Non est pax impiis dicit Dominus*, dixit Carthusianus art. 85.

Nulla placida quies, nisi quā ratio composuit.

Carthusian.

Cùm pax sit charitatis effectus, nec sine gratia habeatur, patet quòd nullus iniustus veram, internam, spiritualemq; pacem sortiatur, de qua dicitur in Matth. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et antè ipsum Saluator (qui optimo, maximoq; iure vix remissis Magdalenæ peccatis instar columbæ in sanctæ huius mulieris cordis arcam per inhabitantem spiritum, gratiæq; infusionem oliuæ ramum, pacis indicium, ore attulit) dùm ait: *Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Luc. 7. quia expulso peccato, quod nedum cum proximo, & cum Deo, verùm cum anima etiam bellum dirum nimis gerebat, pax magna remansit, iuxta illud: *Pax multa diligentibus legem tuā*, psal. 118. Quod à Carthusiano accepi, qui super mòx dictum Lucæ locum art. 19. in Christi persona sic Magdalenam alloquitur: *Vade in pace, à vitiis cessa; nec in pristinam vitiorum deordinationem labaris: sed iugitèr regratieris, quemadmodum ad Romanos ait Apostolus: Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Hæc est pax vera, & bona, mentis in Deo tranquillitas, quam ad Galatas ponit Apostolus inter fructus spiritus, qua iniusti nō tranquillantur, iuxta quod in Isaia legitur. Nō est pax impiis dicit Dominus.* Ex quibus sumpta dicēdi occasione, quòd contra se, proximum, & Deum bellum peccator assumat, sequentibus ostendam.

Luc. c. 7.

Psal. 118.

Carthusian. Contra se, proximum, & Deum peccatis pugnat peccator.

2 Cordis obseratis ianuis, munitis mœnibus, constitutis vigilibus, citisq; potentiarum militibus bellum magnum peccatorem indicere Vgonis Cardinalis fuit sententia, qui super verba illa: *Intrauit Iesus in quodam castellum* Luc cap. 10. hæc habet: *Quod est autem hoc castellum, nisi cor hominū, quod priusquā Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroq; obstinationis clauditur, atq; interiori latitudine sua babylonica turri erigitur? Huius castelli incolæ victum habent voluptatem corporis, & seculi vanitatem, quibus pascūtur. Habent & qua teguntur proprij cordis duritiam, vt verbi Dei sagittis potentibus vix, aut numq; valeant penetrari.* Magnum sanè bellandi principium, at contra quem tantus bellicus apparatus? Contra Deum nè, ac proximum? Et quidèm; nàm charitatis frigescente calore cōtra vtrumq; prælium peccatum indicit; verùm contra se primò id denunciat, nàm vt se culpæ ream intelligit conscientia, valide contra peccatorem insurgit, ex quo aduersarij sortiri solet vocabulum, dicente Matth. cap. 5. *Esto consentiens aduersario tuo, dùm es in via, etc.* Vbi Dorotheus de conscientia doctr. 3. *Cur autem vocat conscientiam aduersarium? Aduersarius dicitur, quia aduersatur omni praua nostra voluntati, & nos arguit, in quo minus agimus, quod debemus; & rursùm cùm mòx agimus, quod non debemus, nos accusat, hac de causa vocat aduersarium nostrum.* Huius acerrimi aduersarij prouocationes timens (vt ità dicam) impiissimus Iudas, illicò post proditionis decretum armis multis munire se studuit, dicente Ioanne: *Venit illuc cum laternis, facibus, & armis*, cap. 18. Vbi Ferus: *Perdita pace conscientiæ externis armis, & multitudine se muniuit, quod signum timoris est.* Et sanè longè à veritatis via aberrabat, quia intùs erat, qui eum prouocabat. Vndè Thomas de Kempis serm. 5. ad nouitios frustrà Ionam tumultuante conscientia pacem deforis quæsisse, describit: *Pax nostra, & quies bona vitæ est in multa patientia, secundùm vitam Christi, & exempla sanctorum: non in longa fuga per*

Vgo Card.

Obseratum castrum ad pugnādum semper paratum peccatoris cor.

Matt. c. 5.

Dorotheus.

Aduersatur semper peccatori conscientia.

Ioan. c. 18.

Io. Ferus.

Thom. de Kempis.

Digitized by Google

Frustra foris pacem quærit, qui intus à conscientia prouocatur.

per loca arida; nec in naucula per flumina transmarina. Ionas propheta fugere voluit à facie Domini, nauim ascendit, sed nihil ei profuit. Tradidit se sopori; quietem quæsiuit, sed non inuenit. Latere se credidit; sed Deus absconditum prodidit, tempestatem mouit, & mare turbauit: tunc dormientem nautæ excitant, increpant, & in mare proiiciunt. Nec mirum, quòd nullibi pacem repererit Ionas; quia vbique aduersariam habebat conscientiam. Et si iuxta Augustini sententiam cap. 158. de verbis Domini pax nil aliud est, quã *Serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, & consortiũ charitatis*; charitatem qui amittit, tranquillitatem perdit, & pacem.

Augustin.

3 Personant vndiq; nato Redẽptore pacis prẽconia; intimãt Angeli in hac palestra degentibus vnitatem, & pacẽ; at omnibus nè indiscriminatim? Nequaquam, quia bonæ volũtatis hominibus illam nunciando: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. cap. 2. iniquos malas seruantes voluntates è pacis excluserunt consortio, nil aliter certè super mòx dicta Angelorum verba sentiunt omnes: & profectò angelica prorsùs partitio, quia si pacis aliud neutiquàm reperiri potest fundamentũ, quàm iustitia, quonam modo vbi iustitia non est, esse poterit pax? Nullatenùs sanè; Audiat si quis adhùc peccatores pacis potiri scintilla existimat, quid regius Vates denascituri Redemptoris tempore prædixerit: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Psal. 71. nàm si benè aduertis, non priùs pacem, quàm iustitiam posuit, quia supra aliud haudquaquam solidari pax potest, quàm super firmissimam iustitiæ basim; vt optimè Dialog. 4. cap. 2. de optimi regiminis harmonia dixit Hector Pinctus: *Sine iustitia pax esse nequit, sic Psaltes: Orietur in diebus eius iustitia, &c. Vndè colligitur iustitiam pacis esse radicem, & fundamentum*, quod si verum, vt verissimum est, satis patet, cur Christi tempore non malæ, sed bonæ voluntatis viris tranquillitas nuncietur, & pax; quia stare non potest pacis structura, vbi iustitiæ desunt fundamenta. Vndè Lyranus super præfata Angelorum verba: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis, &c. Idest hominibus bonis, malis autem hominibus non est pax, secundùm quòd dicitur Isaiæ 48. Non est pax impijs dicit Dominus.* Nec Dauid horum Angelorum concentuum inscius fuit, immò ipsorum prophetico spiritu præscius dicere consueuerat, quòd non omnibus, sed plebi suæ, quæ ex toto corde ad eum ventura erat, per angelicum os pax erat nnncianda: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam; Et super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Psal. 84. quod super c. Isaię 2. explicans mòx dictus Pinctus, sic ait: *Viderat Vates nõ omnes hanc angelicam pacem esse habituros, ideò ait: Super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Hanc pacem cælitùs annunciauerunt, quandò nascente Christo cecinerunt: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Luc. c. 2.

Psalm. 71.

Hect. Pinc.

Pacis radix iustitia.

Lyranus.

Cur tantum bonæ volũtatis viris pax Christi tempore nũciata?

Psal. 84.

Hect. Pinc.

4 Mellea est Origenis subtilitas, cur data à Pilato Iudæis optione, quem sibi dimitti vellent, Christum, an Barabbam, hunc potiùs petierint: *Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.* Matth. 27. quia perdita conscientiæ pace (quæ aliter haberi nequit, nisi per Christũ) nil nisi tumultus, & bella, per seditiosum Barabbam figurata, in miserrimo peccatoris corde remanent: *Vbi non est Iesus, seditiones, & lites, & prælia sunt. Vbi autem est Iesus, ibi sunt omnia bona, & innumerabiles diuitiæ spirituales, & pax.* Mòx dictus Origenes hom. 37. in Matt.

Matt. c. 27.

Origenes.

Vbi Iesus ibi pax, vbi ipse non est, seditiones adsunt, & lites.

5 Quòd si posteà, quibus armis, quorum ingenio, ac qua acie peccatoris impugnetur anima, noscere cupis, facilè difficultatem expedio dicendo: quòd carnis desideria acerrimi sunt huius belli milites, qui membris ipsis veluti armis sub culpæ vexillo contra miserrimam impii animam agitant semper, & pugnant: Hinc Paulus carnis opera veluti ordinatam aciem, & instructum militum cuneum ordinatè enumerat dicendo: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, ido-*

Galat. c. 5.

Digitized by Google

idolorum feruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia. Ad Gal. 5. vt quibus armis, quoue exercitu contra insensatos scelestos pugnetur, intelliganus. Quam Pauli mentem optimè noscens Origenes hunc ait in modum: *Omnia namque illa, quæ superiùs opera esse carnis enumerauimus, veluti exercitus quidã damnatus est, sub hoc rege peccati militans, & legi eius parens, quæ in membris carnis inscripta est.* Quod argumentum prosequutus est etiam allatus Pinctus super locum proximè citatum verba explicans illa: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tãquam ex mortuis viuentes: et membra vestra arma iustitiæ,* ad Roman. 6. dùm hæc habet: *Ex his verbis Apostoli apparet, membra hominis flagitiosi esse gladios, et hastas, quibus animam suam fauciat, et vulnerat: cùm deberent esse arma iustitiæ, quibus aduersùs vitia pugnaret, et in quibus Deum portaret, iuxta illud, quod ait idem Apostolus: Glorificate, & portate Deum in corpore uestro.* Hos hostes vincere, hasq; acies euertere docuit Isaias, cùm in vomeres gladios conflandos, & in falces hastas conuertendas esse dixit. Vndè mòx dictus Pinctus loco præfato: *Nil aliud est, gladios in vomeres conuerti, & hastas in falces, quàm sensus omnes, omniaq; nostra membra, quæ sine Christi gratia in homine flagitioso arma sunt diaboli, mundi, & carnis, quibus anima nostra transfigitur; effici vomeres, agrum Domini operibus charitatis scindentes, & arantes: vertiq; in falces fructus pietatis Deo gratissimos metentes. Et hoc modo spirituali, atq; euangelica pace gaudebimus.* Sic ipse cum præfatis, quàm, & à quibus pugnam patiantur iniqui, describit.

Origenes.

Carnis opera, exercitus contra peccatorem belligerans.

Rom. c. 6.

Hect. Pinc.

Peccatoris membra, machæræ contra ipsum pugnantes.

Idem.

Gladios, in vomeres: & hastas in falces quomodò conuerti possint, ex penditur.

6 Porrò neque hic flagitiosorum sistit certamen, nàm acres contra se, contra proximos, & maximè contra iustos acerrimè belligerare non desinunt, quod clarè nimis Ecclesiasticum dixisse existimo, qui ob id sanè iuxta Bernardini Senensis sententiam non gladium simplicitèr, sed gladium bipicem peccatum nuncupauit: *Romphæa bis acuta omnis iniquitas.* cap. 21. quia non in auctorem tantùm, sed in proximum etiam consurgere semper consueuit iniquitas. Vndè dictus Bernardinus tom. 1. serm. 51. de passione Domini cap. 2. *Gladio nempè mali operis se, & plerumq; alios peccator interimere solet, propterea Ecclesiast. 21. scriptum est: Romphæa bis acuta, scilicet contra se, & proximum omnis iniquitas.* Quæ Bernardini verba, & si optimè nostrum probent institutum, bellum tamen à Caino contra Abelem motum satis ab ipsis mundi primordijs contra proximos, præsertim verò cõtra iustos peccatores belligerare ostẽdit; nàm nulla cogente causa, immò nulla penitùs existente ratione diaboli miles (vt Chrysostomi vtar verbis) effectus Cainus contra innocentem insurrexit, ac facinus etiam terræ inuisum perpetrauit: verùm quid mirum, quòd rupto fraternæ charitatis fœdere contra Abelem insurgat, si perdita conscientiæ pace priùs contra se acritèr pugnare iàm cœperat? Thomas de Kempis in hospitali pauperum cap. 13. de varijs bellis impiorum, & patientia iustorum: *Durum bellum ortum est inter duos fratres germanos, durum nimis, & pernicioſum diabolo instigante, et inuidia ardescente: Nam sicut legitur in lib. Geneſis natis duobus Adæ filiis, inuidioſus Cain surrexit aduersùs Abel fratrem ſuum iuſtum, et Deo dilectum, cuius munera Deo accepta narrantur: vndè ira, ac furore crudelitèr permotus, quaſi lupus rapax, contra agnum pium deſæuit, et innocentem fratrem ſuum meliorem ſe occidere ſtuduit.* Immane equidem facinus! crudele bellum! sed mirum certè non est, quia cùm adest culpa, contra se, & proximum pugna non abest.

Romphæa bis acuta omnis iniquitas. cap. 21. *Ecclesiast. c. 21.*

Bernardin. Sen.

Romphæa bis acuta cõtra se scilicet, & proximum est omnis iniquitas.

Thom. de Kempis.

Cũ adest in anima culpa, contra eam, & proximũ pugna non abest.

7 Inutilis non est pro re hac, de qua loquimur quæstiuncula à Paulo de Palacio mota: quid est, quòd in domo magni illius sponsi, in cuius pectore omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei recluduntur, fatuæ admitterentur virgines: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipiẽtes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, et ſponſæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes.* Matt. 25. cur

Matt. c. 25.

non

Digitized by Google

non omnes prudentes elegit? Cur nõ omnes ſapientes Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiit, ad ſibi famulãdum adſciuit? Si quia præſentis temporis Eccleſia per cęlorum regnum importata iuſtos indiſcriminatim cum iniuſtis admittit; ad quid illicò abſq; vllo medio prudentibus fatuas opponit? An vt bellum contra probos ab improbis motum deſcriberet, ſtatim illis has veluti ordinatam aciẽ, & armatum cuneum opponendas cenſuit? Nequaquam aliter: *Quinque fatuæ ſunt, quia ſicut contra malum bonum eſt; & contra vitam mors. Sic contra iuſtum peccator. Duo contra duo, & vnũ contra vnum: vt habetur Eccleſiaſt. 52. nàm ſemper ſanctitas habet aduerſarios.* Præfatus Paulus de Palacio, qui ob eamdem oppoſitionem, quam omnibus, ſed præcipuè iuſtis efficiunt iniuſti, oues illos, lupoſq; iſtos à Saluatore nuncupatos autumat: *Igitur omnes hi, qui non dederunt ſua nomina Chriſto, ſub concupiſcentiæ militant vexillo. Voraces ergo ſunt, edaces ſunt, lupi ſunt. Vbi igitur eſt Chriſtus, ibi ſunt oues. Vbi caro eſt, lupi ſunt: Indè iàm elucet, cur dixerit Dominus: mitto vos ſicut oues in medio luporum, ſicut enim natiuum eſt odium luporum contra oues: ità etiam natura caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Et licèt his, aliſq; improborum contra probos certamen ipſe deſcribat, clariùs tamen quas oppugnationes, quas lites, quæq; bella contra Chriſti famulos, famulaſq; mouerit ſemper impietas, teſtatum reliquit Thomas de Kempis loco proximè citato: *Certauerunt ſancti confeſſores ſobriè, iuſtè, ac piè viuendo: oblocutiones, deriſiones, murmurationes, minas, exactiones, damna, & iniurias ſuſtinendo. Certauerunt etiam fortiter ſacræ virgines, & viduæ, contemnentes ſeculi vanitates, &c.*

Paulus de Palacio.

Sẽper prudentibus fatui opponũtur.

Idem.

Thomas de Kempis.

Iuſtorũ certamen deſcribitur.

8 Neq; hic ſceleſtorum ſiſtit nequitia, ſed (quod fari vix audeo) nulla ſuæ vilitatis, Deiq; magnitudinis habita ratione contra Omnipotentem inſurgit, & contra Inuincibilem pugnare nõ erubeſcit: Vt vulgare nimis Iobi omitto dictũ, quòd nedum per peccatum cõtra Deũ rebellet peccator, & quòd contra eum in rebellionis, ac belli ſignum manum eleuet: *Tetendit enim aduersus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt.* cap. 15. verùm quòd in ſuperbiæ, temeritatiſq; indicium caput etiam contra illum erigat: *Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt* ibid. Quæ nequiſſimum Baltaſſar feciſſe comperio, ad eumdem dicente Daniele: *Aduersum Dominatorẽ Cæli eleuatus es.* cap. 5. vbi Vgo Card. *Aduersus Dominatorem cæli eleuatus es, ideſt, obtenebroſa pompoſitate oppoſuiſti te Deo. Superbus enim præcipuè opponit ſe Deo, iuxta illud Iob: Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus?* Tranſuolo etiã impijſſimi Sennacherib tumorem, qui contra Deum erectus Ezechiæ regi Iudæ nunciandum miſit: *Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ieruſalem in manu regis Aſsyriorum.* Iſaiæ 37. vbi mòx dictus Vgo: *Sennacherib impiiſſimus relicturus Iudæam, & volens aduerſarios ſuos Iudæos, Ezechiamq; de ſuo receſſu gaudere, minatur, vt verbis deiiciat, quos armis non dùm deuicit. Loquitur autem blaſphemias magnas contra Omnipotentem, verumq; Deum, arguens eum de fallacia, ſeu mendacio, & impotentia quaſi Deus aliquem fallere velit, & ſperantes in ſe ſaluare non poſſit;* ſiſto autem, diligenterq; trutino; quid cauſæ eſt, quòd Dei nomine à Moyſe, & Aarone vt populum dimitteret expetitus Pharao, & Dominum ſe neſcire, & populum ſe dimittere nolle reſpondit? *Dominum neſcio, & Iſrael non dimittam.* Exod. 5. Si Deum eſſe adeò eſt per ſe notum, vt nullus niſi inſipiens (vt Dauidis vtar verbis) ignorauerit, quonam pacto ſe illum neſcire aſſeruit? Et poſteà, quod magis ad rem noſtram facit (nàm quomodò Deum eſſe ſit per ſe notum, fusè nimis diſputant S. Thom. in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. & Scotus in 1. diſt. eadem quæſt. 1. & 2.) ſi de Dei cognitione interrogatus minimè fuerat, cur neutiquàm ſe illum noſcere dixit? An per hoc bellum, quod contra Hebræos habebat, Domino etiam intimare intendebat? Carthuſiani fuit ſententia, qui art. 10. ſuper citatum Exodi locum hunc dixit in modum: *Omnes impii propriam volun-*

Iob. c. 15.

Ibid.

Vgo Card.

Inſurgit cõtra Deum ſuperbia.

Iſai. c. 37.

Vgo Card.

Exod. c. 5.

Carthuſian.

ta-

Digitized by Google

Rebelles lumini peccatores contra Deum pugnare non erubescunt.

tatem præferendo, immò superponendo voluntati diuinæ ipso facto dicũt nescio Dominum: quia Deum creatorem suum non recognoscunt per ueram subiectionem, sed illud Iob dicunt effectu: Quis est Omnipotens, ut seruiamus illi? De quibus ait scriptura: Ipsi sũt rebelles lumini. Nefaria sanè rebellio! Ingens temeritas contra Creatorem creaturam insurgere, & contra Omnipotentem vilem homuncionem certare!

9 Hanc improbam elationem, vel vt melius dicam, infandam rebellionem Christum ipsum in parabola illa de rege cum alio rege bellum cõmissuro descripsisse existimo: *Quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Lucæ cap. 14. quia iuxta mysticam Gualfridij expositionem, tunc rex aduersus regem bellum indicit, cùm homo, qui animæ potentias, corporisq; sensus vt pacificus rex regere deberet, contra regum Regem per inobedientiam insurgit: *Temerarium bellum*, ait modò dictus Gualfridius in allegoriis Tilmanni, *quod sibi humanus animus proposuerit, vt diuinæ voluntati, & saluti propriæ reluctetur. Sed ò regem aduersus regem alterum, hominem contra Deum! O regulum aduersus regem penitùs alterũ, aduersus Omnipotentem, inopem, & infirmum!* Vtinã vires suas inops, infirmusq; hic regulus æqua lance libraret, quia sanè cum eo, qui animam in gehennã perdere potest, non bellum habere studeret; sed fletibus, atq; lamentis, ea quæ pacis sunt, humillimè postularet: *Esto tamen, habet iste, vel potiùs habere sibi videtur decem millia, subsidia scilicet, & corporis vniuersa. Quid tamen hæc decem millia facient aduersus eum, qui cum viginti millibus veniet? Habet enim potestatem quasi geminam, scilicet corpus, & animã perdere in gehennam.* Allatus Gualfridius, qui illicò, quid tali regulo sit faciendum suadet: *Mittamus proinde legationem humilis supplicationis, & rogemus, quæ ad pacem sunt diuinæ reconciliationis. Eamus ei obuiam, non bellum deinceps commissuri, sed de regno eius interrogaturi.* Hæc ipse; quibus addo, quòd si hucusque vt validius contra Deum pugnares, corpus tuum quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus contra Deum assumpsisti: si voluntatem tuam, vt acutam rompheam aduersus Omnipotentem per duritiam roborasti, durã sanè assumpsisti prouinciam, temerariumq; incepisti bellum, dicente Bernardino Senense: *Existens vtiq; in mortali inimicitiam, & terribile bellum habet cum Omnipotenti Deo, nec ponderat insensatus homo quanti discriminis sit inimicitia ista.* Fer. 2. post tertiã Dom. Quadr. serm. 37. art. 3. cap. 6. saltem nunc in te reuersus, vt alter prodigus tuam confitendo dementiam, ea quæ sunt pacis, roga; quod quàm efficax tanti tui flagitii sit remedium, immediatè post mòx dicta subdit allatus Bernardinus: *Vide ergo, quàm facilis sit pacificationis modus, non enim necesse est tibi mactare vitulos, aut oues antiquorum more. Verba humilis confessionis à Domino pro vitulis acceptantur. Sicut Oseæ Altissimo dicitur: Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Deo talis confessio humilis maximè placet, figurata est enim in ramo illo oliuæ, quem columba illa ad vesperam in arcem portauit Gen. 8. Ramus namq; oliuæ signum pacis est: sic & confessio humilis inter nos, & Deum causa est, & signum pacis, & culparum remissionis.* Hac humili confessione gratiam, & pacem hæc sancta reportauit peccatrix: hac vnusquisq; ex inimico amicus, & ex gehennæ filio, regni hæres euadere facilè potest.

Lucæ. 14.

Gualfridius

Temerariũ bellum regulus cõtra verum regẽ indicit, cum peccat.

Idem.

Qui in te reuertitur, nõ amplius bellum cũ Deo habere vult, sed quę pacis sunt humiliter rogat.

Bernardin. Senen.

Idem.

Nil vt confessio peccatorẽ Deo conciliat.

FERIA

FERIA SEXTA DOMINICÆ PASSIONIS.

Collegerunt Principes,& Phariſęi concilium aduerſus Ieſum,& dicebant: Quid facimus,quia hic homo multa ſigna facit? Ioan. 11.

§. I.

Iugiter ſuper aliorum exiguitatem, atq; ruinam ſuam inuidia ſtruere celſitudinem molitur.

PAlladis contra Aglaurum machinationes in 2. Metamorph. deſcribere volens Ouidius, ad inuidiam pro auxilio,atq; conſilio ipſam confugiſſe fabulatur: & vt cętera tàm ad figuram, quàm ad ipſius inuidiæ victum ſolerter dicta omittam; illius domus deſcriptionem neutiquam ſtrictim prætereundam exiſtimo, nàm myſterio non vacat, quòd in imis vallibus ſita dicatur:

Ouidius.

Protinus inuidiæ nigro ſqualentia tabo,
Tecta petit. domus eſt imis in vallibus antri.

Inuidiæ domus in imis vallibus ſita deſcribitur, & quare?

tũ quia nuſquã niſi in humilibus,qui nihil altũ, nihil magnificũ ſuſcipere valẽtes in abiectionis sẽper valle manent, vigere inuidia ſolet,iuxta illud: *Iob.5.* *Paruulum occidit inuidia.* Iob.5.tũ etiã quia (quod magis ad rem noſtram facit) nunquam honoris ſibi ſtructuram erigere nouit, niſi in aliena infirmitate, ac depreſſione, in quibus veluti in imis foueis factis mœnium ſuorum fundamentis eò altius ſui honoris ædificium erigi putat, quò profundius alios deuentitat & deprimit. Quod Simplicij fuit ſentẽtia,qui rationem querens,cũr gemella ſemper inuidiæ ſoror murmuratio extiterit, inuidiam deſcribendo plenam ſe rationem reddidiſſe exiſtimat;Cuius verba sũt: *Inuidia dolor eſt, ob alienum bonũ ortus: & æmulatio feruor quidam voluntatis exæquandi ſe cũ eo,quod bonum habetur.Naſcũtur autem hæ perturbationes ex eo, quòd quiuis homo ipſius naturæ impulſu honoris eſt appetens, nec paribus in dignitate vult cedere. Itaq; ſi qui ſunt infirmioribus ingenijs,qui ipſi nihil proficere poſſunt,proximum quemq; deprimendo æquare illũ, aut etiam ſuperare contendunt.* Vndè Rupertus Holchot lect. 187. ſuper cap. 17.Sapientiæ ob id inuidos inferioribus planetis ſuperiores eclipsãtibus comparat, quia ſemper liuore tabeſcentes in aliorum opacitate ſuũ lumen,& in aliorũ diminutione ſuam accretionem exiſtimant: *Inferior planeta eclipſat ſuperiorem: & non è contra,ſicut patet de luna,& ſole, & ità regulariter, illi qui minùs valent, & ſunt gratijs & meritis inferiores,obumbrare nituntur per inuidiam ſuperiores: vndè meritò per Ouidium dicitur: quod domus inuidiæ eſt in imis vallibus ſituata.* Quod antè ipſum dixit Plinius iunior, *Eſt hæc natura ſideribus,vt parua,& exilia validiorum exortus obſcurent.* Qui etiam ad non paruam Traiani laudẽ aſcribit, quòd abſq; vllius diminutione omnibus maior eſſet; cùm vix vllus rẽperiatur, qui in alterius diminutionis valle ſuæ magnitudinis molem, & in alienæ exiguitatis fouea ſuæ exaltationis ſtructuram non erigere ſatagat; quod & ſi extremæ miſeriæ indicium ſit, dicente Nanzianzeno órat. 2. de pace: *Extremæ quippe miſeriæ eſt, non proprijs viribus,ſed aliorum imbecillitate niti*: Principes tamen, & Phariſæi ad apertiſſimum ſuæ infirmitatis, & exiguitatis argumentum,audita Lazari reſurrectione,

Simplicius.

Rupertus Holchot.

Semper inuidi veluti inferiores planetæ ſuperiorũ virtutum fulgorem ne videatur,impedire conantur.

Plinius.

Nanzianz.

Digitized by Google

mundumq; totum post mūdi Factorem currere, cæca perciti inuidia concilium congregant, vt vel miraculo subdola calliditate detraherent, vel vt Saluatoris vitæ insidias moliri decernerent: pro certo habentes insani, quòd sicut ex Christi fama eorum minuebatur auctoritas, sic (fieri si potuisset) quò illius decreuisset opinio, eò ipsorum potentia creuisset, & dignitas; quod dicere videtur Toletus: *Quis vnquam audiuit tale? Quia mortuū quadriduanum suscitauit, propterea conuenerunt contra ipsum; cùm causa hæc eos mouere debuisset, vt conuenirent ad eum recipiendum, & venerandum. Si quia homicidium perpetrasset, iusta fuisset causa conueniendi contra eum, at mortuum ad vitam reuocantem nemo damnare tentasset, præter eos, qui diabolica nequitia pleni erant.* Magna sanè nequitia! Ingens dementia! at personarū attenta cōditione parum miror; nàm si liuor (veluti quodam sui fato) ab aliorum exiguitate sublimitatem venatur, alienum fastigium suam minorat exaltationem.

Toletus.

In aliorum infirmitate fortitudinē, & in aliorū exiguitate suam inuidi fundare satagunt magnitudinem.

Galat. c. 6. 2 *Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero*, verba sunt Pauli ad Galatas directa, sicuti ex capite sexto habetur, quæ & si optimè more suo glossat Lyranus, illum scilicet gloriam in se habere, qui propriæ conscientiæ innititur testimonio; illum verò non in se, sed in alio gloriam habere contendere, qui propria neglecta virtute alterius laude lætatur: *Opus autem suum, &c. idest, diligenter examinet, & se in seipso, scilicet in testimonio propriæ conscientiæ, & non in altero, idest in falsa laude alterius, cui non est credendum.* Mòx dictus Lyranus: Chrysostomum tamen præpositionem illam, In, *Non in altero*, in, aduersus, mutātem reperiens: *Videtur quidem proponere rationem, quæ vetat gloriari aduersus alium*, vlterioris inquisitionis occasionem inuenio, quomodò, scilicet, absq; certamine (de quo sanè hic Paulus non loquitur) aduersus alterum gloriari quis possit; & vt difficultate difficultas soluatur, illam adduco: quid est, quòd tumidus ille Pharisæus, qui nō tàm vt Deum, quam vt se laudaret, in templum ascenderat, plùs Publicani probris, quàm suis incumbebat præconiis: *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus: Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnia, quæ possideo.* Luc. 18. Si fictis suis virtutibus panegyrim canere intendebat, cur non à se, quòd à publicani exorsus est contumelijs? Difficultatem præ oculis habuit etiam Ioannes Ferus, qui super cap. Matt. 7. ideò Pharisæum suarum laudum structuram à Publicani probris incepisse existimat; quia cæca, fatua, & contumeliosa inuidorum ambitio suorum meritorum apparatū ex aliorū demeritis intexit, & quò magis alios à virtute discessisse ostendit, eò magis ad illam (quantū ad hominū saltē opinionē) se accessisse putat: ac si alienum vitium propria videretur virtus. Præfati autem Feri verba sunt: *Pharisæus ille deprehenso peccato proximi gaudet; acriter corripit; & contra illud Pauli: instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum ne & tu tenteris. Nec hoc fecit, immò, & alijs peccatum fratris palàm fecit, vt vel sic illi opinionem bonā adimat, sibi autem acquirat. Proprium enim pharisæorum est, ex aliorum erratis iustitiæ sibi laudem vendicare, magis, quàm ex benefactis propriis.* Cæcus quis nunc non videbit, quòd gloriam in altero, seù vt Chrysostomus legit, aduersus alterum habet, qui propriorum meritorum infirmitatem aliena infirmitate roborare satagit: vel vt clarius dicam, qui alteri detrahendo (vt pharisæus) suas putat cumulare laudes, hic gloriam aduersus alterum habet. Audi Hieronymum super præfatum Pauli locum: *In semetipso gloriam habebit, non in altero, sensus iste est: tu qui te existimas spiritualem, & de aliena infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem iacentis, sed tuam fortitudinem considerare. Athleta non ideò fortis est, quia vicit infirmum, & languida aduersarij membra superauit: sed si robustus est in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur.* Et post ipsum Cornelius à Lapide: *In seipso gloriam*

Luc. c. 18.

Ioan. Ferus.

Pharisæus publicani famam decerpendo, suam augere existimabat.

Chrysost.

Hieronym.

Verborum illorum: In semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. ad Galat. 6. intellectus.

Cornel. à Lap.

Digitized by Google

riam habebit, & non in altero, ideſt, non per reſpectum ad alterum, quod Chryſoſtomus explicat; nõ contra alterum, ideſt, non glorietur reſpiciens alterum grauiter lapſum, quòd eo ſit melior, vti phariſæus gloriabatur contra publicanum, eum cõtemnendo, & ſe pro eo laudando: ſed modeſtè in ſe, ſuaq; conſcientia in operibus Dei gratia factis gloriabitur. Phariſaicum, immò diabolicum ſanè vitium aliena infirmitate roborari, & alterius exiguitate creſcere.

3 Obſtupeſcit Lucas Brugenſis, quòd prodigi inhoneſtatem, quam adeò ſtrictim deſcripſerat Euangeliſta, vt vix ipſum luxuriosè vixiſſe dixerit. *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuẽdo luxuriosè.* Luc. 15. frater ſenior ex agro rediens vſque eò protulerit, vt eum quibus etiam inhoneſtè vixiſſet, explanaret: *Exaggerat modis omnibus crimen fratris; nàm cùm ſupra modeſtè dictum eſſet; viuendo luxuriosè, hic cum meretricibus addit, à præcipua parte luxurioſam vitam infamans.* Mòx dictus Brugenſis; at ego pleno ore ipſum ſe laudantem conſiderans: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & numquàm mandatum tuum præteriui.* ibid. nil prorſus miror, quia ſi iuxta Chryſologi, multorumque aliorum ſententiam liuore ſenior tabeſcebat germanus, quo pacto fratris crimina ſtrictim enarrare poterat, ſi liuor non niſi in aliena deiectione laudum ſuarũ ſtructurã erigere nouit: *Minuit homo,* ait S. Edmũdus Archiep. Cãthuar. *bonum alterius, vt ipſe melior apparere poſſit,* in ſpecul. Eccleſ. cap. 8. Quòd ſi vlteriùs per prodigum gentilem, & per ſeniorem hebraicum populum (iuxta rectã germanamq; loci huius interpretationẽ) accipies, ſupra allati Feri ſententiam, *Proprium enim Phariſæorum eſt ex aliorum erratis iuſtitiæ ſibi laudem vendicare magis, quàm ex benefactis proprijs,* tuam in mentem redige, & illicò in te omnis admirationis deſinet anſa, nàm vt ſe iudaicus extolleret populus, gentilem quantùm poterat, deprimebat.

4 Arriſit mihi ſemper Iſaiæ ſententia, mari feruenti comparandos eſſe impios: *Impij autem quaſi mare feruens.* cap. 57. non tàm quia amari ſunt cõtentionibus, tumidi ſuperbia, liuidi inuidia, ſpumidi libidine, mutabiles incoſtantia, creſcentes, & decreſcentes vt luna, humanarum rerum varietatem, & incoſtantiam ſequẽtes; quàm quia ſi mare abſq; littoris coinquinatione purgare ſe neſcit, vndè vt clariùs, nitidiuſq; appareat, in illud continuis fluctibus ſordida quæque depellit; impij, & præcipuè inuidi, vt ſe laudent, alios vituperant, & vt nitidiùs ſplendeant, alios ſemper deuenuſtare nituntur. Quod adamuſſim confirmauit Hector Pintus ſuper præfatum Iſaiæ locum ſequentibus verbis: *Vt enim mare propellit in littus limum, ſpumas, & alias ſordes; & vt ſe purget, littus coinquinat: ſic impius vt ſe laudet, alios vituperat; vt ſe defendat, alijs vitiorum notam inungit, eorumque ſplendorem maculare contendit.* Cuius rei haud quaquã ignarus Dauid Deũ precari conſueuerat, vt confuſione illos afficeret, qui eum vt ſe ſe laudarent, confundebant. Vndè vbi noſtra vulgata habèt: *Induantur cõfuſione, & reuerentia, qui magna loquuntur ſuper me.* pſal. 34. ex Hebræo vertunt alij: *Maligna loquuntur ſuper me, magnificãtes ſe;* Patentiùs ac ſi dicerent; quis non mari inuidos comparabit, ſi ipſi vt magna de ſe loquantur, maligna de alijs obloquuntur.

5 Sublime equidem fuit illud Ioannis præconium, quòd veritatis ore nullus ex mulieribus ortis eo maior vocaretur: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Matt. 11. quia quidquid dicant multi, quòd per hæc non omnibus præferatur, ſed potiùs perfectiſſimis æquetur, vt ſit ſenſus: adeò diuina fauente gratia ſurrexit, vt à nullo quacumq; perfectione prædito excederetur: & quamuis prophetis tantummodò hæc Ioannem comparari autument nonnulli, vt videre eſt apud Toſtatum quæſt. 35. tamen iuxta non minùs ſubtilem, quàm deuotam Bernardini Senenſis ſententiam, quæ mihi multùm ſemper arriſit, per præfata (Chriſto, & Virgine exceptis, qui nec in actuale, nec in originale peccatum, ille per naturam, hæc per gratiam numquam ceciderũt) omnibus

Luc. c. 15. *Brugenſ.* *Luc. ibid.* *Ed. nundus.* *Iſai. c. 57.* *Hect. Pint.* *Pſal. 34.* *Matt. c. 11.*

Inſtar maris inuidus vt ſe purget, proximum conquinat.

Vt melior apparear inuidus, proximorum ſemper vitia exaggerat.

Baptiſta an Maria exceptã reliquis præiatus.

Digitized by Google

aliis maior vocatur Ioannes. Cuius verba sunt: *Nota illud, quòd inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: Vult dicere, quòd Ioannis Baptistę anima est maior omnibus animabus natis ex muliere; & Christus caret se, & extrahit Virginem gloriosam occultè, si benè aduertis suum eloquium; quia dixit non surrexit, quia nullus dicitur se leuare, seu surgere, qui non cecidit: sed quia Christus non cecidit in aliquo peccato cõceptionis, nec actualis, et similiter Beata Virgo: ideò non sunt in illa regula; quia non ciderunt modo iàm dicto; ideò non dicuntur surgere, sicut omnes cæteri homines, & cadunt ab Adam citra per peccatum originale.* fer. 3. post Pascha ser. 49. part. 2. de amore glorioso: qua posita opinione, quòd scilicet per prætata Saluatoris verba non tantùm æqualitas cum reliquis, sed excessus supra cunctos explicetur, vt satis ipsius veritatis testimonio probatum existimat Chrysostomus, qui homil. 38. super citatum Matthæi locum dicit: *Non surrexit maior, etc. Ideſt non peperit mulier Ioanne vnquàm maiorẽ*, ob quam præcipuè virtutem tale mereretur præconium, sedulò sum scrutatus multotiens, & quãuis longam ipsius virtutum seriem loco mòx dicto enarret Chrysostomus, qui hæc inter cætera habet: *Veniat in mentem tibi mensa illius, educatio, & mentis altitudo: ità enim in terris quasi in cælo versabatur. Naturæ namq; omni necessitate superata mirabile quoddam peregit iter. Semper in hymnis, semper in orationibus fuit.* Et licèt nonnulli ob vitæ sanctitatem: alij ob donorum, beneficiorumq; prærogatiuas, & alij ob singularem prophetandi spiritum cęteris maiorem vocatum fuisse opinentur, vt fusè videre est apud Toletũ annot. 48. super caput Lucæ 7. ego nihilominus temporis attenta circumstantia, tunc scilicet omnibus maiorem à Christo appellatum fuisse, quandò recusato, vt sibi incompetente, Messiæ nomine, ad verum Messiam, verumq; Redemptorem discipulos destinauit suos, nõ possum non dicere, quòd ob id maximè omnibus ex mulieribus ortis maior vocetur, quia rapinam arbitrabatur, se æqualem Christo efficere, & cum Christi opinionis diminutione (vt respectu proximi efficere solent multi) crescere noluit, sed decrescere maluit, vt ille apud alios creceret, qui apud se quomodo crescceret, non habebat. Adsit modò Guerricus: *Existimante autem populo, & cogitante in cordibus suis nè forte ipse Ioannes esset Christus, respondit: Quem vos me arbitramini, non sum ego. Fidelis amicus sponsi magis amator Domini sui, quã sui, se minui, vt ille creſceret, optabat: et de minoratione sui gloriam illius augere satagebat; anè Apostolum dicens: Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Iesum Christum.* Nec absit Gualfrid. qui Ioannem dicentem, *Illum oportet crescere, me autem minui:* Ioan. 3. cap. 3. (vt insuetum quid) audiens, hunc clamat in modum: *O bone Ioannes, quàm dissimile est gaudium tuum à gaudio carnalium! Tu gaudes, quia decreſcis, & Saluator creſcit: quidã verò gaudent, quia ipſi creſcunt, & alij decreſcunt.* In allegorijs Tilmanni. Mirum sanè, penèq; apud mortales inauditum facinus cum sui diminutione alterius quærere incrementum! Quòd autem ob hoc maximè, veluti ob quãdam speciatissimam virtutem, omnibus maior dictus esset Ioannes. Audi Ferum super citatum Matthæi locũ: *Hic vides optimum rerum ordinem, Ioannes seipsum deiecit. Non inquit sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius. Christus ipsum laudat, & tanto excellentiùs, quanto magis seipsum Ioannes deiecerat.* Vides quomodò vt singulare quid Ioannis exaltetur humilitas, & supra cæteros eleuetur, quia cæterorum ferè est error, aliorum se dedecore honestare, & aliena se infirmitate fulcire.

6 Cæterùm si vndè talis inuidiæ oriatur proprietas, scisciteberis; & quidem (vt aiunt nonnulli) ob inuidi cordis pusillitatem respondebo: verùm non ob hoc præcisè, sed ex rerum potiùs mundanarum exiguitate tale, tantumq; oriri solere vitium asseram, quia cùm adeò coangustatum sit stratum, vt duos capere nequeat; & adeò breue sit pallium, vt vtrumq; operire non possit, quod vni conceditur, à se alius, & præsertim inuidus, auser-

Bernardin. Senen. — Originalis peccati labe Maria immunis.

Chrysost.

Idem. — Ioãnis præconia.

Guerricus. — Cũ sui minoratione Christi gloriam augere satagebat.

Gualfrid.

Ioan. Perus. — Ob quam præsertim virtutẽ omnibus maior appellatus?

Digitized by Google

auferri exiſtimat. Quod & apertiſſimè dixit Lyranus ſuper Iobi cap. 5.

Lyranus.

Inuidia enim eſt mœſtitia de bono alieno, in quantùm æſtimatur proprij boni detrimentum; et pluries Chriſti tempore Principes experti ſunt, & Sacerdotes, qui non ob aliud Saluatoris laudes audiendo indignabantur, vt præſertim patet ex illo Matt. 21. vbi habetur, quòd puerorum voces Chriſtum laudantium audientes, inuidentes, atq; frementes, immò (vt aptiùs loquar) liuore inſanientes nimio ad inuicem dicebant: *Audis quid iſti dicunt?* niſi quia cæca tabeſcentes inuidia à ſe decerpi exiſtimabant, quod Saluatori aſcribi cernebant. Vndè Toſtatus quæſt. 88. ſuper citatum Matthæi locum: *Indignati ſunt, quia Chriſtus auferebat eis honorem: cupiebant enim phariſæi, & ſcribæ, cùm eſſent hypocritæ honorari ab hominibus, vocari rabbi, ſalutationes in foro, primos accubitus in menſis, & primas cathedras in ſynagogis: iſtum honorem recipere volebant à populo, et quantò magis Chriſto fauebat populus, tantò minuebatur opinio Phariſæorum, Scribarum, & Sacerdotum apud plebem, ideò indignabantur contra Chriſtum.* Ecce tibi quomodò lecti anguſtia, & pallij breuitas ſummum ſibi honorem cęterorum defectum exiſtimat.

Proprij boni iacturam alienum bonum inuidia cenſet.

Toſtatus.

Quod alteri tribuitur, à ſe auferri, immo decerpi exiſtimat liuor.

7 Inſignem illam victoriã, quam de ſuperbiſſimo Philiſthæo humillimus reportauerat adoleſcens Dauid, congruis honoribus proſequi volentes Ieroſolymitanæ mulieres, ſic eas ceciniſſe ſacra narrat hiſtoria: *Percuſſit Saul mille, et Dauid decem millia.* 1. Reg. 18. quod cãticum, quaſq; voces quàm ægrè tulerit Saul, eadem teſtatur ſcriptura, cùm immediate ſubdit: *Iratus eſt autem Saul nimis, et diſplicuit in oculis eius ſermo iſte.* Et quæ tantæ iræ, tantæq; indignationis origo ò Saul? An quia tibi, qui nihil egiſti mille dederunt, offenderis? Ægrè id ferre (ſi ægrè ferendum fuiſſet) Dauid potiùs debuiſſet, quàm tu, dum gloriæ participem habebat, qui in bello commilitonem non habuerat: *Si indignandum erat, Dauidem potiùs conuenie bat indignari, qui cùm ſolus totum geſſiſſet, alterum habebat laudis participem. Sed horum nihil dico*, ait Chryſoſtomus hom. 14. ſuper citatum ſcripturæ locum; cur igitur tacente, ac humiliter ſe gerente Dauide, cui victoriæ demi pars videbatur, tu indignaris, & furis? An quia pallium breue vtrumq; operire non poteſt, & quod Dauidi tribuitur, tibi demi, immò decerpi æſtimas? Toſtati fuit cogitatus, qui quæſt. 14. quàm breuiter, tàm ſeriò rem expreſsit dicendo: *Diſplicuit autem, quia multum auferebatur de honore eius.* Sic ex rerũ mundanarum inopia alteri auferri exiſtimatur, quod vni tribuitur.

1. Reg. cap. 18.

Chryſoſt.

Cur inuidus aliena felicitate requiratur, expenditur?

Toſtatus.

8 Mirabatur Dauid (vt ad primum reuertamur inſtitutum) quòd detractores mendaci ore, biſulcaque lingua in proximum obloqui, non deſinerent: *Filii hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Pſal. 4. at liuoris ſuppoſita conditione, mirum certè non eſt, inuidum detractionis ſemper venenũ effundere, quia aliorũ macie pingueſcere, & aliorum ruina exaltare ſe ſtudet. Vndè Guerricus à Tilmãno ſuper præallatum Ioannis caput in venenoſas has ſuſurronum linguas hiſce inuehitur verbis: *Filii hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Vt quid vanam, & mendacem gloriam diligitis, et gloriam ab inuicem accipitis, vel quæritis? Vtinàm agendo fortia, et non loquendo ſublimia: Vtinàm ſaltem vera loquendo, licèt vanè, et non mentiendo planè: Vtinam denique mentiendo tantũ de vobis, non etiam detrahendo de aliis. Hoc nõ eſt gloriã accipere, vel quærere, ſed magis furari, et rapere. Nunc autẽ alium veluti trucidas venenoſa, et inſidioſa lingua, vt gloriam eius tibi rapias, vt de malo eius tu melior, de contemptu eius tu glorioſior appareas.* Verùm vt præſentem claudam tractationem, quàm in hoc maximè à vero aberret inuidia, cùm nihil prorsùs ei aliorum conferat ruina, vltra Salomonem dicentem: *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* Sap. cap. primo, docuit etiam Gilibertus Abbas ſer. 19. in Cantica, cùm ait: *Quid tu inuidia alienum vis corrumpere bonum? Numquid adiicies, quod ab alieno decerpis?*

Pſal. 4.

Guerricus.

Cõtra alios obloquendo detractor illorũ gloriã furari poſſe exiſtimat.

Sap. c. 1.

Gilib. Abb.

Vanus detrahentium labor deſcribitur.

Quid

Quid tibi emolumenti aliena diminutio confert? Aliena si corrodis bona, quid tibi inde accrescit? Nihil, vt hucusq; te expertam fuisse non dubito: vel igitur meliora æmulari charissimata incipe, vt fiat tibi æmulatio ista in bonum; vel pudore suffusa in posterum obmutesce, dum in cassum laboras, & niteris.

Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? Ioan. 11.

§. II.

Suprema de inimicis vltio beneficentia.

1 ÆNigmati simile primo tibi apparebit intuitu, quòd hostibus collata officia adeò vindictæ sortiantur nomen, vt nullus tàm de inimicis vlcisci videatur, quàm qui eos beneficijs cumulat, donisq; auget, & afficit: verùm, qui acuto, purgatoque oculo verecundiæ contemplatur supplicium, quòd scilicet multò acerbiùs sit sanguine præ confusione suffundi, quàm illum profusione effundere; quia & si vtrumq; supplicium sanguine constet, cùm tamen in illo suffundatur in vultu, potiori hominis parte, & in hoc breuiori vulneris sensu fundatur in terram, ipsa nece confusionem acerbiorem esse liquidò constat; Ex quo dicere consueuit Tullius: *Sæpe vidimus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur* 2: Tusculan. facilè ænigmatis solutionem præripiet; nàm si atrociùs confusione, quàm ferro perfunditur sanguis, cùm per beneficiorum collationem non modica insurgat in malefaciētibus confusio, vulgaris non erit censenda vltio ipsos beneficijs afficere, quod minimè Senecam latuit, qui lib. 3. c. 26. de ira hunc ait in modum: *Maxima est enim factæ iniuriæ pœna, fecisse: nec quisquam grauiùs afficitur, quàm, qui ad supplicium pœnitentiæ traditur.* Quod & si verum, imò verissimū sit, nequaquam tamen vltionis; sed correctionis gratia beneficijs maleficientes prosequi debemus, vt scilicet officijs offensas compensari videntes pudefacti, & confusi, in amorem odium, & in beneficentiam maleficientiam mutare addiscant. Quod luculentissimè dixit Auctor operis imperfecti hom. 45. in Matt. super verbā illa: *Forte verebuntur filium meum.* cap. 21. *Ecce enim post tanta beneficia Dei, et sine admonitione Domini, debuerant Domino iustitiæ suæ tributa persoluere, tamen non reddentibus eis, misit paucos seruos suos, quibus occisis, addidit bonitatē, cū deberet iraſci. Item plurib⁹ interfectis, accumulauit bonitatē; et misit filium suum, et hunc non quasi in obnoxios pœnæ sententiam baiulatem, sed patientiæ veniam: et post tot scelera adhuc eis misericordiæ locum seruabat. Sic enim dicit: Forsitan filium meum verebuntur. Ergo misit confundere illos, non autē punire: Nàm pro tantis iniuriis benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris.* Hoc sancto vltionis genere non ad offendentium vindictam, sed ad eorum salutem pluries Saluatorem vsum fuisse reperio: at impræsentiarum maximè; vnde perulcaces nonnulli emendationis loco beneficiorum exuberantia veluti ingenti pondere pressi stridebant: *Quid facimus: quia hic homo multa signa facit?* Ioann. 11. quas irrationabiles querelas considerans Gregor. lib. 18. Moral. cap. 4. dicit: *An non æmulationis suæ facibus synagoga ardebat, cùm Redemptoris Christi signa aspiciens per quosdam suos dicebat: Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? Videbat vtique conuerti debuerant, et peruersiores fiebant.* Quòd hostium, non tamen quorumcumq; sed inurbanorum, & ingratorum, proprium sit beneficijs scilicet aduri, sequentia ostendent.

2 Quo vindictæ genere hostium sint vlcisceudæ iniuriæ; verbis illis docuit Paulus ad Romanos scribens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* cap. 12. quæ Pauli doctrina sententiarum pelagum insurgere fecit, quonā pacto (posito quòd beneficia prunarum

Tullius.

Morte ipsa confusio acerbior.

Seneca.

Nō vulgaris hostium vltio beneficentia.

Aucl. oper. imperf.

Contra pudefactum diuina non insurgit vindicta.

Ioan. c. 11.

Gregorius.

Rom. c. 12.

Verborum illorum: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, etc. Hoc enim modo carbones ignis cōgeres ſuper caput eius.* ad Roman. 12. Intellectus.

rum ſortiri poſſent vocabulum, quod facilè percipi nequaquam poteſt) pietatem ſectantibus inimicorum capita adurere licebit, ſi ipſos amore proſequi, & beneficijs afficere tenemur? Difficultatibus noſco non defuiſſe reſpondentes per ignitos carbones non beneficia, nec temporalem intelligendum eſſe ignem, ſed æternū, quo acrius in peruicacia perſiſtentes inimici cruciabuntur, quod à Pauli mente ſatis alienum fuiſſe ipſa charitatis docet natura, quæ cùm benigna ſit, non gaudet ſuper iniquitate, nec lætatur de perditione cuiuſquam; ſed alienam vtilitatem proprium quæſtum exiſtimat: quapropter, qui tali intentione perſequutoribus benefaceret, non parum equidem à charitatis tramite aberraret; quare Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 2. & Auguſtinus ſerm. 168. de tempore ignitos quidem carbones, ſed charitatis, atq; amoris ſuper inimicorum capita per beneficia cōgerendos autumant, quia eos ad reamandum incendimus, dum beneficijs vincimus, & officijs cumulamus. Vndè mòx dictus Auguſtinus tract. de Cathech. Rud. dicere conſueuit: *Nulla maior eſt prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando: vt ergo ameris, ama*; quod & germanā Pauli mentē fuiſſe exiſtimo, & noſtra ſemper in benefaciēdo debet eſſe intētio, vt in exordio me dixiſſe non fugit. His tamen non obſtantibus liceat pro præſenti argumento dicere, quòd aptè nimis ignis carbones beneficia appellantur, & quòd ſatis conſultò ſuper inimicorū capita imponi dicuntur, cùm eos beneficentia proſequimur; quia ferè impoſſibile eſt, quin ad inſtar igne incenſi non rubore ſuffundatur hoſtis, odium amore, & iniurias beneficijs compenſari conſiderans: Ità Gaſpar Sanchez ſuper cap. Iſai. 3. *Carbones, inquit, ignis congeres ſuper caput eius, ideſt, faciem eius ardere facies eo ſanguine, quem pudor ad maxillas vocat; non ſecùs atq; ſi ſupra caput carbones congeſſiſſes, qui faciem inflammarent.* Et ſuper cap. 35. eiuſdem Prophetæ circa finem idipſum alijs confirmat verbis: *Pro iniurijs acceptis beneficia confer in inimicos: tunc enim beneficia erunt inſtar carbonum, quos congeres in inimicos: quia eo modo excruciantur inimici, cùm vident iniurias, pro quibus ipſi plagas expectabant, beneficijs compenſari.* Quam inimicorum confuſionem, & ſi non vindictæ libidine, ſed reſipiſcentiæ, atque emendationis cauſa quærere debeamus; non tamen remanet, quin ex eorum parte noſtra officia eis non ſint ſagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs; vt dixit Hieronymus ſuper præfatum Pauli locum, dum eorum malitiam noſtra bonitate ſuperari perſpiciunt.

Auguſtin.

Sanchez.

Inimicorū corda adurit, qui contumelias beneficijs cōpenſat.

3 Eò vſque peruenìſſe conſueuit iſtorum carbonum aduſtio, vt nec abſq; externis doloris indicijs eorum cocturam ferre valeant hoſtes; cuius rei irrefragabilis mihi teſtis adſit Saul, qui vt in 1. Reg. cap. 24 habetur, Dauidis audita voce, clamidiſq, ſuæ agnita parte vocem cum fletu magno ipſum leuaſſe habemus: *Leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit*, qui clamor, quiq, ploratus vndè ortum haberet, eumdem Saulem declaraſſe eadem teſtatur hiſtoria: *Dixitq; ad Dauid: Iuſtior tu es, quàm ego: Tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala: Et tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodò tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.* ibid. ergo doloris, clamoris, lacrymarūq; cauſa Dauidis beneficia exiterunt? Ità Toſtatus; nec ſanè mirum, quod immitis, efferuſque Saul beneficia intelligens clamet, & plangat; quia ſi ignis cocturas ſentientes vocem ſolēt præ dolore leuare, cùm ad inſtar ignitorum carbonum beneficia hoſtium ſoleant adurere corda, vix ipſis ſe tactum ſentiens Saul nequaquam cohibere ſe valuit, quin pro confuſionis (vt ità dicam) cocturā vocem leuaret, & plangeret. Adſit mòx dictus Toſtatus: *Erat autem ſignum doloris magni, quòd vir fleret, maximè cùm eſſet vir tanti honoris, ſcilicet, quia erat Rex; agebat tamen ex amaritudine cordis.* At quę tanti doloris origo? Audi eumdem immediatè antè: *Hoc fecit Saul, quia confractus fuit animo videns, quòd iniuſtè perſequutus fuerit Dauid, & Dauid tàm clemens fuerit in eum.* Itaq; clamo-

1. Reg. cap. 24.

Ibid.

Toſtatus.

Veluti igne cocti hoſtes beneficiorū contactum ſentientes clamare ſolent, & plāgere.

moris,& gemitus beneficia in causa fuerunt? Prorsus ita: ergo satis probatum remanebit, quòd absque externis doloris indicijs ferri nequeunt beneficiorum coctura.

4 Ad Iosephum Ægypti prorege calamum inflectens plusquam libenter audirem, quid est, quòd post contumelias, atq; offensas fratres tot, tantisq; charitatis prosequebatur officijs, vt non tantum iuxta petentium vota frumenti concederet copiam; verùm emptionis etiam restitueret pecuniam: *Præcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: imple eorum saccos frumento; & pone pecunias singulorum in summitate sacci.* Genes. cap. 44. quod ob id maximè factum existimant aliqui, quia nequaquam floccipendendæ sunt contumeliæ, sed pretiosæ cùm sint margaritæ, numerata pecunia comparari debent, cuius rei minimè ignarus Ioseph, quod pro iniurijs, atq; offensis se fratribus debere agnoscebat, pecuniarum restitutione soluere intendebat; quæ pia equidem est cogitatio: verùm hic mea non sistit opinio, sed ob id fortè nummos ipsum redidisse existimo, vt ac ignitos carbones super fratrum capita non ad eorum confusionem, sed ad ipsorum correptionem congereret: *Quandò enim inimicis nostris*, ait Hieronymus super cap. 20. ad Rom. *præbemus beneficia, malitiam eorum nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumq; animum, ad mollitiem, & beneuolentiam flectimus; atq; ità congregamus carbones super capita eorum, de quibus scriptum est: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs: vt quomodò de altari carbo sublatus Prophetæ labia purgauit, ità & inimicorum nostrorum peccata purgentur.* Liquet itaq; cur fratres tot, tãtisq; dilectionis Iosephus prosequeretur officijs, quia nõ vt inimicus, sed vt medicus pio (vt ità dicã) vltionis genere ipsorum plagas purgare satagebat.

5 Quoties in verba incidi illa: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* Psal. 118. pulsauit toties animum difficultas; quodnam sit, hoc mandatum, quo super inimicos prudentem se Dauid effectum asserit; nec omnẽ à me abigit difficultatem asserentiũ opinio, mandati nomine vniuersa esse intelligenda legis præcepta; quæ prudentiorem, sapientioremq; obseruatorem reddũt, quàm quælibet alia scientia huius legis trãsgressores reddere posset; quia si absolutè hæc regius intellexisset Vates, nõ in singulari, sed in plurali; non præcepto, sed præceptis, se prudentem effectum dixisset: sic mihi de quo præcepto loqueretur vestiganti, occurrit quandoq; Lorinus, qui dum illum de inimicorum dilectione intelligit: *Propheta dicit prudentem se factum per mãdatum Dei de dilectione inimicorum, vt eos diligeret*, omnem à me difficultatem pepulit, quia multùm equidem per omnem modum super inimicos prudens censeri debet, qui nouo vltionis genere non odio, sed amore; non contumelijs, sed officijs, atq; muneribus hostes transuerberare conatur, & vincere. Cuius insueti vindictæ generis minimè omninò insciis Valerius Maximus lib. 4. dicere consueuit: *Speciosius aliquantò iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur.*

6 Per solertissimam illam mulierem, quam vltrà propriam fortitudinem, ad fortia etiam manus misisse in Prouerbijs describit Salomon: *Mulierem fortem quis inueniet, &c. Manum suam misit ad fortia.* cap. 31. gentium Ecclesiam sanctionibus roboratam intelligit Hieronymus, qui etiam addit, quòd tunc ad fortia mulier hæc manum misit, quando præceptum de inimicorum dilectione amplexata est, atq; impleuit: *Fortia dicit perfecta in Christi charitate opera: quibus se gaudens Ecclesia, certa supernæ retributionis expectatione subdidit, Verbi gratia: Auditis quia dictũ est: Diliges proximũ tuũ, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Mox dictus Hieronymus, qui hæc sua expositione nequaquam vulgarem aperuit quæstionẽ: Vnde accidit, quòd inimicorum dilectio, atq; beneficentia fortium nomina sortiuntur, fortiumque nomine designantur? Cuius quæstionis solutio ex alterius difficul-

Genes. c. 44. *Hieronym.* *Iosephus beneficijs multis fratres prosequitur, & quare?* *Psal. 118.* *Lorinus.* *Valer. Max Speciosius iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia.* *Prouerb. c. 31.* *Hieronym.* *Ad fortia manum mittere dicitur, qui inimicũ diligit, & quare?*

Digitized by Google

ficultatis solutione pendebit, illius scilicet, quæ connexio, quis nexus, & quæ conuentio est inter palmam, & vbera, quòd de eadem sponsa idem loquutus Salomon palmam, & vbera nectit dicendo: *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Cant. 7. si palma victoriæ est typus, & vbera amoris sunt hieroglyphicum, quæ conuentio est amoris ad pugnam, & dilectionis ad victoriam? Subtilis equidem difficultas, verùm vt eam strictim expediam, ob id maximè cũ vberibus palmam, & cum illis hanc coniunxisse existimo; quia si palmæ folia ad ensium effecta sunt formam, & vbera, vt mòx dixi, amoris sunt hieroglyphicum; optimè quidem, & non ad insipientiam nobis cum vberibus palma annectitur; quia penetrabiliori gladio nullus inimicum transuerberat, quàm qui eum beneficentia prosequitur. Vndè dicere consueuit Agath. lib. 3. Hist. *Non armis adeò, ac pietate paratur victoria,* & Polib. lib. 5. *Benignitate, atq; clementia hostem vincere, quàm armis præstat,* quæ si vera vt verissima sunt; audi cur fortium nomine in hostes explicaretur clementia, quia nullus eorũ corda adeò fortiter percutit, sicut qui ea beneficentiæ ense transuerberat. Quod tetigisse visus est Cyprianus, cum & si de Christi erga inimicos charitate differens, ad nostram tamen rem ait: *Illic constabilita est virtus gloriæ eius, cùm constituit dilectionem validam.* ac si diceret: non quomodolibet, sed validè contra hostes pugnat, valideq; (si sic dicere non erit incongruum) de ipsis vlciscitur, qui eos charitatis, clementiæq; ense transuerberat. Cuius rei (quis scit) si Thespienses populi non ignari quoties in pugnam erant processuri non Marti, sed Cupidini amoris Deo sacrificabant; tacitè (meo iudicio) indicantes, quòd qui pugnam contra hostem assumere cupit, non bellicis Martis instrumentis, sed amoris, beneficẽtiæq; visceribus indui debet, vt nouo, insuetoq; vlciscendi (vt ità dicam) genere vlciscatur.

Cant. c. 7.

Agath. Polib.

Cyprian.

Nullus adeò valide inimicorum percutit corda, vt qui ea beneficiorũ ense transuerberat.

7 Quò magis diues quidam vbertate angustabatur, diuitijs depauperebatur, & pinguedine macrebat: quò, inquã, plus eius erga benefactorẽ crescebat ingratitudo, dum nec verbulum pro tanta terræ feracitate, fructuum abundantia, & bonorum omnium affluentia in gratiarum actionẽ pro tulit, eò ampliùs erga ipsũ pijssimi Domini crescebat beneficentia, & augebãtur dona: *Hominis cuiusdã diuitis fructus vberes ager attulit.* Luc. 12. At si terræ fæcũditate, aeris tẽperie, fructuum lætitia, bonorum subsidijs, & omnibus quibus anni prouentus fecundis successionibus adimpletur, abutebatur, cur ei concedebãtur? An quoniam Deus contra ipsum beneficijs pugnando, salutari (vt ità dicam) uindictæ genere utebatur, dum non pœnarum ui, nec flagellorum duritie, sed in funiculis Adam, & in uinculis charitatis; in beneficiorũ videlicet multiplicitate pudefactum post unguentorum odorem trahere nitebatur? Hac de causa scelestos omnes, sed peruicaces, atq; ingratos præcipuè beneficijs à Deo augeri asserit Chrysostomus, qui homil. 47. in Genes. dicit: *Certat Deus muneribus, beneficijs vincit mentem nostram, & nostras cogitationes.* Quod nil est, nisi dicere: ideò muneribus munera cumulat, ut pudefacti resipiscamus, nàm pijssimo Domino nostri sufficit uindicta pudoris.

Luc. c. 12.

Chrysost.

Deus muneribus certat, beneficijsq; hominum mentẽ vincit, & superat.

8 Summum illum humilitatis, amorisq; excessum, quem in ultima, cœna ostendit Saluator, quando non ut Maiestatis Dominus, sed ac si seruulorum seruus, non aliorum, sed proprijs manibus posita in peluim aqua, accitisq; discipulis, eorũ pedes lauare, illoq; linteo, quo erat præcintus abstergere nõ est dedignatus, stupore plenus texere uolens Ioannes, nequaquam absq; Iudæ proditione interserendum putauit: *Antè diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ, &c. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &c. Cœpit lauare pedes discipulorum.* cap. 13. quod etsi mirabile prorsus primo videatur intuitu, quòd amo-

Ioan. c. 13.

Digitized by Google

rem cum odio, & pietatem cum impietate miſceret, ob id nihilominus factum reor; vt oſtenderetur, quòd quantùm in ſe erat, nullum à Saluatore officij genus fuit omiſſum, vt de proditione vindictam reportante pudore ad ſe proditorem attraheret pudefactum: *Mira Chriſti patientia* (ait Lucas Brugenſ.) *humanitaſq; commẽdatur, qui proditorem ſuum cognitum, nec à menſa, nec à pedum lotione, nec ab eſu ſui corporis repulit, vt ad ſuæ ſalutis cognitionem, atq; diuinæ miſericordiæ expetitionem moueret.* Verùm peruicacior ſemper nec pudoris moleſtias, nec beneficiorum ſenſit incendia.

Brugenſ.

Quó Iudæ creſcebat nequitia, eò Chriſti erga eum creſcebat humanitas, & quare?

9 Hominem illum, qui ſine veſte nuptiali conuiuij locum fuerat ingreſſus, ſi alloqui fas mihi eſſet, percontarer ſanè; quid eſt, quòd monitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri: *Amice, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* *At ille obmutuit.* Matt. cap. 22. Si nullum indignationis apparebat veſtigium, & ſi regẽ pluſquàm lenitèr ſecum agentem videbat, cur non fidenter reſpondit? Quæſito communiter reſponderi me minime latet, quòd tempore illo per hanc parabolam figurato non erit excuſationi locus, nec reſpondendi aderit facultas, cùm Iudici illi, qui hominum corda ſcrutatur, ac renes, omnis pateat mens, omniſq; loquatur voluntas: Verùm Pauli de Palacio fuit opinio, quòd nil eum affatu priuauit, niſi regis benignitas; quòd ſi ab eo vlteriùs quonam pacto humanitas, quæ familiaritatis eſſe debebat origo, miſerum hunc loquendi priuauerit facultate, ſciſcitaretur, illicò reſponderet; quòd beneuolentia, ac officia adeò inimicorum corda confuſionis mucrone tranſuerberant, vt nec ingratus quiſquam præ verecundia, atq; dolore benefactori reſpondere quid valeat. Vndè mòx dictus Paulus de Palacio quæſtioni à ſe motæ: *Cur vocat amicum, qui inimicus eſt?* ſtatim reſpondet: *Hoc verbum vehementem nudo pudorem incuſſit.* Ac ſi diceret; quia ingratitudinis, ac peruicacię pœnas luere debebat, non alio, quàm beneficentiæ percutitur gladio, vt pudoris experiatur vindictam. Quam vindictam, & Iudam fuiſſe expertum autumat Ambroſius ſuper pſal. 39. cùm ait: *Nec immeritò grauiore telo tantæ benignitatis percuſſus eſt Iudas, quàm ſi eum fulmine percuſſiſſet. Deniq; patientiam Domini ferre nõ potuit, qui maieſtatem prodidit.* Et diabolum ipſum Chriſti tẽpore aliqualitèr ſenſiſſe aſſerit Chryſoſt. hom. 52. ad Pop. vbi eum Chriſti pietate vulneratũ (vt ità dicam) & tortum deſcribit: *Nouit arma, quibus fuit ſuperatus. Quæ verò ſunt hæc? Benignitas, & manſuetudo*: Subditq, quòd nos quoque contra hoſtes noſtros ijſdem armis, non ad illorum confuſionem, atq; vindictam, ſed ad eorum correctionem vti debemus: *Hoc tu quoq; facies, ſi videris hominem diabolũ factum, & ad te venientem, ſic & tu vince; dedit Chriſtus poteſtatem.* Quod ſi efficies cum Dauide prudentem ſuper inimicos tuos Dei mãdato te effectum dicere poteris.

Matt. c. 22.

Paul. de Palac.

Supremum ingratorum ſupplicium, beneficẽtia.

Ambroſius.

Chryſoſt. Plus Chriſti benignitate, & manſuetudine, quam potẽtia, & ſeueritate tortus fuit diabolus.

Idem.

Si dimittimus eũ ſic, omnes credent in eum: et veniẽt Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem Ioan. 11.

§. III.

Nullum eſt ius, quod mundialis pelitia non peſſundet.

1 MVltipotentem eſſe regnandi libidinem ratum iugitèr apud me fuit; aſt quòd inſanire faceret, haudquaquam capere potuiſſem, niſi ab Iſaia ambitioſos vertigine laborantibus ob id comparatos reperiſſem; quia adeò per dominatus concupiſcentiã conſilium perdunt, vt & mentẽ penitùs perdidiſſe videãtur: *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptũ in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* c. 19. Quod & aliquo modo tetigit Hector Pintus ſuper. mòx dictum

Iſai. c. 19.

Digitized by Google

ctum Isaiæ locum, dum dicit; quòd in circuitu impij (præsertim verò ambitiosi) ambulant, quia ambiendi finē ignorantes, veluti vertiginosi, atq; amentes corpore cadunt, & mente: *Hoct. Pint.* *Fortasse per spiritum vertiginis intelligit errorem. Nàm qui mouentur in orbē, veluti vertigine agitati non sunt apud se, & tamquam insani cadunt in terram; ideò ægyptios errore deceptos ebrio vomĕti cōparat, qui vino correptus iacet sine iudicio prostratus.* Quod adamussim ambitioso Absaloni, qui regnandi cupidine ebrius nec futura præuidere, nec imminentia cauere, nec præsentia declinare nouit, accidisse asserit Chrysostomus, qui serm. de Absalom persequente patrem disertissimè eius describit vertiginem: *Perdidit Absalom sceleratissimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium insectatus patrem: fugat innocentem, insequitur genitorem, vsurpat imperium, potestatem arripit, regnum inuadit: non vt cum patre societatem regni iniret, sed vt totum regnum patris sanguine possideret. Perdidit, inquam, Absalom consilium, dum parricidio cupit mercari imperium.* Ex quo Tullius lib. primo offic. vt periculosam ægritudinem mentem, consiliúq; auferentem ambitionem fugiendam esse sequentibus verbis suasit: *Cauenda est gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.* Et quidem optimo iure regnandi libido in insaniam impellere dicitur, quia si mente capti nulli seruato fœdere, nulliusq; habita ratione facilè contra quemquam insurgunt; facillimè quacumq; leui spe ebrius ambitiosus veterem hominum coniunctionem dirimit, & impretiabilem Dei seruitutem contemnit. Adsunt in præsentia Principes, & Pharisei, qui humano, diuinoq; iure posthabito tantùm regiminis firmitati dant operam, dum dicunt. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Ioan. 12. vndè Toletus annot. 7. post longam horum stultorum subsannationem tandem humanæ (nè diabolicæ dicam) politiæ legem deducit; cùm ait: *Perpende hoc, aut enim existimabant veram esse hanc fidem, esseq; verum Christum, aut non: Si vera fides, veruſq; Christus erat, elegerunt magis conseruare temporale regnum, quàm credere, & quàm veram fidem in Christum habere. Si autem non existimabant esse veram fidem, potius dicendum erat: Si dimittimus sic, credent omnes in eum, & religio vera destruetur, & fideles peribunt, maius enim erat damnum spirituale, quàm temporale. At hi non curant spiritualia, sed temporalia; ac si diceret inter nos princeps aliquis: impediamus hæresim, nè pereat iurisdictio mea, & potestas, quasi hoc esset, quod antè omnia se conseruare proponeret.* Insana equidem lex, quæ non minus Dei, quàm hominum pessundato iure iugiter suum incrementum præ oculis habet; quod quàm verum sit, liquidò sequentia ostendent.

Vehemens adeò regnādi libido, vt facile insanire efficiat.

Chrysost.

Ambitiosi amentes.

Tullius.

Facile humanum, diuinumq; ius dirimit regendi cupido.

Ioan. c. 11.

Toletus.

Temporalis politiæ lex non minus Dei, quàm hominum leges contemnit.

2 Societatem, qua ipsæ feræ delectantur; fœdera, quæ ipsi hostes seruant; & consanguinitatis nexus, quos ipsa adinuenit natura, nil dirimit, atq; frangit, nisi dira regnandi cupido, quæ cęca cùm sit, atq; effrenis nullis legibus deuinciri adeò potest, vt ab aliorum neglectu, atq; deiectione abstinere se valeat; quod optimè de ambitioso sermonem habens cecinit Senec. trag. 10. cùm dixit:

Seneca.

Colit hic reges, calcet vt omnes,
Perdatq; aliquos, nullumq; leuet
Tantùm vt noceat, cupit esse potēs.

In terminis posteà visa res est in Saule, qui Dauidem amore equidem prosequutus fuerat; at vbi eius prudentiam, populiq; erga eum beneuolentiam aduertit, regni illicò iacturā metuens nedum eum rectis oculis ampliùs non aspexit; verùm mortem ei moliri non destitit, dicente scriptura, quòd non ob Dauidis ineptiam, nec ob eius ingratitudinem, nec ob aliud quippiam simile, sed ob prudētiam inuisum haberet: *Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.* 1. Reg. 18. vbi Tostatus quæst. 22. *Quia vidit Saul esse Dauid nimis prudētem, obseruauit se ab eo, magis quàm aliter effecisset; timebat enim Saul quòd Dauid per magnū fauorē, quem habebat in populo posset conciliare sibi animos hominum, vt regem eum facerent, et de-*

1. Reg. cap. 18.

Tostatus.

Pauent semper ambitiosi, ne regimine priuētur.

deponeret Saulem: & si esset Dauid imprudens, non aduerteret ad hæc, & Saul non timeret. Mutuus erat inter Abimelech, & Isaac amor, vetusq; amicitia: verùm vt hunc præpotentem aduertit ille, dominatus amissionem veritus omni posthabita societatis ratione, vt omnis auferretur timoris occasio, abesse potiùs amicũ voluit, quàm

Gen. c. 26. adesse, dicente scriptura: *Inuidentes ei Palæstini, &c. In tantùm, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Gen. 26. super quæ verba Car-

Carthusian. thusianus art. 69. *Idcò dixit iste Abimelech, quoniam vidit Isaac diuino, vndiq; fultum auxilio, cui se sciuit nõ posse resistere.* Gracilis non erat nexus, quo ab ipsa natura Iosepho cõiuncti, cum eoq; deuincti erãt fratres; dum ab vno, eodemq; originem ducebant: ast si specialis genitoris erga eum amor inuidiæ excitauerat faces, somniata tãtùm prælatio omnis liuoris, omnisq; odij causã extitit, & origo; vndè Gen. c. 37. Genes. cap. 37. ipsos dixisse habetur: *Ecce somniator venit: venite occidamus eum, &c. & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua* quod impijssimum consilium sueto ingenij acumine considerans Ambrosius, hunc ait in modum:

Nec carnis, nec sanguinis rationem habet ambitio.

Ambros. *Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos.* Nec vacat mysterio, vt benè annotat Petrus Cellensis, quòd per agros, camposq; errando fratres quærere diceretur Ioseph, paulò superius eadem asserente scriptura: *Inuenit eum vir errantem in agro.* ibid. quia satis errat, qui inter mundiales politicos vix verbulum de regimine eructat, cùm etiam somniata exaltatio zelum incutiat, atq; liuorem: *Errauit quærendo fratres,* ait mòx dictus Petrus Cellensis, *in quorum manibus tot calamitates inuenit, quot inuidia concepit, & iracundia peperit.* Et quidem nil prorsus mirum, quòd societatis, amicitiæ, consanguinitatis, immò & germanitatis fractis nexibus semper alios deprimere studeat ambitio; dum ipsa Absalonis est illa cæsaries, quæ vix erumpens cuiuscũq; sceleris exordium semper extitit, & principium. Ex quo Hugo de Foilleto à Tilmanno allatus: *Æstuabat Absalom amore regnandi. Hæc est radix omnium malorum cupiditas. Ipsa est caput, ex quo pendet vitiorum cæsaries. Hæc est cæsaries, quam nutriebat Absalom, & grauabat eum, & non nisi semel in anno tondebatur.*

Petr. Cellens. Inter mundiales politicos nec verbulum de regimine enarrãdum.

Hugo de Foill. Cunctorum malorum origo regnandi cupido.

3 Ast quid societatem, & cõsanguinitatem humanam politiam parui pendere dixi, si nullam prorsus paternitatis, nec filiationis rationem habet. Proprijs relictis laribus in regionem longinquam perrexit Prodigus, & si Chrysologo fidem præstare velimus; quia genitoris stomacabatur longæuitatem, exulare propterea maluit, quàm superstitem illũ videre: nec tantũ monstrũ mòx dictus miratur Chrysologus, quia non poterat, non parentum perdere charitatem, qui ambitiosam Absalonis nutriuerat comam: *Hæres impatiens,* ait Chrysolog. serm. 1. *patris fatigabatur ad vitam.* Quàm posteà ad Nabuchodonosoris vitam fatigaretur Euilmerodach eius filius, explicant nonnulli super illud Isaiæ 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo:* vbi dicũt, quòd mortuo, humatoq; Nabuchodonosore ad regimen iterum assumptus filius, qui eius loco annis septem regnauerat, nè denuò reuiuisceret veritus, genitoris effossio cadauere illud minutatim auibus (ad id hinc indè collectis) comedendum præbuit, vt sic dempto reuiuiscendi modo longius, securiusq; regere posset; quod super præfatum Isaiæ locum, & si ad hebræorum mentem, refert tamen hunc in modum Lyranus: *Dicunt Hebræi Nabuchodonosor in statum pristinum regressum Euilmerodath filium suum (qui eo interuallo septem annorum regnauit) in carcerem misisse, & eum ibi cum rege Ioachin in vita patris fuisse, quo mortuo, cùm non auderet regnum suscipere, dicens pater meus quandò vult moritur, & resurgit: consilio Ioachin tercentas aues de diuersis partibus mundi exquisiuit, & corpus effossum in minutias discerpsit, & vnicuiq; partem alligauit: dixit enim Ioachin, cùm aues simul conuenerint hæ, reuiuiscet pater tuus.* Eodem posteà morbo si laborare cœperint progenitores, quonam pacto erga natos se ostenderint, vt cæteros omittam, de-

Chrysolog. Haud quaquam parẽti parcit regnandi cupido.

Isai. c. 14. Lyranus. Parentum etiam perdit charitatem. Regnandi cupido quã dira.

cla-

clarauit Saul, qui vt Ionatham pro Dauide, à quo regno se spoliandum veteri iàm cęperat, loquentem audiuit, paternitatis omni post habita ratione adulterinum eum censuit, atq; vocauit: *Fili mulieris virum vltrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?* 1.Reg. 20. quam Saul indignationē, quamq; in Ionatham contumeliam a mundana politia ortum habuisse neutiquam dubitat Tostatus q.15.dū sic fatur: *Timebat Saul ex hoc regno priuari, vel saltem, quòd posteri sui priuarentur: propterea vt istum timorem euaderet, Dauid occidere intendebat.* Sicque non tantùm in genitores genitos, verùm contra hos illos cæca regnandi facit insanire libido.

1.Reg. cap. 20.

Tostatus.

Etiam genitores in genitos insanire facit ambitio.

4 In stuporem me sanè præfata adducerēt, arctissimos nempe naturę nexus humanam frangere politiam, Chrysologum ni legissem dicentem, quòd adeò in politicorum medullis regiminis æstuat appetitus, vt cum ipsis comproductus (vt ita dicam) videatur, dum in ipsa materni vteri palestra pro regimine quandoque pugnent, & certent; quod sueta dicendi eloquentia de Iacob, & Esau exemplificat ipse serm.72. super illud Genes.38. *Collidebantur in vtero paruuli*, cuius verba sunt: *Iacob in vtero matris cū fratre luctatur, præripit, & triūphos; hinc est, quòd in vtero Thamar gemini de primatus honore præliantes retardant partus, nec antè lucem cupiunt uidere, quàm uincere.* Sic Chrysologus veluti insitam politicis describēs primatus cupidinem, cur fœderis, & amicitiæ; immò carnis, & sanguinis vincula mundialis politia dissoluat, & rumpat insinuare videtur.

Chrysolog.

Veluti comproducta cū aliquibus regnandi libido ab ipso matris vtero eos vexare consueuit.

5 At quid humanum fœdus, humanumq; ius diabolicam hanc politiam contemnere dixi, si ipsa Dei præcepta, ipsamq; Dei legem, cuius nec apicem transgredi audere deberet, iugiter suis rebus posthabet; cuius rei si nullum extaret exemplum, minimè deesset Pilatus, qui cùm Saluatorem in multis accusatū audiret, neglectis accusationibus, nihili pensisque omnibus absolutè non minus, quàm inopinantèr an Rex esset, interrogauit: *Intrauit in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?* Ioan.18. Et vbi ò Pilate vestigādę veritatis est studiū? Quò iudicis abijt prudentia? Quomodò rectum proferre poterit iudicium, qui non rectè interrogat, nec rectè in delationum dilucidatione procedit? Si nefaria Iudęorū peruicacia eousq; peruenit, vt tamquā malefactorem illum accusare non erubuerit, qui paulò antè & omnia benefecisse, & omnium benefactor dictus fuerat, cur de malo, cuius falsò criminatur, nō interrogas? An plus regis, quàm legis; plus imperatorum, quàm Dei mandatorū; plus deniq; dominatus, quàm Domini cura afficeris? Sic Vgo Card. *Primam accusationem nullam reputauit, sed de alia quærit, tāquam timens periclitari, si non inquireret diligenter de crimine læsæ maiestatis.* Vides quomodò neglecta iustitia, postpositoq; Deo, dominatū solummodò præ oculis habent mundiales politici.

Ioan.c.18.

Vgo Card.

Etiam Deū ipsum suis rebus postponunt mūdiales politici.

6 Sed quoniam Pilati tetigimus quæsitum, strictim minimè est prætereundum, quòd Christus de actis non minus, quàm de regno interrogatus, prorsus indefensis relictis operibus de regno tantùm loquitur, dum absolutè respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo;* Ioan. 18. Si hostes virtutis opera, quæ nemo alius fecerat, falsò incusabant, si de Patre etiam obloquebantur, dum Patris opera à filio perfecta criminabantur, cur qui lactentium linguas fecit disertas, pro eis non loquitur, sed alterius seculi se regem vocando plenè se defendisse existimat? Difficultatem præ oculis habuit mòx dictus Vgo, qui ipsam soluit dicendo, quòd cùm Pilatum adeò regiminis firmitati intentum videret, vt præter hanc nil penitùs attenderet, superuacaneum operum defensioni incumbendum existimauit. Præstò est citatus Vgo Chrysostomi vtens verbis: *Ad hanc quæstionem: quid fecisti? nihil respondit, sed ad primam, quia de hac maximè Pilatus scire desiderabat, scilicèt de regno eius: vndè dicit: Regnum meum non est de hoc mundo.* Dicere (meo iudicio) volens

Ioan.c.18.

Idem.

Adeò in politicorū medullis regnā di æstuat cupiditas, vt ea exceptā tam iustitię, quā Dei immemores reddantur.

lens indefensam reliquit Christus veritatem, quia pro potestatis stabilitate offensam videbat maiestatem; quia scilicet ambitiosus Pilatus non veritatē, sed vanitatē, non quomodò rectè iudicaret, sed quomodò diutiùs imperaret, attendebat, frustrà innocentiæ assumptæ fuissent partes, vbi ingressa iam regnandi cupidine, nec iustitiæ locus, nec Dei timoris scintilla supererat.

7 Aurea sunt pro re hac, de qua loquimur, quòd etiam Deum suę postponat ambitioni regendi cupido, verba illa Caini ad Deum dicta; *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, et à facie tua abscondar*. Gen. 4. quæ & si explicari soleant: eijcis me à facie terræ, ab hac scilicet regione, in qua natus, & nutritus, in qua ad hanc vsque horam cum parentibus vixi: quæ est paradiso vicinior, aeris temperie feracior, atq; ad incolendum felicior, & in terras alias steriliores, infelicioresque exterminor; & ego à facie tua abscondar, cùm eam ampliùs non requiram: immò si tu me requires, ad latebras confugiens me abscondam; quæ verba desperatione non minùs, quàm impudentia plena fuisse, haùd dubitandum: ego tamen hac in re illud maximè perpendendum existimo, quòd non absq; ratione priùs terrę, quàm Dei faciē se amissile deploret: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar*, quia mundana cupiditas, atq; ambitio inuerso ordine temporalia cęlestibus, & dominatum haùd difficilè Domino præponit: Quod in Caino incusans Rupertus lib. 4. cap. 7. in Genes. sic fatur: *Quid autem deprehensus timet incultus iste agricola? Ecce, inquit, eijcis me hodie à facie terræ, &c. Hoc timet, nè agricolari sibi non liceat, nè terram, quam solam amat, pro admisso facinore perdat.* Optima sanè nostri instituti probatio, qua satis abundè mundanæ politiæ innotescit natura, dum plus terræ, quàm terræ Conditoris facies desideratur, & quæritur.

8 At quoniam de Caino fari iā cœpimus, cursim minimè est prętereūda Chrysostomi admiratio, quòd scilicet scelestus iste naturæ iura, quę mutæ pecudes, agrestesq; ferę frangere non audent; erga germanum non seruauerit, nàm si vulgò dicitur, lupus lupinum non comedit, lupis iste edacior, tigribusq; crudelior in fratrem desęuit: & eo magis obstupet, quia qui mortuum non viderat, mortem inferre non ignorasse considerat: ast illum tandem regnandi cupidum perpendens admirari illicò desistit, nàm postquam à fratricida quæsiuit: *Qua de causa gloriam in tāta diligis solitudine?* immediatè respōdet: *Illi namq; tunc soli habitabant; sed neq; hoc eum colebant, sed omnibus ex animo proiectis cum diabolo stetit.* Patentius (ni fallor) dicere volens: nè Abelem, quē iàm Deo carum aduerterat, sibi prælatum videret, diaboli sibi partes ipse delegit, & cum diabolo stare voluit, vt imperare posset. Quod etiam Sacerdotum Principes, & populi seniores tunc effectile autumat Ioannes Ferus, quandò quem dimitti vellent, Barabbam, an Christum proposita sibi optione regnandi libidine perciti cum diabolo stare maluerunt, quàm cum Deo, nè secundum eorum dementiam principatu priuarentur, dū Barabbam sibi dimitti petierunt. Vndè mòx dictus Ferus super Matt. 27. *Vides hic quòd nihil est, quod impii mēs non præferat Christo, & veritati, si lucrū sciat.* Vides quomodò nec Dei ipsius rationem habet ambitio, dum regnādi cupidine libenter cum diabolo stare facit ambitiosos.

9 Quòd vbi primū ex fusis inauribus vitulū egressum vidit Aaron, structa illicò ara præconis voce solemnitatem pro sequenti die indixit, & si non desint, qui non adeò in sinistrā partem accipiant, vt eum aliqualiter non excusent dicentes, quòd non per hoc populum ad idololatriam incēdere, sed ab ea illum reuocare satagebat, quia sic vituli solemnitatem procraſtinando, & imminenti idololatriæ viam obstruebat, & Moysis aduentu, quem in horam expectabat, à cepto scelere populum contrahendum opinabatur: Sic (cæteros vt omittam) pro eo loquitur Tostatus q. 14. *Cum ergo dicitur. Cras solemnitas Domini est. Sēsus est, quòd sequenti die ce-*

Genes. c. 4.

Rupertus.

Chrysost.

Ioan. Ferus.

Tostatus.

Regnādi cupido nulla Dei habita ratione diaboli partes facilè assumit.

Facile dominatum Domino præponit ambitio.

Digitized by Google

Cur Aaron conflato vitulo aram erexit, ſolẽnitateq; prædicauerit, expenditur.

lebraretur feſtum Deo, quem ipſi petierant, & habebant, ſcilicet vitulo illi, & dixit Aaron; cras, quia noluit eadem die facere ſolemnitatem offerẽdo illi victimas, & adorando in iubilatione, & choris: & hoc vt ſi interdum veniret Moyſes, diſturbaret hæc, ſcilicet, nè coleretur. Nihilominus ſi aræ conſtructio idolatriæ fomes erat, & incitamentum, neutiquam populum ad talem impietatem propenſum incitare debebat; immò ſi ab alio altare erectum vidiſſet, illud deſtruere, immò & in puluerem redigere debebat; vt omnis huius impietatis aboleretur occaſio. Hinc Caietanus alterius ſententiæ à Toſtato fuit, quòd, ſcilicet, ambitionis affectu ductus Aaron, nè primatũ amitteret in diuinis, eum in tale facinus fuiſſe prolapſũ: quia namq; idolum effectũ viderat, nè alius nouæ religionis nouus introduceretur miniſter, & ipſe omni primatu, & dignitate exutus maneret, vt ſe in officio, ac dignitate conſeruaret, vero Deo poſthabito, cuius ipſe ſacerdos, miniſterq; erat, idolorum obſequio ſe addicere non erubuit: *Aaron primatum noluus perdere,* mòx dictus Caietanus, *ædificat altare corã vitulo, non expectans rogari, ſed ſtatim vt vidit vitulũ, primus ædificauit illi altare ad ſacrificãdum. Inſaniuit enim ipſe longe magis quam alii.* Sic quàm Deo ipsi res ſuas ambitioſi præferant, ſole clarius oſtẽdit Caietanus, quod modicum non eſt præſentis inſtituti argumentum.

Caietan.

Deo dœmonẽ facile præponit Eccleſia ſticorum ambitio.

10 Mirabatur Chryſoſtomus, q impius Herodes in Chriſti aduentu inter tyrannidis, & timoris vndas veluti inter Scyllam, & Charybdim fluctuans quid ageret, ignoraret, dum & ad prophetias recurrebat, & ipſas puerorum nece irritas reddere nitebatur: *Conſidera ego* (ait mòx dictus Chryſoſtomus) *vecordiam ſingularem. Si enim prophetiæ ipſe crediderat, eamq; inuictam putabat, clarum erat, illum aduerſus impoſſibilia conari. Si verò minimè credebat prouentura eſſe, quæ tanto antè prædicta ſunt, nec ſibi timere debuit, nec puero inſidiari. Ex vtroq; igitur fruſtra ſuſceptus dolus iſte conuincitur.* hom. 7. ex cap. Matt. 2. aſt nil prorſus miratur Brugẽſis, qui ambitionis naturam noſcens, eouſq; eius rabiem peruenire conſueuiſſe autumat, vt nedum Deo poſthabito ſuis ſemper rebus inuigilet, verùm pro qualibet etiam inani regiminis ſpe contra ipſum pugnare non erubeſcat. Eius verba ſunt: *Conſultum iudicauit Regem illum in ipſo ſuo ortu extinguere, & priuſquam cognoſceretur è medio auferre, nihil veritus, ipſum ſacroſanctæ Religionis, quam proſelytus profitebatur, caput directè oppugnare, & quem omnium ab orbe cõdito prophetarũ vaticiniis promiſerat Deus, conari in ipſo natiuitatis exordio regno ſimul, & vita ſpoliare, tamquam ſi definitis Dei conſiliis poſſet ipſe reſiſtere. Eò prolabi poteſt cupido regnandi, & cæca ambitio.* Hæc ipſe, quibus ſatis clarè etiam contra Deum ipſum (quo nequius dici nil poteſt) rabidam pugnare conſueuiſſe ambitionem oſtenditur.

Chryſoſt.

Ambitioſus vecors.

Brugenſ.

Eò prolabi ſolet regnãdi rabies, vt etiam cõtra Deũ inſurgat, & pugnet.

11 Cæterum vnum pro concluſione aſſero, quòd ſi honores inhiantes honorum ſemel experti fuiſſent amaritudines, numquã id affectarẽt, quod amariſſimum quandoque guſtaſſent, meum minimè eſt, quod dico, ſed Pauli de Palacio, qui verba premens illa: *Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexterã meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Matth. cap. 20. ob id Saluatorem primarum ſedium confeſſum Iacobo, & Ioanni denegaſſe aſſerit, quia cùm tam intenſiue, quàm extenſiue morte amarior dignitatum ſit calix, vix vtriuſq; calicis amaritudines exhaurire potuiſſent, quapropter eorum miſertus miſerationis pater, amariori amoto calice minus amarum ſolummodò propinauit. Præſtò eſt ipſe ſuper præfatum Matthæi locum in Chriſti perſona Iacobum alloquens, & Ioannem: *Non libet tanto vos onere grauare. Sat eſt tempore paſſionis guſtaſſe calicem meæ paſſionis: nolo, vt cõtinue eam guſtetis in prælatione.* Et tamen ò dementiam, hominum filij vanitatem diligunt, & mendacium quærunt! vtinam huius calicis amaritudines ſaperent, & intelligerent, quia ſanè non amplius temporalia æternis, nec Deo res ſuas præferendo, ſed multùm, vt fas eſt, poſtponendo,

Matt. c. 20.

Paulus de Palacio.

Diuturnus paſſionis calix prælatio.

no-

Digitized by Google

nouissima prouiderent : & sic stulti aliquando sapite, ac meliora charismata æmulari addiscite.

Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ioan. 11.

§. IV.

Truculenta ambitio sanguine semper, & cædibus suum constabilire principatum conatur.

1 AMbitionem Virgilius nō falsā nuncupauit, vt Tullius: *Ambitio multos mortales falsos fieri coegit, dū aliud clausum in pectore, & aliud in lingua habent*, in Rethoric. Nec Politiarum fœditatem dixit, vt idem: *In liberis ciuitatibus regnandi cupiditate nil fœdius excogitari potest.* 3. offic. Nec scelerum fomitem cum eodem: *Complures se scelere contaminarunt imperii cupiditate.* 3. officior. Nec rem futilē, atq; inanem cū Seneca: *Relinque ambitionem: timenda enim res est, vana, vētosa nullum habens terminum.* 88. c. 11. appellauit, sed sequissimam nuncupādam censuit, dum lib. 1. Georg. cecinit,

Nec tibi regnandi veniat tàm dira cupido.

& hoc non quia vnitatem proscindere, & societatem dirimere consueuit, vt ait mox dictus Tullius: *Pestis maior esse nulla in amicitiis potest, quàm in quibusdam honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitiæ maximæ sæpè inter amicos extiterunt*; sed quoniam, prima exaltationis suæ mœnia sanguine construere, & constructa cædibus cōplere, atq; constabilire conatur. Conscia huius veritatis est Roma, quæ ambitione impellente priùs fuit Remi sāguine fœdata, quàm ædificata. Nec eius est inscia Bethlehem, quæ tot innocentiū puerorū extinctione quomodò se impissimi Herodis tyrannis stabilire satageret, testatur: Vndè Ioan. Ferus: *Quid enim aliud Herodem incitauit ad tantam crudelitatem, quàm ambitio, cupiditasq; regendi? Ex ea enim causa tantum sanguinis fudit, vt per fas, nefasq; ambitionem suam tueretur.* Et antè: *Hæc regnandi cupiditas Pilatum induxit, vt Christum crucifigeret: hæc ipsum Cain, vt Abel fratrem suum occideret: hæc Core, Dathan, & Abiron commouit, vt aduersus Moysen murmurarent: hæc Absalom, vt DD. patrem persequeretur.* Quæ, aliaq; multa breuitatis causa omissa si deessent, adesset sanè Caiphas, qui vnius mortem omnibus salutem allaturā dicēdo: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioan. 11. & si quantùm ad veram, & spiritualem verborum significationē prophetauerit, nihilominus aliud ipse intendebat, suum, scilicet, Christi sanguine regimen, pontificiumque firmare. Quod apertissimè in persona eiusdem Caiphæ dixit Carthusianus art. 29. super mox dictum Ioannis locum: *Expedit vobis pro conseruatione vitæ præsentis, & possessione terræ, & templi, vt vnus moriatur homo pro populo; ideſt, pro ereptione gentis nostræ de manibus Romanorum: quasi dicat: mirum, quòd tàm segnes estis in considerando, quòd non perpenditis propter bonum reipublicæ, atq; totius communitatis utilitatem occidendum esse hominem vnum, qualiscumq; existat, & quidquid operetur.* Sic sanguine, & necibus suū ambitio firmare conatur imperium. De quo latius in sequentibus.

2 Quàm immanis, quàm impius quàmque atrox sit regnandi ardor, vltrà Stobæum asserentem, quòd vehemens ambitio ferinos homines efficere consueuerit: *Contentio honorum, seu ambitio oritur ex ui irascibilis, quæ cùm in excessu fuerit, gignit feritatem*: ser. 2. dixit etiam Gregorius lib. 14. moral. cap. 16. dum amphoræ illi à Zacharia visæ, quæ à duabus mulieribus in sublime eleuabatur: *Ecce mulieres egredientes, & spiritus in alis earum,*

Tullius.

Ambitio duplicitatis, falsitatisque origo.

Seneca.

Semper dira ambitio, & quare?

Tullius.

Ioan. Ferus.

Cœdibus semper, & sāguine suū constabilire principatū conatur ambitio.

Ioan. c. 11.

Carthusian.

Stobæus.

Zachar. c. 5.

Digitized by Google

rum, & habebant alas quaſi alas milui, & eleuauerunt amphoram inter terram & cælum. cap. 5. ob id ambitionem comparat, quia ambitioſi cor ſuperbia, & vanagloria elatum veluti amphora liuore, indignationeque non plenũ, ſed ſuperplenum cędes reiicit, atque eructat: *Quid aliud*, ait modò dictus Gregorius, *in his duabus mulieribus accipimus, niſi duo principalia vitia ſuperbiam ſcilicet, & inanem gloriã, quæ impietati abſq; vlla dubitatione cõiuncta sũt?* Quòd ſi tantæ feritatis, tãtæque atrocitatis rationem pernoſcere cupis, eam ſolummodò eſſe pro certo habeas, ambitionis zelotipiam, quæ cùm formidoloſa ſit, vt principatum, quem ſemper amittere veretur, conſtabiliat, facilè in illos, à quibus eo ſe poſſe ſpoliari exiſtimat, inuehitur: quæ vnica, abſolutaque eſt ratio, cur ſanguine, & cædibus delectetur ambitio. Quæ apertiſſima fuit Abimelech ſpurij Gedeonis filij mẽs, qui poſt Sichimitarum regiminis arreptionem: *Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri filij omnes Ierobaal, an vt dominetur veſtri vnus vir? Simulque conſiderate, quia os veſtrum, & caro veſtra ſum.* Iudic. c. 9. protinus omnibus exutus pietatis viſceribus domũ veniens fratres ĉuctos peremit: *Et venit in domum patris ſui in Ephrata, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta.* Ibid. & non ob aliud ſanè ſtatim tot horrendiſſima perpetrauit fratricidia, niſi quia abſque fratrum cæde nequaquam in regno ſubſiſtere ſe poſſe putauit. Vndè Baſilius hom. 22. à Gloſſa citatus: *Abimelech homicida ille, ſpurius Gedeonis filius ſeptuaginta germanis occiſis, aſſutum hoc ad regni conſeruationem adinuentũ ratus eſt.* Claret itaq; quòd non ob aliud facinoribus ambitio delectatur, & cędibus, niſi quia ſubdolè inuaſos pacificè poſſidere contendit.

Gregorius.

Ambitio sẽ. per impia.

Iudic. c. 9.

Baſilius.

Vnam tantũ in tyrannide perſiſtendi viam ſemper inuenit, cõ. petitores necare.

3 Omni ſtupore dignum cenſeo, q̃ vix in principem à lignis aſſumpta rhamnus nõ flores, nec fructus producere, ſed ad incorruptibiliũ cedrorum aduſtionem vndiq; ignem excutere conetur: *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros libani.* Iudic. 9. Si relictis olea, ficu, & vite ad rhamnum cõcurriſſe cõmunis lignorum omniũ culpa fuerat, cur reliquarum arborum nihili pẽſo errato contra cedros tantùm inardeſcit, & furit? An forte non tàm quia indebite, fraudulenterque ſe ad regendum electam ſuſpicabatur, quàm vt electionem firmaret, non in quaslibet arbores, ſed in cedros tantùm deſęuit? Ità ſanè, nàm ad dignitatẽ ambitioſus quiſq; euectus omiſſis plebeis, à quibus neutiquam ſuum deturbari poſſe principatũ agnoſcit, cõfeſtim contra præpotentes deſęuit, ratus quòd ſi cedros ſemel combuſerit, firmum erit rhamni imperium. Aduoco Carthuſianum rei mirabiliter aſtipulantem: *Per rhamnum homines ſeculares, carnales, paſſionati; mente, & corpore incircumciſi ſignati ſunt: & tales nunc communiter ad eccleſiaſticas dignitates, principatus, ſiue officia promouentur, dum per peccata populi illud contingit, Deo in ſuo furore regem donãte. Et quoniam tales boni, & reformati non ſunt, faciliter, & frequenter contingit, quòd ignis, ſeù flamma cupiditatis ex eis egreditur, vt eorum ſubiectos inflammet, & macłet.* art. 17. ſuper citatũ Iud. locum.

Carthuſian.

Illicò in cedros ignem mittere ſatagit ad principatum aſſumpta rhãnus, quia abſq; potentium neceſſariis diu perſiſtere deſperat ambitio.

4 Contra Abnerum obloqui, illumq; Dauidi de proditione ſuſpectũ reddere ſatis non fuit Ioab, niſi regio etiam emẽtito nomine illum ad ſe vocaſſet, & fraudulẽter tandèm necaſſet, quem liuorem, atque proditionem his verbis ſacra narrat hiſtoria: *Ingreſſus eſt Ioab ad regem, & ait. Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum & abijt & receſſit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit, vt deciperet te, & ſciret exitum tuũ, & introitum tuum, & noſſet omnia quæ agis? Egreſſus itaque Ioab à Dauid, miſit nuncios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira, ignorante Dauid. Cumque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad mediũ portæ, vt loqueretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt.* 2. Reg. 3. magnũ ſanè ſcelus, ingens facinus innoxium fraudulenter necare! Et quid, bone Deus, talem virum militiæ principẽ, & Dauidi carum in tot facinora impulit? Nil equidem aliud niſi vnus

2. Reg. cap 3.

Digitized by Google

se in principatu stabiliendi appetitus; viderat enim ad Dauidē, vt illi Israelis principatum traderet Abnerum venisse, idcoq; viri cōsiderata qualitate, & negotij perpēsa magnitudine nō parum vereri cæpit Ioab, nē sibi etiā ob tale munus præficiendus esset Abnerus, vt igitur suspicioni viam obstrueret, egrediatur (vt opinor) intra se dixit ignis à rhamno, & innoxium deuoret Abnerum, vt sic semotis cōpetitoribus nulla ampliùs honoris pertimescatur iactura. Meum non est hoc cogitatum, sed Iosephi lib. 7. antiq. cap. 1. à Glossa allati: *Ioab metuēs, nē Dauid in honore primi ordinis constitueret Abner, ipse verò decresceret, & militiæ amitteret principatum; viam pessimam, & maligniſſimam cogitauit, ut ei detraheret apud Regem. Sed cum his verbis non potuisset persuadere Regi, deteriorem ruinam aggressus eum occidit. Ex his itaque debet considerare quilibet, quanta, & qualia præsumunt homines propter principatus affectum, cùm nulli cedere volunt: nàm concupiscentes hæc adipisci, per multa mala ad ea perueniūt. Quæ rursus metuentes amittere, multò deterioribus actionibus, ut ea retineant, implicantur.* Optimum sanè nostri instituti argumentum, quo satis ob regiminis firmitatem in cedros rhamnum ignem mittere declaratur.

Ioseplus.

Ex ingenuis homicidæ proditores fieri consueuerunt multoties ambitiosi.

5 Quòd Saul quandoque Dauidis præuideret imperium, illumque fore regnaturum suspicaretur, parum miratur Tostatus, nàm tàm ex illius prudentia, clementia, atque populi erga eum beneuolentia, quam cernebat, quæ omnia non parùm ad hoc cōducebant, quàm ex assiduo Dei adiutorio, quo in omnibus protegebatur Dauid, id coniicere haudquaquam difficile poterat; quòd verò vltrà hoc & Ionathā, & reliquos posteros suos ab ipso fore delendos suspicaretur, *Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in Domino, nè deleas semen meum post me, neque auferas nomen meū de domo patris mei.* 1. Reg. 24. stupet sanè Tostatus, dum q. 28. ait. *Quomodò putauit Saul, quòd Dauid vellet delere semen eius, nàm saltem Ionatham, & filios eius non deleret, quia Dauid & Ionathas erant amiciſſimi; inierant q; inter se fœdus proſeſes semine ſuo uſque in ſempiternum, ſupra cap. 20. Et Saul quoq; cognoſcebat fuiſſe iſtud fœdus initum, ut patet ſupra cap. 22. ergo ſaltē Ionatham, & ſemen ſuum non deleret?* Sic ipse, qui omni tādem semoto stupore ob id de mitissimo Dauide tot, tantaque iniuria Saulem suspicatū fuisse putauit, quia cùm ipse ambitiosus esset non parum, pro regni sui firmitate nulla Dauidicæ innocētiæ, nec Dei ipsius habita ratione pluries illum interficere esset molitus, eodem morbo humillimum Dauidem laborare existimans ambitionis leges, quæ omnes competitores, omnesque principaliores dominatum deturbare valentes non tantùm deprimi, ac opprimi, sed crudeliter etiam necari iubent, ipsum seruaturū verebatur, & sic mitissimum, pijssimumque Dauidem propria metiens mensura nec societates, nec fœdera ipsum pro regni constabilitate seruaturum putabat. Mox dicti Tostati difficultatem soluentis verba sunt: *Reſpondentum eſt, quòd quamquā iſtud fœdus fuiſſet interpoſitū, tamen Saul putauit, quòd Dauid non ſeruaret illud ad Ionatham, quia deſiderio regnandi occideret eum, & poſteros ſuos, cùm regnum de iure uenturum eſſet ad Ionatham. Deſiderium enim regnandi impellit hominem ad maxima facinora, ut ait Lucanus lib. primo de bello pluſquam ciuili.* Hæc temerè de Dauide suspicante Saule, quibus medijs suum ambitiosi imperium firmare satagunt, ostenditur.

1. Reg. cap. 24.

Tostatus.

Idem.

Pro regiminis constabilitate nullā societatis, nec fœderis rationem habere solēt ambitiosi.

6 Faciunt pro hoc de quo loquimur instituto, quòd ideò, scilicèt, sanguine vallatur ambitio, quia per ipsū suū satagit stabilire dominatū, verba illa Nathan: *Num audiſti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me, & ſalua animā tuā, filijque tui Salomonis.* 3. Reg. 1. quæ quoties lego, me toties in stuporem adducūt, quomodò deducitur consequēs istud: regnat Adonias, ergo tua, filijque tui Salomonis periclitatur vita? Si fratres erant, & nulla inter eos interfuerat lis, nulla contentio, vnde inferri poterat, quòd ad regimen eue-

3. Reg. c. 1.

Digitized by Google

euectus Adonias fratrem eſſet interfecturus? Difficultatem præ oculis habuit Toſtatus, dum quæſt. 27. ſuper

Toſtatus. ereatum ſcripturæ locum ait: *Quæritur quomodò Bethſabee deberet liberare animã ſuam à morte, et animam Salomonis?* & facilè eam ſoluit dicẽdo, quòd nequaquam temerè hæc, hiſq; ſimilia de Adonia ſuſpicabatur Nathan, quia in imperiũ quomodolibet intruſus ambitioſus facilè in cõpetitores manus mittit, vt citò his de medio ſublatis diutius ipſe regnare, ſecuriuſq; tyrannidem exercere poſſit; & quia regni ius ad Salomonem potius, quã ad Adoniam ſpectabat, nequaquam temerè ſuſpicabatur propheta, quòd

Idem. ad ſui imperij conſeruationem Adonias Salomonem eſſet occiſurus: *Dicẽdum*, ait mòx dictus Toſtatus, *quòd*

Pro ſui ſtabilitate nec fratribus pareit ambitio. *cum Salomon haberet ius ad regnum potiùs, quàm Adonias, & aliqui tunc fauebant ei, timens nè aliquando populus magis aſſentiret ei, quàm ſibi, fortè quæreret occaſionem ad occidendum illum, ut maneret ſecurus.* Quæ non Adoniæ tantũ, ſed cunctorum eſt ambitioſorũ natura ad regiminis firmitatem competitoribus nedum nõ parcere, verum in eos iugiter etiam deſeuire.

7 A mòx dicto Adonia non diſcedens libentiſſimè audirem, quid eſt, quòd Dauid illius ambitionis cõſcius eum nõ corripuit, dicẽte Scrip-

3. Reg. 1. tura: *Nec corripuit eum pater ſuus aliquandò, dicens: Quare hoc feciſti?* Si non eum, ſed Salomonem regno poſt ſe præficere intendebat, cur in initio Adoniæ non compreſſit ſuperbiam, quòd vt adeò creſceret, expectauit: *Quæritur*, ait Toſtatus, *quare Dauid non corripuit Adoniam, cùm faceret ſibi currum, & equites, et diceret: Ego regnabo?* Difficultatis nodum idem ſoluit Toſtatus, cùm dicit; quòd non ſine ratione Adoniæ ambitionem incorreptam reliquit Dauid, quia præuidebat, quòd ſi ſecus effeciſſet, Salomonem facilè interemiſſet Adonias, vt ſic regno ipſe, non ille ſuccederet; nè igitur in maiora ſcelera filium ruere videret, minora pijſſimus pater diſſimulanda cenſuit. Mòx dictus Toſtatus:

Toſtatus. *Dicendum videtur, quòd Dauid hoc ſciebat, & tamen nolebat increpare Adoniam, nè indicaret, quòd ipſe non erat ſucceſſurus in regno, alioquin licitè poſſet vti iſtis inſignijs, quæ pertinebant ad ſucceſſurum; voluit igitur tolerare eum in honore iſto vſque ad diem, quo ipſe determinaret, quis de filijs ſuis ſuccedere deberet.* Prudentiſſimum ſanè conſilium, quo ambitionis impietati obſtructa eſt via.

Adoniæ ambitio cur à Dauide incorrepta relinquitur.

8 Tranſuolo Athaliæ feritatem, quæ filium ſuum obijſſe videns, nè à ſe laberetur imperium veluti leæna raptis catulis in nepotes, Ochoziæ ſcilicet filios, inſurrexit, illoſque omnes interfecit, ſacra dicente pagina. 4. Reg. 11. *Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.* Quam impietatem his verbis carpit Carthuſianus: *Ecce quanta fuit crudelitas, atq; ambitio impiiſſimæ Athaliæ, quæ regnãdi libidine interfecit filios filij ſui, cùm tamen auiæ ſoleant valde diligere filios, ac filias filiorum, ac filiarũ ſuarũ;* & ſiſto in difficultate illa, vnde ſuſpicari poterat Dauid, quòd eũ Abſalom eſſet occiſurus, cũ ait: *Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugiũ à facie Abſalom: feſtinate egredi, nè fortè veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam.* 2. Reg. cap. 15. Si eum tũc vſque obſequentẽ viderat, & numquam ſibi irreuerentem fuerat expertus, vndè bone Deus, in mentẽ ei venire potuit, quòd talia Abſalom eſſet patraturus? At ſolertiſſimè quidem vbi filium regnũ arripientem audiuit, illicò, vt immediate ante ſacra ait pagina, aduerſum ſe venturum opinabatur: *Venit igitur nuncius ad Dauid dicens: Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom. Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite fugiamus, &c.* quia ambitionem numquam ſolam, ſed ſemper ad ſui firmitatem crudelitati cõglutinatã eſſe agnoſcebat, quapropter filium ambientem audiens, eius ſtatim timere cæpit ambitionem, cùm ad inuaſi imperij dilatationem, ac firmitatem nil, niſi ſuum interitum conducere poſſe optimè noſceret. Fauet his Toſtatus quæſt. 20. *Nè fortè veniens occupet nos, ideſt nè veniat ad vrbem antequam egrediamur, & occupet nos in vrbe: penſabat enim Dauid, quòd*

4. Reg. c. 11.

Carthuſian.

Omnem nepotum amorẽ extinguit regnandi libido.

2. Reg. cap. 15.

Toſtatus.

Digitized by Google

Vnde Dauid Absalonem parricidium patrare velle suspicaretur, expenditur.

Absalom illicò venires in Ierusalem ad obsidendum se, vt caperet, vel occideret, & sic regnaret sine hoste. Hæc Tostatus, antè quem luculētius nimis Chrysostomus serm. de Absalom persequente patrem: *Perdidit Absalom sceleſtiſſimus mentem, perdidit ſenſum, amiſit conſilium inſectatus patrem; fugat innocentem, inſequitur genitorem, vſurpat imperium, poteſtatem arripit, regnum inuadit: non vt cum patre ſocietatem regni iniret, ſed ut totum regnum patris ſanguine poſſideret.* His aliisq; multis Chrysostomus cur innocentem perimere, patrem occidere, & prophetam impiissimus filius iugulare niteretur, ostendit.

Chryſoſt.

9 Qua beneuolētia, ac quo amore erga natos ferantur parentes, vltra quotidiana experientiæ documenta docuit Agrippina Domitii Neronis mater, quæ vt refert Arnobius, cùm à quodam astrologo filiū imperij culmen ascensurum audiret, verùm adeò ingratum, ac crudelem futurū, vt matrē etiā foret occisurus: continuò respondit: Imperet, & occidat. Idipsum suaserunt Carthaginensium matres (vt refert Sabellius lib. 3.) quæ cùm tertio bello punico ex omni nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Siciliam mitterentur, vltra fletus, ac eiulatus, quibus eos vsque ad mare comitatę fuere, nauim tandem è portu egredientem videntes in subiectos fluctus desilierunt. Et denique nè longius quàm par est, rem protraham, omisso Solonis erga filium amore, qui in insaniam quandoque tanti viri sapientiam conuertit, dum ipsum femineis actibus, muliebribusq; eiulatibus obnūciatam quidem, veram autem nequaquam, filij mortem lugere fecit, vt loco citato mòx dictus narrat Sabellius; quantus sit genitorum, erga genitos amor, mutæ pecudes, aueſque ipsæ declarant; nàm & aquila (nè singula percurrā) vt filios suos ab aucupe defendat, iaculorum periculo se exponit; & pellicanus vt filiorum vulneribus medeatur, rostro proprium pectus percutiens sanguinem elicit, quibus alijsque multis, quæ possent afferri, satis parentum amorē in brutis ipsis vigere ostenditur; dum natura ipsa, quæ eis rationē denegat, nō denegat pietatem. His tamen nihil prorsus obstantibus si semel regnandi libido alicuius genitoris pulsauerit animū, extēplò vt collegas non habeat, vel, vt melius dicam, vt competitores non timeat, paternis exutis visceribus hostilia induet, atq; assumet: Visum est hoc in Herode, qui noui Iudæorum regis ortus audito rumore, suæ tyrannidis timens iacturam, propriū filium, qui in Bethlehem nutrici alendus traditus fuerat, communi cæde inuoluit, quod his verbis describit Lucas Brugens. super cap. Matt. 2. *Porrò cum Bethlehemiticis pueris, & alios quosdam iussit crudelis Herodes, ſuſpicione nati Iudæorum regis ſupra modum exagitatus interfici: In primis filium ſuum (teſtatur Macrobius lib. ſecundo Sat. capit. 4.) quod Philo Annij ait: neque enim vel filium ſuum tuliſſet, eſſe Chriſtum, regem illum à Iudæis votis omnibus deſideratum, qui ſciret ſe Iudæis cōtra modis omnibus eſſe inuiſum.* Quis truculentissimam posthac non vocabit ambitionem, dum pietatis iura, quæ mutæ pecudes erga filios seruāt, vna ipsa seruare contemnit?

Brugenſ.

Patrem se nescit, qui ambit.

Quanta sit parētū erga natos beneuolētia, pluribus monstratur exēplis.

10 Denique si antequam præsentem claudam tractationem ad profana litterarum monumenta mentis aciem parumper conuertemus, haùd difficile erit ambitionis crudelitatem, atque immanitatem deprehēdere, nàm Antoninus Seueri imperatoris filius vt solus imperio frueretur, fratrem infantem matris vbera sugentem pugione confodit. Adeò dira (teste Sabellio lib. 3.) fuit inter Eteoclem, & Polynicem fratres regnandi cupido, vt nedum alter alterum auito, patrioque solo exturbaret, verùm ad acriter etiam dimicandum eos induceret; & tàm ex animo, vt ambo vincendo, vterque victus remaneret, mutuis ambo vulneribus confossi. Quæ discordia pro Romano imperio inter Antoninum, & Getam fratres viguisset, loco citato mòx dictus narrat Sabellius, qui tandem concludit, quòd post venena, quibus alter alterum intercipere tentauerat, im-

Etiā ex prōfanis monumentis ambitionis probatur immanitas.

pa-

patiens tandèm Antoninus vt ſecurè toto potiretur imperio, omni periculo, ſpeq; poſt habita quouis modo deliberauit magnum aliquid, vel facere, vel pati, quo propoſito fratris ingreſſus cubiculũ eum nil huiuſmodi præſtolantẽ ſupra matris pectus nequiter obtruncauit. Verùm cuncta enarrata, omniaq; enarranda Caligolæ ſuperauit ambitio, quæ teſte Fulgoſio, eò peruenit, vt non ſolum in competitores ad principatus firmitatem, eum incitarit; ſed adeò in Deos ſuos excandere fecit, vt omnium illorum ſimulachra decapitarit, & ſingulis ſingula capita vultum ipſius Caligulæ referẽtia inſeruerit: quæ omnia, multaq; alia, quę breuitatis ergo omittũtur, ambitionis truculentiam teſtantur, atq; proclamant.

Vt competitores non haberet, in ipſos deos ſuos deſęuit Caligula.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA PALMARVM

Cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti: tunc Iesus misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra uos est. Matt 21.

§. I.

Impossibile est, vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat: quia semper iustis contrarij peccatores.

1 PRobè 1. de Rem. dixit Ouidius, quòd

Ouidius.

Summa petit liuor, perflant altissima venti.

quia semper mali ad venti illius instar, qui è deserti regione veniens Lobi filios non antè necauit, quàm tumulauit, iustos ærumnarum, pressurarúq; mole obruere satagunt; Quod satis concinnè dixit Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis à Tilmanno relatus super locum illum Num. 24. *Pars meridiana incipit à solitudine Sin, quæ est iuxta Edom*, cùm ait: *Benè autem est hæc solitudo, quia summa petit liuor, perflat altissima venti. Quæ est iuxta Edom, id est, mundum, qui semper iustos, atque claustrales persequitur, sicut Laban Iacob.* Et quidè si teste Seneca vulgaris non est inter vitia, atq; virtutes oppositio, quam cap 7. 8. & 12. aliqua ex parte his verbis describit: *Altum quoddam est virtus, excelsum, regale, inuictum, & infatigabile. Voluptas humile, seruile, imbecillum, atque caducum*, mirum sanè non est, quòd toto ingenio, omnibus uiribus, atque conatibus probos insectentur improbi; quia si iuxta Philosophi sententiam similitudo est causa amoris, dissimilitudo, vel, vt aptius loquar, contrarietas, atq; oppositio liuoris fomes erit, & odij: quam rem ab ipsorum sceleſtorum ore accepi, in eorum persona dicente Sapientia: *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, &c. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius.* cap. 2. quæ etsi in iudæorum persona, qui Saluatorem iustum per antonomasiam nuncupatum, modis omnibus erant insectaturi, dicta opinẽtur expositores, negari nihilominus minime potest, quòd si morum dissimilitudo tantæ persecutionis causa extitit, & origo, cùm iuxta Senecæ dictum dissimiles admodũ à vitiis sint virtutes, in virtute præditos semper desciuent vitiosi, quod, & super præfata Sapientiæ verba dixit Cornelius à Lapide: *Ex antecedentibus ergo, & subsequentibus liquet hanc esse vocem impiorum contra quemlibet insigniter iustum, & pium, qui eorum impietatem verbis, & vita redarguit: quem proinde ipsi, vt sibi inuisum, persequuntur ad necem, vti factum est omni æuo*; & antè ipsum super assumpta pro themate verba: *Ite in castellum, quod contra vos est.* Matt. 21. expressissimè docuit Petrus Damianus serm. in Dominic. Palmar. cùm dixit, quòd iure optimo contra Apostolos castellum hoc esse dicitur, quia semper mundus per ipsum figuratus Christi discipulos infectatur, & appetit, cuius verba sunt: *Castellum istud mundus est, qui contra Dominum, & discipulos eius furit, nõ solum opprobrijs, & flagellis eos persequendo, sed etiam crudelissimam mortem inferendo. Vndè Dominus: Si mundus nos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit: Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum esset, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mũdo, propterea odit vos mundus.* De qua re fusius in sequentibus.

Sap. c. 2.

Steph. Cantuar. Archiep.

Sẽper mundus religiosos, iustosq; insectatur.

Seneca.

Cornel. à Lap.

Ad necẽ iugiter probos persequuntur improbi.

Matt. c. 21.

Damianus.

Arx contra iustos dimicans mundus.

2 Quantum sit odium, quo ob

mo-

morum contrarietatem iustos prosequuntur iniusti, liquet ex verbis
Matt.c. 10. Christi dicentis: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Matth. 10. nàm teste Paulo de Palacio ideò ouibus spirituales, lupisq; carnales comparauit, quia hi ad luporum instar
Paul. de Palac. vernaculo odio illos inuisos habent: *Igitur omnes hi, qui dederũt sua nomina Christo, sub concupiscentiæ militant uexillo, uoraces ergo sunt, edaces sunt, lupi sunt: Indè iam elucet, cur dixerit Dominus: Mitto uos ut oues in medio luporum: sicut enim natiuum est odium luporum contra oues, ita naturà caro concupiscit aduersus spiritum.* Propterea enim mundus uos odio habet: quia non estis de mũdo; si enim de mundo essetis: mũdus quod suum est, diligeret. Patet etiam ex dicto
Ioan.c. 15. illo eiusdem Saluatoris: *Si mundus uos odit, scitote quia me priorẽ vobis odio habuit.* Ioan. 15. vbi D. Bonauentura:
Bonauent. *Si de mundo damnato fuissetis, ipsum, scilicet amando: mundus inquinatus, quod suum esset, diligeret; quia uerò de mundo non estis affectu, & amore: sed ego elegi uos gratia, non operibus: propterea odit uos mundus. Omne enim animal diligit simile sibi; & quia boni, & electi Dei sũt dissimiles hominibus mundanis, ideò uos oderunt: Grauis est nobis ad uidendum, dissimilis est nobis uita illius.* Nec multum veritatem hãc, quòd priùs Christum iustorum caput, quàm discipulos, cæterosq; mundus odisset, experientia ostendere distulit; nàm data à Pilato impijs Iudæis optione, quem sibi dimitti vellent Iesum, an Barab-
Matt.c. 27. bam: *Quẽ vultis dimittã uobis: Barabbã, an Iesũ qui dicitur Christus?* Matt. 27. iustum, sanctum, & innocentem (vt sibi contrarium) insectando, iniquum liberari efflagitarunt iniqui: *Quem uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.* ibid. vbi Ioannes Ferus:
Ioan. Ferus. *Vides hic mundi ingenium: Christus pacis auctor, seditionis accusatur, & latro seditiosus liber dimittitur: sic uerè mundus solet nocentibus esse benignus, sed innocentibus aduersarius.* Sic qualis, quãtusque sit in virtutem liuor, Veritatis ore clarescit.

Nunquam mundus nocentibus nõ benignus, innocẽtibus antè aduersarius extitit.

3 Sententiarum insurgit pelagus, vndè tantus in Caino oriri potuerit liuor, quòd tale, tantumque facinus, fratricidium, scilicet, perpetrare contendit, nàm Chrysost. hom. 18. & 19. in Genesim non quia in eum aliquid commiserit, nec quia eum iniuria affecerit, sed quia insaniã, & rabiem, quam contra Deum, qui munera sua non approbauerat, effundere minimè poterat, cõtra fratrem, veluti in illius amicum, ipsum euomisse asserit. Alij non læsionem, nec offensionẽ aliquã, sed auaritiam, quæ adeò Caini animum coangustauit, vt duobus mundi latitudinem angustam apparere fecerit, ipsum in fratricidium impulisse autumant. Huius sententiæ videtur Ambrosius lib. de Abel & Cain cap. 5. Chrysost. hom. 21. in Matthẽũ, Petrus Damian. opusc. 21. cõtra munerum cupiditatem cap. 2. Chrysologus ser. 4. de filio prodigo, Philo Hebræus, & Clemẽs Rom. lib. 4. recognitionum. Nonnulli tandem propter id etiã à Caino illud patratum putant, quia terminum vitijs cæteris habentibus, zelus sine fine peccatũ est, quapropter nec carni, nec sanguini parcere nouit. Ità sensit D. Cyprianus serm. de zelo, & liuore, & non displicuit Chrysostomo hom. 7. ad Rom. His tamen non obstantibus Tertulliani mihi satis arridet opinio, qui nõ priùs in Abelem Cainum desęuisse, quàm illum Dei amicum, Deoque carũ per sacrificij acceptationẽ agnouisset considerans, idcircò ipsum in hoc infandum facinus ruisse asserit, quia fieri nequit, vt qui virtuti dant operam, multos non habeant hostes; vndè cùm alius tunc, qui contra prima virtutis germina insurgeret, non adesset, nulla carnis, & sanguinis habita ratione in illa se armauit Cainus. Scitè mòx dictus Tertullianus aduersus Gnost. cap. 8. *A primordio iustitia uim patitur, statim ut coli Deus cæpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur quidem à fratre, quo procliuius impietas alienum sanguinem insectaretur à suo auspicata.* Si ergo vt erumpentia pietatis germina radicitus euelleret impietas, fratrem in fratrem armauit, quis virtutẽ sæuissimos hostes habere negabit?

Varię Caini in Abelem liuoris rationes.

Tertullian.

A primordio vim pati cæpit iustitia.

4 Mirabar priùs, & stupebam quoties tot sacræ Scripturæ testimonio

nio existentibus iustis, vnus Abel Christi Domini ore talis per antonomasiam nuncuparetur: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus à sanguine Abel iusti.* Et quidem quàm parum, quòd sanguis, qui neque iustitiæ compos esse potest, iustus vocaretur, mirabar; quia per eum iustos omnes Saluatorē intellexisse optimè noscebam, dicēte Tostato q. 153. *Dicendum quòd omnis sanguis iustus intelligitur sāguis omnium iustorum per hypallagem; nàm sanguis neque est iustus, neque iniustus,* tàm quòd Noe, Abrahami, Moysis, Dauidis, multorumque aliorum, prætermissa iustitia, & omissa virtute, vnus Abel pius vocaretur, & iustus stupebam certè; at modò prorsus admirari, atque stupere desisto, quia si plusquam vera est Saluatoris sententia, quòd nullum euidentius iustitiæ reperitur indicium, quàm odio à mūdo haberi: *Si de mundo fuissetis, mūdus quod suum esset, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mūdo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15. quibus verbis in Christi persona, addit Rupertus libro 12. in Ioan. *Igitur si odit vos mundus, scitote, & hæc vobis scientia pro testimonio simul, & pro consolatione sit, quia de mūdo non estis, sed ego elegi vos de mundo,* cùm non tantùm ab initio pro iustitia Abel agonizare cœperit, loco mòx dicto dicente Ruperto Abbate: *Duæ namque sunt generationes, vna Dei, altera mundi: siue duæ ciuitates, altera Dei, altera diaboli, quæ simul exortæ ab initio percurrunt vsque ad finem seculi, semper sibi inuicem aduersātes odio implacabili. Earum inimicitiæ primum in duobus fratribus Abel, & Cain manifestæ factæ sunt, & ità pertinaciter sibi aduersantur, vt nullus eodem tempore vtrius que amicitiam gerere possit: quoties apostolus dicit: Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ autem participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quæ autē conuētio Christi ad Belial?* verùm cùm nullus etiam vt ipse persecutionē à primordio pro iustitia sit perpessus, nullus vt ipse iustus per antonomasiam nūcupari debebat.

Tostatus.

Ioan. 15.

Rupertus.

Abel iustus per antonomasiam nūcupatus, & quare?

5 Latet equidem sublime mysterium in altercatione illa inter Dauidis, & Saulis domum facta, de qua 2. Reg. 3. *Facta est longa concertatio inter domum Saul, & domum Dauid,* quia dum numquā contra Saulem Dauidem pugnasse reperimus, aliud nobis litteræ cortice, & aliud spiritus medulla insinuari puto: quid autem sit illud, ad mysticum sensum rem reducēdo declarat Angelomus monacus, dicendo, quòd cùm per Saulis domum caro, & per Dauidis spiritus intelligatur, mirū non est, si inter has domos certamen fiat, quia semper caro adeò aduersus spiritum, & hic aduersus illam cōcupiscit, vt nec pax, nec inducia admittātur. Astipulatur mòx dictus Angelomus super præfatum scripturæ locum: *Domus ergo Dauid, quæ est alia, quā ciuitas Dei, Ierusalem videlicet cœlestis, quæ partim adhuc peregrinatur in terris, partim iàm cum Domino regnat in cœlis? Et quæ est domus Saul superbi, & impij regis, nisi Babylon illa confusionis plena, quæ seducit & fornicari facit omnes gentes in prostitutione sua? Longa ergo concertatio inter domum Saul, & domum Dauid est: quia persequitur illa, quæ secundùm carnem est, eam quæ secūdùm spiritum.* Nec vacat mysterio, quòd longa dicatur ista altercatio: *Facta est longa concertatio,* quia sicut paulò superius diximus, dum in Abele cœpit, & in vltimo iusto pro Christo passuro desinet, nequaquam breue, sed satis prolixum est dicendum certamen, & longa altercatio.

2. Reg. 3.

Angelom.

Mirabilis inter carnē, & spiritum pugnę figura.

6 Et quidem talis est improborū contra probos liuor, talis indignatio, vt vix primo virtutis erumpente radio nulla societatis, amicitiæque habita ratione inuisus, atque infensus reddi soleat, qui antè pro amico habebatur. Omitto Saulem, qui tandiù Dauidem dilexit, quādiù eius ignorauit sāctitatem; vt autem ipsum virtute præditum, Dominumque cum eo esse aduertit, in odium amorem, & in indignationem beneuolentiam vertit; quod apertissimè sacra indicare volens historia non ab initio, sed à die quadam, ideſt ab illa, in qua Dauidis ei innotescere cœpit sanctitas, illum

Vix primo erumpente virtutis radio infensus mundo redditur, qui & amico habebatur.

Digitized by Google

1. Reg cap. 18.

lum non rectè aſpexiſſe deſcribit: *Nõ rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* 1. Reg. 18. quod conſiderans Lyranus diaboli opere ad primos virtutis obnubilãdos ſplẽdores præpotentes in iuſtos armari

Lyranus.

cenſet: *Quoniam, quos Chriſtus diligit, diabolus fortius odit; ideò potentes huius ſeculi ſtudet incitare ad odium amicorũ Chriſti, & non ſolum ad odiendum in corde, ſed etiam ad perſequendum in opere.* Præteruolo etiam, quòd, vt ſuperius diximus, numquam cõtra fratrẽ inſurrexit Cain, niſi cùm ipſum per ſacrificij acceptationem Deo carum aduertit. Vndè allatus iam Tertullianus: *A primordio iuſtitia vim patitur, ſtatim vt coli Deus cœpit, inuidiã religio ſortita eſt* gradum autem ſiſto in Phariſæo illo, qui ex vicino Publicano maioris tumoris ſumpta materia nedum prẽconijs multis ſuas extollebat virtutes, verùm in Publicanum etiam inuehe atur dicẽdo: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus* Luc. 18. quæ verba mente quoties reuolui, toties, quòd hac vice excepta, numquam Publicanũ accuſaſſet, obſtupui; & nunc maximè obſtupeo, quia vel eum agnoſcebat, vel non: ſi primum, cur antea non correxit? Cur non increpauit? Cur non illum vt ethnicũ, & publicanum declinauit, & fugit? Si ſecundum quomodò incuſat, quem neſcit? Quomodò raptorem, iniuſtum, & adulterum vocat, quem habet ignotum? Subtilis equidem difficultas, at facilè ex ipſa euangelica lectione diſſoluitur, nam dum in ea immediatè Publicani confeſſio deſcribitur: *Et Publicanus à lõgè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* ibid. apertiſſimè inſinuatur, quòd ideò cõtra eum tunc inſurrexit Phariſæus, quia tunc cõfeſſionem virtutis auroram apparere aduertit: nec mirum ſi confeſſionem operum malorum, quæ initium operum bonorum eſt videns, cõtra Publicanum inuehatur Phariſæus, quia primum ſemper iuſtitiæ fulgorẽ, primumque radiũ obtenebrare mundus conatur. Accinit

Tertullian.

Vt Deus coli cœpit, inuidiam eſt fortita religio.

Luc. c. 18.

Ibid.

Auguſtinus ſuper pſalm. 83. pro torcularibus inſcriptũ, dum iure optimo racemis fideles cõparari aſſerit, quoniam quamdiù libero aere præſentiũ voluptatum fruuntur, nulla ſuſtinent maledicta, nullamque patiuntur preſſuram; cùm autem ad cellam vinariã, vt in ea veluti muſtum reponantur, appropinquare incipiunt, tribulationes, & compreſſiones magnas experiuntur, & multas: *Homines, quos prædeſtinauit Deus,* ait mòx dictus Auguſtinus, *antè ſecula conformes fieri imaginis filij ſui, qui præcipuè in paſſione magnus botrus expreſſus eſt. Huiuſmodi ergo homines antequam accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in hoc ſeculo tamquã delicioſa libertate, velut vuæ, aut oliuæ pendentes. Sed quoniam dictum eſt: Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ. Accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat; contribulabitur, cõteretur, cõprimetur, non vt in hoc ſeculo pereat, ſed ut in apothecas Dei defluat.* Patet itaq; quòd eapropter contra Publicanum inſurrexit Phariſæus, quia ad cellam vinariam illum accedentem vidit. Quod illum alterum Phariſæum effeciſſe reperio, qui numquam alias Magdalenam inſectatus deſcribitur, niſi cùm eam ad Dominum, vt famulam; ad Magiſtrum, vt diſcipulam; ad medicum, vt ægram; & ad miſericordiæ fontẽ, vt miſerã cucurriſſe perſpexit, vndè & contra vtrumque hæc emiſit ſpicula: *Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tãgit eum: quia peccatrix eſt.* Luc. 7. Quare Bernardinus Senenſis Sabb. poſt Domin. 5. Quad. ſer. 38. de Maria Magdalena part. 1. principali: *Nota, quòd quotiescumq; quis diſponit ſe emendare, præparet ſe ad tolerandas multas murmurationes, infamias, & perſequutiones; & quòd ſit verum experientia docet: & Chriſtus permiſit, quòd murmuratio in campum veniret.* Hæc ipſe, quibus liquidò primũ ad virtutẽ greſſum improbis inuiſũ declarat, dũ dicit, quòd nõ vt quis virtutũ aſcẽderit culmina, ſed, quòd ſtatim ac in meliorem frugem vitam ſuam mutare diſponit, obtrectationibus, maledictiſq; non

Auguſtin.

Racemis iuſti comparati, & quare?

Luc. c. 7.

Bernardin. Senenſ.

Digitized by Google

vacat: quapropter Gregorius Papa mòx dictam Phariſæi murmurationem perpendens, & præmens ait, quòd ſi ad ipſum, ſicuti ad Chriſtum Magdalena cucurriſſet, eā vt Dominicę vineę botrum calcibus cōpreſſiſſet: *Qua profectò mulier ſi ad phariſæi pedes veniſſet, calcibus repulſa diſcederet.* modò dictus Gregorius.

Greg. Pap.

Vt botrus mundanorū calcibus cōprimitur iuſtus.

7 Abrahæ ſobolem nunc cæli ſideribus, nunc maris arenæ comparatam cernens Rab. Salomon: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam maris.* Gen. cap. 22. ſufficientem tantæ diſparitatis rationē ſe adduxiſſe putauit dicendo, quòd non reſpectu diuerſorum, vt ſcilicet vnus arenæ, alter vero ſtellis, vt autumant multi, comparari debeant; ſed quòd reſpectu eiuſdem ſit intelligenda comparatio, vt ſit ſenſus: quamdiu Abrahæ filij virtute prædicti, Deique cultores erunt, tamdiu veluti firmamenti ſidera omnium peregrinarum impreſſionum expertia nullos pauebunt incurſus, nullaſq; pertimeſcent præſſuras: Si verò relicto virtutum cælo maris huius aquas lambere cęperint, veluti littoris arena omnium pedibus conculcabuntur. Verba autem eius à Toſtato allata ſunt: *Filij Abrahæ comparantur ſtellis quantum ad bonos, quia quandò boni eſſent nullus eis nocere poſſet, ſicut nullus nocet ſtellis in ſublimi poſitis: quandò mali eſſent, comparantur arenæ, & pulueri, quia ita conculcarentur ab omnibus, ſicut puluis;* verùm, vt video, à veritate non parum aberrat, nam cùm mundus, iuxta veritatis dictū, odio nō modico iuſtos proſequatur, nō dum improbi, ſed dum probi ſunt, calcibus atteruntur: vndè, mea ſententia, Abrahæ per præfata dicere intēdebat Altiſſimus: cùm tua ſoboles vt firmamenti ſtellę perlucere incipiet, illicò ſe arenam omnium pedibus conculcandam intelligat, quia vix primo virtutis erumpente radio perſequutiones non deſunt, neq; præſſuræ; Vndè pœnitētibus ſic ſuadere cōſueuerat Eccli. c. 2. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore, & præpara animam tuam ad tētationem,* quia non anteſignani, nec veterani, immò nec ipſi tyrones, qui

Gen. c. 22.

Toſtatus.

Eccl. c. 2.

iam in bello Domini pugnare cœperunt; ſed, qui ad militiæ locum tātum accedit, vel, vt aptius loquar, qui palæſtram verſus primum dirigit greſſum, tētationis, perſequutionis, atq; præſſuræ non erit immunis. Quod confirmare videtur Chryſoſtomus verbis illis: *Impoſſibile eſt, vt qui malis bellum indixerit, præſſuris careat* quia non tantùm, qui in Chriſti copijs ſūt conſcripti, ſed, qui conſcribi cogitant, apud mundum malè audiunt.

Vt quis verſus Domini palęſtrā primum dirigit greſſū, perſecutionis non erit immunis.

Chryſoſt.

8 Prioris beneuolētiæ, qua Iſaac fuerat proſequutus Paleſtinorum rex Abimelech omninò immemor factus aliquandò, ipſum cum vxore Rebecca, & vniuerſa familia, quia ſe potentiorem effectum agnoſcebat, diſcedere iuſſit: *Recede à nobis, quoniā potentior nobis factus es.* Gen. 26. quem diſcedendi ab amico prætextū irridet Chriſoſt. hom. 52. quia peregrinus, agricola, & gregibus, quos paſcebat abundè contentus regem nec copijs, nec copia ſuperare poterat; alia ergo liuoris, ac odij eſſe debebat origo, ait mòx dictus Chryſoſtomus, qui inuidiæ, quæ aliena macreſcit pinguedine, & aliorum coangustatur abundantia rem aſcribit, dum dicit: *Ita agere ſolet inuidentia, non poteſt benigniter videre aliorum felicitatem: ſed felicitatem proximi ſuam putat infelicitatem, et tabeſcit bonis proximi: id quod, & hic fuit.* Sic Chryſoſtomus loco præfato: Ego nihilominus non tàm regis inuidiæ, quàm Iſaac ſanctitati electionis cauſam tribuere non vereor, quòd ſi mirabile tibi primo apparet intuitu, ob iuſtitiam ſ. abigi iuſtum, quis eum abegit, te perpendere vellem; nam ſi Abimelech peccatorem id effeciſſe conſiderares, magnū tibi certè non appareret. Meū non eſt hoc, quod dico, ſed Lippomani, qui addit, quòd adeò eſt ſceleſtis inuiſa innocētia, vt vix agnita in eam inſurgere ſolet iniquitas: *Creuit ſatenus furor gentis*, ait nuper dictus Lippomanus, *vt nè rex quidem obſiſtere auſit, ſed exire compulit, vertò agnitum amicum Dei.* Amicitia igitur Dei electionis fuit origo, dum vix Dei amicus agnitus pellitur? Ità ſanè, nec mirū, quia nihil eſt ſic malis odioſū, vt ſanctitas,

Gen. c. 26.

Inuidia aliena felicitate infelix,

Chryſoſt.

Lyppoman.

Vix agnita virtute in eā inſurgit iniquitas.

quam,

Digitized by Google

quam, vt sibi maximè oppositam, videre nullatenus queunt. Vndè Hugo Carensis dicere consueuit: *Verbum est malorum, recede à nobis: quia non possunt sustinere consortium bonorum Eccl. 1. Execratio peccatoris cultura Dei.*

Hugo Carens.

9 Quòd in præsenti Ecclesia nec triticum sine lolio, nec frumentum sine paleis reperiatur, non miror; quia mali cum bonis admixti sunt; quòd tamen prudentium numero adamussim fatuorum respondeat numerus, sicuti ex parabola illa virginum sponsum expectantium patet: *Simile est regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obuiàm sponso & sponsæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Matt. 25. prorsus obstupui, quia electorum numerum respectu reproborum exiguum esse pluribus patet scripturæ locis, quomodò nunc pares asserit, dum nec à fatuis prudentes, nec ab his illas superari describit, *Quinq; erant fatuæ, & quinque prudentes?* An fortè non numerum, sed contrarietatem indicare intendebat? Ita sanè, & solertissimè quidem, quia si semper contra bonum malum pugnat, quinque prudentibus quinq; fatuæ opponuntur, vt numquam virtutem aduersario carere agnoscas. Firmat Paulus de Palacio sequentibus verbis: *Quinque fatuæ sunt, quia contra malum bonũ est, & contra vitam mors: sic contra iustum peccator. Duo contra duo, & vnum contra vnum; vt habetur Eccli. 33. nam semper sãctitas habet aduersarios.* Quod optimè antè ipsum obseruauit Petrus Chrysologus serm. 2. de decollatione S. Ioannis Baptistæ, qui est 174. dum ob id Herodiadis filiam neglecta regni medietate Ioannis caput postulasse asserit, quia semper contra bonũ inuehitur malum, & contra iustitiam desęuit impietas: *Quid petit luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sibi semper contrariæ sanctitatis?* Si ergo contra castitatem luxuria, contra humilitatem superbia, & contra reliquas virtutes, vt ordinata acies cętera vitia pugnant, optimè prudentium numerũ fatuarũ respondere, describitur, vt nũquam bonum aliquod sine aduersario reperiri posse intelligas.

Matt. c. 25.

Paulus de Palacio.

Numquam sine aduersario virtus.

Chrysolog.

10 Diligens fui semper scrutator, quid est, quòd vix regnum inuadente Absalone omnes contra Dauidem verum regem coniurant, contra eum conspirant omnes, *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom?* 2. Reg. cap. 15. Et vbi est filialis reuerentia? Quò populorum abijt obseruãtia? An alicui obfuit, qui omnibus profuit? Num quem læsit, qui læsus pepercit? Vndè igitur cum parricida, qui naturæ iuris oblitus infandum contendebat facinus perpetrare, tàm facilè conueniunt populi? An fortè quia numquam nõ iniquis inuisa sanctitas, & odiosa pietas? Ità Chrysostomus serm. de Absalom persequente patrem dum clamat: *O innocentia, quantũ apud reos periculi suscipis! quantum malitiæ per flagitiosos incurris! Dauid sanctissimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit; tot populorũ rabiem, quia non læsit, incurrit.* Quid si Dauid aliena rapuisset? Quid si populum oppressisset? Quid denique si insontes necasset? Contra eum certè exercitus nõ coniurassent, nec populi conueniissent, quoniam hi non perditos, sed virtute præditos; non improbos, sed probos; non noxios, sed innoxios, vt inuisos, atq; infensos liuore prosequuntur, & odio. Obiecit hoc Iudæis Saluator, cùm ait: *Non potest mundus odisse vos: me autem odio habet.* Ioan. 7. quia quam beneuolentiam morum similitudo conciliat, dissimilitudo deperdit. Vndè Incertus: *Quòd igitur ait: Non potest mundus vos odisse, tale est, ac si diceret: Non potest mundus odisse vestros mores, opera vestra, et malitiam vestram; Si enim odisset, mundus non esset. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia eius opera mala sunt. Hæc enim maxima, & principalis causa est, quare omnes iniqui, & ipsum Christum, & membra Christi odio habent. Hinc est, quòd sacrilegi, adulteri, periuri, omnesq; facinorosi in Ecclesiam insurgunt.* Quod argumentum prosequutus est etiam Vgo Cardinalis, qui Sacerdotũ Principes Lazaro quidem, sed post eius resurrectionem mortem molientes considerans: *Cogitauerunt autem*

Chrysost.

Numquam apud reos tuta innocentia.

Ioan. c. 7.

Incertus.

Non perditos, sed virtute præditos mundus insectatur.

Ioan. c. 12.

Digitized by Google

autem principes sacerdotum, & vt Lazarum interficerent. Ioan. 12. quòd non in viuum, sed in rediuiuum insanirent, mysterio neutiquam carere asserit, quoniam non peccatorem, atque scelestum, sed è culpæ resurgentem interitu inimicissimum, atque infensissimum habent: *Diabolus, & diabolici homines,* ait allatus Vgo, *talem peccatorem conuersum, & iam alios conuertentem nituntur interficere.* Et quidem si iusti scelerum aquas ad Eliæ morem virtutum pallio clàm saltem percutiunt, dicente Gualfridio à Tilmanno relato: *Quomodò huiusmodi pallio Iordanis iste percutitur, sic quodammodò perfecta cuiuslibet Serui Dei conuersatio in suis amatoribus percutit, & affligit hoc seculum, dum grauis est ei etiam ad videndum.* mirum minimè videri debet, si à peccatorum morte suscitatis insidias semper struere, iugiterq; mortem moliri studeant impij. Quæ omnia cùm abundè, & odiũ in virtute præditos, & odij rationem ostendere æstimem, ad alia sermonem inflecto.

Vgo Card.

Gualfrid.

Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Matt 21.

§. II.

Quàm pauperum patri iucunda sit voluntaria paupertas, expenditur.

1 ILle, qui prius super Cherubim equitabat, & cuius tot erant currus, vt videretur terribilis, auferens spiritum principũ; Ille, inquam, qui ad piam seruulorũ vectationem nunc igneum currum, nũc Angelos ipsos destinauit, ac misit, nunc equis relictis, & curribus asellũ ad sui vecturã assumit: *Inuenietis asinam alligatã, & pullum: soluite, & adducite mihi.* Matt. 21. quid est hoc? An fortè asello omniũ animalium insipientissimo, atq; ex inscientia huiusmodi nomen deducenti, summa Dei Sapientia insidere disposuit, vt innueret, quòd frugalis rerum mũdanarũ vsus in humili hoc figuratus iumento volũtariè assumptus, qui summæ stultitiæ apud mundanos sortiri solet vocabulum; dicente Gregorio lib. 10. moral. cap. 16. super illud: *Deridetur iusti simplicitas* Iob. 12. *Quid namq; stultius videtur mundo, quàm paupertatem quærere, & possessa relinquere?* summa apud eum sit sapientia, cùm summè ei voluntaria sit pretiosa paupertas. Sic, cæteris omissis, dicere videtur Paulus de Palacio: *Planè Dominus nouit, terram desertam ponere in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Nouit igitur ex summa stultitia summam monstrare sapientiam, &c. At quod stultum est hominibus, id summæ sapientiæ Deo est, vt indè nos colligamus tunc nos demum sapientes esse, cùm stulti facti fuerimus.* Et antè ipsum Chrysostomus in Glossa relatus hom. 67. in Matt. *Non propter mysteriũ solum super asinam sedit, sed & mensuram nobis Sapientia tribuere demonstrat, scilicet, quòd, non equos ferre necesse est, sed sufficit asino vti, & eo quod necessitatis est, esse contentum.* Manum nunc sibi ori imponat Aristotiles, qui studium, virtutemque cum paupertate stare posse negabat: *Impossibile est indigentem operari bona* lib. 1. Ethicor. & 2. Polit. *Impossibile est indigentẽ benè principari, & studio vacare.* Obmutescat Tullius, qui paupertatẽ detrectans homines in vitiorum fœcem, scelerumq; barathrum ipsã impellere cõsueuisse asserit: *Duo sunt, quæ possunt ad turpe compendium commouere, inopia, & auaritia.* lib. 4. Rethoric. nouor. quia cùm non impietatis, sed pietatis; nec scelerum, sed virtutũ, vt Chrysologus serm. 28. ait, sit semper gemella paupertas: *Quòd sit virtutibus cognata paupertas terrena, & cælestis cõprobat disciplina. Athleta ad luctamen nudus accedit. Confligit cum fluctibus nauta nudus. Miles in acie non nisi expeditus assistit: qui tendit ad philosophiam, totum, quod in rebus est, antè contemnit,* Deo caros, iucundosq; suos efficit amatores; vndè mòx dictis immediatè addit Chrysologus: *Si paupertas vir-*

Matt. c. 21.

Gregorius.

Paulus de Palacio.

Sapientia Deo admodum grata, temporaliũ abdicatio.

Chrysost.

Arist.

Tullius.

Chrysolog.

Semper virtutibus cognata paupertas.

Idem.

Digitized by Google

virtutum parẽs, virtutum ſocia ſic habetur, ſapere cõuenit: quare Chriſtus ad virtutis officiũ pauperes ſic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus, et Ioannes, germanitas combinata, immò paupertas cõgeminata, in apoſtolorum Principes eliguntur. In quo argumento, quàm ſcilicet Deo voluntaria ſit iucunda paupertas, ſiſtemus parumper.

Quàm Deo amica.

2 Summis laudibus, ſummiſque præconijs ſemper ethnicos (demptis paucis) voluntariam extuliſſe paupertatem reperio; nam Socrates teſte Laertio de vita, & moribus philoſophorum eam egeſtatis exortes ſuos cultores reddere conſueuiſſe aſſeruit: *Nihil amittit, qui nihil habet, & parum eget, qui parum cupit.* Iſocrates verò cũctis opibus eam amabiliorem cenſuit, dum ad illius amorem mortales alliciendo dixit: *Ama magis iuſtam paupertatem, quàm diuitias iniuſtas.* Laertius poſtea Apuleius non parum ipſam extollit, cùm lib. 1. de magia ait: *Paupertas autem priſca apud ſecula omnium ciuitatum conditrix, omnium artiũ contemptrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes percompta.* Seneca tandem (nè prolixius videar) nunc clypeum illam aduerſæ fortunæ ſpicula retundentẽ appellat, ità epiſt. 19. *Nè imparatos fortuna nos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, ſi experti fuerimus, quòd non ſit graue pauperes eſſe, &c. Redige ergo te ad parua, ex quibus cadere non poſſis. Ineſt paupertati, ſine qua nihil eſt iucundum ſecuritas.* Nunc felicitatũ felicitatem: *Scire uti paupertate maxima felicitas eſt.* De moribus. Nũc philoſophiæ matrem; *Multis ad philoſophandum obſtitere diuitiæ: Paupertas autem expedita ſecura eſt. Aut ergo pauper ſis, aut pauperi ſimilis, ſi animo vacare vis.* epiſt. 17. cenſuit, atq; vocauit. Quod autem in ipſius laudibus eos omiſiſſe puto, illud eſt, nil aliud reperiri, quod ſic homines Deo caros efficiat, vt ipſa: quã paupertatis præſtantiam teſte D. Bonauentura paupertatis amator, pauperumque Patriarca Franciſcus prædicauit, & extulit, quãdò à fratribus, quæ virtus homines Deo cariores efficiat percõ-

Socrates.

Iſocrates.

Plurima voluntariæ paupertatis præconia ab Ethnicis enarrata deſcribuntur.

Laertius.

Seneca.

ratus, paupertatẽ eſſe reſpondit, quod his verbis in legenda eiuſdem mòx dictus ſcripſit Bonauentura: *Fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Chriſtum, quaſi ſecretum ſui cordis aperiens reſpondit: Paupertatem noueritis fratres ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, & perfectionis radicem: cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus.* Cui ſanctiſſimi patris noſtri ſentẽtiæ aſtipulatur etiam Vgo Card. ſuper verba illa: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum? &c.* Iſaiæ 66. dum voluntate, ſpirituque pauperem ſpeciale (vt ita dicam) Dei diuerſorium appellat: *Ad quem autem reſpiciam, vt ſcilicet ad eum diuertam, & manſionem in eo faciam, niſi ad pauperculum, ideſt valde pauperem?* Neque ab hoc Thomas diſceſſit de Kempis, qui mòx dictum pauperem patrem Franciſcum, & ſpecialibus gratijs, & crebris Chriſti viſionibus, & ſacris ſtigmatibus refertum conſiderans, ob id maximè hæc ei conceſſa autumat, quoniam ſummopere paupertatẽ dilexit, quare cap. 1. de tribus tabernaculis ſic in Chriſti perſona fatur: *Recordor iam pauperis ſerui mei Franciſci, qui paupertatem ſummè dilexit. Verè fidelis, & multum fidelis iſte ſeruus meus, qui ſic illam diligebat, vt ex cordis affectu dominam ſuam vocaret. Et cùm dilexiſſet eã, etiam vſque in finem vitæ ſuæ dilexit; ideoq; in regno meo mecum tripudiat, quia priùs in mundo cum ſancta paupertate commercium faciens, lætus erat: Vndè etiam illi occurrens dignanter, & dulciter eam in hæc verba ſalutabat: Bene veniat domina mea paupertas.* Antè hos autem omnes non defuit Bernardus, qui ſermone primo in vigilia natiuitatis Domini adeò Dei filiũ voluntariæ pauperiei amore captum fuiſſe aſſerit, vt facilè cùm nõ reperiretur in cælis, ad illam inueniẽdam in mundum aduenerit: *In ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria, in dextera longiturnitas vitæ, horum omnium æterna in cælis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaq; Dei filius concupiſcens, deſcendit, vt eam eli-*

Nihil vt ipſa homines Deo caros efficit.

Bonauent.

Iſai. c. 66.

Vgo Card.

Thom. de Kemp.

Voluntariæ paupertatis prærogatiua ſpeciali Dei dilectione Franciſcum dignũ reddidit.

Bernardus.

Digitized by Google

eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.

3 His tamen, vt protritis cursim transactis, quid causæ sit, quòd de Caino, atq; Abele sermonem habere volẽs chronista sacer natu minorem maiori prætulit dicendo: *Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Genes. 4. perlibenter audirem: Si in reliquis generationum seriebus natiuitatũ seruatus est ordo, cur hic mutatur, atq; inuertitur? Inspexit antè me difficultatem Ambrosius, qui lib. 1. de Cain, & Abel hæc habet: *Non est otiosum, quòd cùm antè generatus sit Cain, prælatus sit hoc loco Abel, nec idẽ sit ordo nominum, qui est ordo naturæ. Quid sibi vult mutatio nominis, vt priùs iunioris meminerit, vbi scribitur vitæ flatus, operisque vsus?* Et licet illicò muneris vtriusq; inspecta diuersitate, ideò minorem maiori præferri opinetur, quoniam etsi ouium curam terræ præcedat cultura, cùm tamen hæc dignitate posterior sit, posteriorẽ locum terræ colonus sortiri debebat. Vndè subdit modò dictus Ambros. *Officiorũ interrogemus distãtiam, & colligemus causam prælationis. Operari terram vsu priùs est, gratia inferiùs, quàm oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam Doctoris, & Principis, &c. Rectè ergo vbi nascuntur hi fratres seruatur etiã in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior antefertur; quia etsi tempore iunior, virtute præstantior est.* Si nihilominùs non tàm officiorum diuersitas, quàm eorum nominum interpretatio considerabitur, persubtile detegetur mysterium, quòd, nempe, idcircò natu posterior priori præfertur, quia si Cain acquisitio, & Abel nihil habens interpretatur, fieri quomodò poterat, vt qui diuitum gestabat figuram, illa, qui spiritu pauperes nihil sibi arrogantes, sed omnia tribuentes figurabat, anteponeretur? Si vt Guerricus in cap. 8. Prouerbiorum ait: *Mundus nihil habet tàm pretiosum, vt paupertati valeat comparari sanctorum,* quonam pacto Abeli spiritu humili, & voluntate pauperrimo auarus anteferri poterat Cain? Antecedant ætate, præcellant diuitijs mundani; quia vt Deo admodum cari semper eis voluntarij præferentur egeni.

Genes. c. 4.

Ambros.

Idem.

Abel, etsi natu posterior Caino: tamen in scriptura ei præfertur, & quare?

Guerricus.

4 Ob vestis nuptialis defectũ hominem quemdam regi suo inuisum, è conuiuij loco eiectum, & in tenebras exteriores fuisse proiectum describit Matth. cap. 22. *Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodò huc intrasti nõ habẽs vestem nuptialem? etc.* quod quoties considero, toties obstupesco, quænam esset vestis hæc, quæ se indutos adeò regi caros, exutos autem sic reddebat infensos? Ità mihi inter varias variorum expositiones fluctuanti occurrit semel locus ille psalm. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, et vltra Eusebium, Vgonem, & Thomam, quorũ duo priores per hanc deauratã vestẽ Mariani corporis glorioſam immortalitatẽ acceperũt, ac postremus per ipsã Dei maternitatis dignitatẽ intellexit; & præter Athanasiũ, & Cyrillũ, qui virtutũ, præcipue theologicarum ornamentũ per eam intelligunt; & deniq; (nè prolixus videar) vltra Augustinum, Ruffinum, Hugonem, Richardum, Hieronymum, Cassiodorum, Bedam, Aymonem, atq; Valentiam, quorum aliqui per deauratam hanc vestem sapientiam, alij fidem, alij charitatem intelligunt, dum Lorinum per hanc vestem voluntariam mundanarum rerum abdicationem intelligẽtem reperi, cuius verba sunt: *Aurea non modò mediocritas, sed etiam paupertas christiana. Illustre in Catarina Suedica exẽplum: cuius attrita, consutaq; manica ab honestis, et nobilibus matronis romanis visa sunt purpureæ. Et hæreni Ludouico stramineus lectulus, cum operimento item consuto, nullinsq; pretij, aureo, et purpureo tectum operimento visum esse,* facillimè per nuptialẽ illam vestem, quę Deo in regis persona nuptias celebrantis figurato, adeò pretiosa apparebat, vt sine ipsa placere inuitatus non posset, voluntariè assumptam pauperiem esse intellexi, cuius qui est exors, consors nuptiarum, vt inuisus, atq; infensus, esse minimè potest. Tetigit rem Chrysologus dum mundialium contemptum suadens hæc ha-

Matt. c. 22.

Psal. 44.

Lorinus.

Corporeis etiam oculis speciosior pauperum, quàm diuitum appareat amictus.

Digitized by Google

Chryſolog. habet: *Abijcere debet habitum ſeruitutis, qui ſe regem credit diuinitùs conſecratum. Hinc eſt, quòd Rex ſempiternus illum, qui cum indigna veſte maieſtatis ſuæ auſus eſt introire conuiuium, ligari, præcipitari, detrudi iuſſit in tenebras exteriores. Deiectæ enim mentis eſt, qui familiaris rei meminit, cùm uocatur ad regnũ: lacens animus ac plebeius nummulum theſauris regalibus anteponit.* Decipiebatur equidem, decipiebatur multum infelix ille, dũ ſericis fortè, pretioſiſq; indutus conuiuij locum adijt, nam non ſunt hæ diuitiæ, hæq; opes, quas cæleſtis diligit rex, ſed cupiditatum abdicatio, rerumq; pauperies: has amat, has diligit, has in dextera collocat, has ſemper ſecum habere exoptat. Vndè per Salom. Prou. 8. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, &c.* vbi Guerricus à Tilmanno allatus per has diuitias, ſuperbaſq; opes ditiſſimam paupertatem intelligit, dum ait: *Bonæ opes prorſus diuitiæ ſalutis, in quibus ſic ſuperbitur, ut iuſtitia non deſeratur. Fratres ſuperbia iſta eſt gloria exultantium in Domino, et inſultantium mundo, quod nihil habeat tàm pretioſum, ut paupertati ualeat comparari ſanctorum. O quàm puſillo animo eſtis! cur non ſuperbitis mecum in opibus iſtis? Superbiam iſtam non damnat, ſed remunerat magiſter humilitatis: ſi uidelicèt ità magnanimus ſis in contemptu mundi, ut omnem gloriam eius quaſi de ſublimi deſpicias, et nihil pendas præ amore, & gloria tuæ nuditatis.* Quid ſi in his opibus ſuperbiſſet ille, qui ſine veſte nuptiali ad conuiuium acceſſit, non equidem vt inuiſus ab aliorum fuiſſet ſocietate eiectus, ſed ſuperbarum opum cauſa Regi carus in omnium capite collocatus fuiſſet.

Ad nuptias nõ admittũtur, niſi nuptiali paupertatis veſte induti.

Prou. c. 8.

Guerricus.

Superbæ opes, volũtaria rerum mundanarũ abdicatio.

5 Pedetentim ad illorum vigilũ mentem accedo, qui ſponſam per vicos, plateaſq; ſponſum quærentem inuenientes pallio ſpoliauerunt, & veſtibus: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & uulnerauerunt me: tulerunt pallium meũ mihi cuſtodes murorum.* Cant. cap. 5. nam tempus eam terentem quamdiù ſponſum mundanis induta quærebat videntes, nè in caſſum laboraret, paupertatis amatorem quærendo, qui à pauperibus ſolummodò facillimè inuenitur, pretioſis eam indumentis denudãt, vt ſic omnibus depauperata ſponſum pauperẽ inueniret facilius. Quã rem in ſpõſæ perſona his verbis cõfeſſus eſt Vgo Card. *Vt nuda nudum ſequerer, me omnia relinquere fecerunt.* Nec mirum, quia ſi adoleſcens ille, qui Chriſtum ſequebatur ſindone amictus eum adire non poterat, vndè Marc. cap. 14. *Adoleſcens quidam amictus ſindone ſuper nudo ſequebatur eum à longe*; quod Gorranus ad myſticũ ſenſum reducens temporalibus, & ſi paruis irretitos ad Chriſtum peruenire haùd facilè poſſe aſſeruit dicendo: *Ille adoleſcens ſignificat illos, qui ſolummodò ſindonem, quæ veſtis eſt ſimplex, ideſt neceſſaria tantùm retinent, quemadmodum de muliere forti ſapiens ait, prouerb. vltim. Sindonem fecit, & vendidit: fortis mulier, ideſt anima fortis vendidit, & dedit pauperibus, & ſecuta eſt Saluatorem. Tamen tales detinentur à perſequentibus Chriſtum, & impediuntur, nè Chriſtum ſequãtur: Mundana enim et ſi modica ſint, ſunt tamen quaſi quædã retinacula, quibus homo retinetur, vndè illa ſunt relinquenda, ut expeditè liceat ſequi Chriſtum, quod ſignificatur per adoleſcentem, qui relicta ſindone fugit.* multo minus ipſa ſponſa pretioſo ornata amictu ſponſum inuenire potuiſſet, niſi mundo mundialibus reſignãtis, nudũ nuda quærere ſtuduiſſet.

Cant. c. 5.

Vgo Card.

Deſpoliatur ſponſa à vigilibus, quia pretioſis induta ſponſũ inuenire nõ poterat.

Marc. c. 14.

Gorranus.

6 Porrò ſi Deus ſpiritu egenos adhuc in hac vita degentes in cæleſti curia conſcribit, cæli incolas efficit, & adhuc eis carne amictis, mortali corpore circumſeptis, humiq; iacentibus, cæleſtis patriæ ianuas pandit, & vt illos muneret, ſecumq; habeat, veluti moræ impatiens illorum non expectat occubitum, quis ei voluntariam pauperiem ſummè amicam eſſe negabit? Et ſi admiſſo conſequente antecedentis probationem deſideras, quid cauſæ eſt, à te peto, quòd ſuper ſolo cubante Iacob Domini viſione dignus habetur? *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, et cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes per eam, et Dominum innixum ſcalæ.* Gen. 28. Si nec ipſi primo parenti in innocentiæ ſtatu

Gen. c. 28.

Digitized by Google

statu existenti, atquèin ipso paradiso sopore diuinitùs immisso dormiēti quid tale expressè saltem concessū non scribitur, vndè illi & reseratum cęlum, & ascendentes, descendentesq; Angelos, immò Deum ipsum videndi est concessa libertas? Quæ difficultas cum parui ponderis nequaquam sit, ad illam aliam pro solutione confugio, quid est, quòd de beatitudinibus loquēs Saluator, exceptis martyribus persecutionem pro iustitia patientibus, neminem in præsenti beatum, regniq; cęlestis adhuc in terris degentem ciuem appellat, nisi spiritu pauperes? *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebūt terram. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiā: quoniam ipsi saturabuntur, &c.* Matt. 5. quæsito communis solet esse responso: idcircò pauperes, & martyres pari passu quantum ad præmium incedere, quia inter æpulas esurire, inter vestes algere, inter diuitias paupertatē præmi nō communis martyrij genus est. Vndè Bernardus: *Quid sibi vult, quòd eadem promissio martyribus facta est, & pauperi: nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est?* Verùm quia responsio hæc omnem non abigit difficultatem, nam dubitari adhuc posset, cur in præsenti beati appellantur hi, si nullus nisi completo agone taliter est censendus; aliter de pauperibus Paduanus respondet Antonius serm. primo de vno cōfessore, quòd nempe eapropter voluntariis egenis in præsenti beatitudo cōceditur, quia mūdialibus curis, diuitijsque terrenis iugiter confectis mundanis, beati sunt appellandi, qui talium sunt punctionū expertes: *Pauperibus igitur*, ait ipse, *sic lugentibus dat Dominus benedictionem omnium gentium. Isti pauperes ab hominibus honorantur, & benedicuntur, vt patet in fratribus minoribus, qui sunt iuxta illud Pauli: Nihil habentes, & omnia possidentes.* Pia equidem cogitatio, at aliam ego ex mòx dicto Bernardo rationem adduco, quòd propterea, scilicet, actu beati pauperes nuncupātur, quia actu (vt ita dicam) per voluntariè assumptam pauperiē cœli ciues, Deique domestici efficiūtur. Ità nunc dictus Bernardus ser. 4. de Aduentu Domini: *Magna quædam penna est paupertatis, qua tàm citò volatur in regnum cœlorum. Nam alys virtutibus, quæ sequūtur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tàm promittitur, quàm datur. Vndè & præsenti tempore annunciatum est: Quoniam ipsorum est regnum cœlorum, cùm cæteris dicatur: Hæreditabunt, consolabuntur, & similia.* Quo posito cur cęlum, & Angelos, immò Deum ipsum in somnis videre Iacob esset prærogatiua, facillimè capies, quia si inopiæ pennis adeò facilè ad cęlum volant egeni, vt adhuc in terris beati, & adhuc humi iacentes cęlestis patriæ ciues efficiantur, iure optimo Iacob domum, & patriam; diuitias, & consangnineos; & denique quidquid mundi est, mūdo apostolico more relinquenti paradisi panduntur ianuæ, & reserantur secreta. Chrysostomi fuit cogitatus, qui tanti muneris huic sancto viro concessi rationem assignans, mundialium abiectionem in causa fuisse his verbis asserit: *Vir domi educatus, tantæque assuetus curæ, peregrinaturus neq; iumentis egebat, neque ministris, neque viaticis: sed apostolicum morem imitatus, iter fecit. Igitur quoniam bene moratam animam habebat, & masculum spiritum & ab omni vanitate liberum, admirabilem illam visionem meruit. Hoc enim more agit Dominus noster, quandò videt animam præsentia non magnifacientem, plurimam sibi illius curam esse declarat.* Aurea sanè omnia, at illa maximè: *Quoniam spiritum habebat ab omni vanitate liberum, admirabilem visionem illam meruit*, nostrum probant institutum, quòd adhuc humi iacentes actu (vt ità dicam) beati, cęli ciues, & domestici Dei sint diuitiarum cupidine liberi: ex quo de se tactum benè sequitur consequens, quòd Deo admodum amica sit censenda pauperies, si vt pauperes muneret, secūq; habeat, veluti morę impatiens illorū finem non expectat, nec obitum, sed adhuc in arena pugnantes cœlestes efficit, atque beatos.

7 Quòd sanctus ille Elias cœlum pro libito suo clauderet, & aperiret; ligaret, & solueret: Quòd, in-

Matt. c. 5.

Bernardus.

Summum martyrii genus volūtaria paupertas.

Anton. de Pad.

Fratres minores beati à mūdo vocati, & quare?

Bernardus.

Paupertatis pēna ad cęlum citò volare quis potest.

Chrysost. hom. 54.

Spiritu egenis adhuc in hac vita degentibus cęlum pandit Altissimus.

inquam, ad ipsius imperium siccaretur cœlum, sitirent amnes, fontes arescerent, aer ferueret, æstuarent noctes, dies arderent, sata torrerentur, arbusta ægrotarent, prata deficerent, nemora languerent, campi ieiunarent, terra squaleret, ac herbas, quas produxerat interimeret, magnum equidem Chrysostomo apparuit: at posteà quòd igneum currum intrepidus ingrederetur auriga, & quòd relicto solo per aeris campos veloci equorũ cursu, instabiliq; rotarum inuersione illicita petens itinera, cœlum versus non curreret solummodò, sed penè volaret: *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum.* 4. Reg. 2. mirum prorsus ei videtur, & eò maximè omni stupore dignum censet, quia adhuc mortali corpore circumseptus in cœlum pergere non timeret: verùm prophetæ tandem considerãs vitam, quòd namq; cunctis nihilpensis mundialibus, rudi amictu aperto sub aere cubans, nulla humana ope adiutus, coruorum tantùm ministerio allato cibo contentus esset, hæc prorupit in verba: *Ipse quidem terrestris Angelus, cælestis homo, qui nec tectũ, nec mensam, nec amictum habebat.* Quid mirum (ac si diceret) si mortalitatis immemor cœlum versus tendit Elias, si per mundialium concupiscentiæ abdicationem adhuc inter homines degens, cælestis euaserat ciuis. Humi serpant, qui diuitiarum põdere pressi ad cœlum volandi facultatem non habent, nam spiritu ipse pauperrimus illicita alijs itinera tentare minimè veretur.

4. Reg. c. 2.

Chrysost.

Terrestris Angelus, cœlestisque homo paupertatem diligens est cõlendus.

8 Paradoxicum posteà tibi fore apparendum haudquaquam ignoro, si tanti Christum pauperes facere, vt plus illorum, quàm proprias sentiret iniurias, audies, & tamen quàm verũ sit, tunc manifestissimè ipsum insinuasse reperio, quandò cunctas flocci faciendo iniurias, alapam tantùm ægrè tulit: *Si malè loquutus sũ, testimonium perhibe de malo: si autẽ benè, quid me cædis?* Ioan. 18. nam si iuxtà Stephani Cantuarienſis sententiam pauperes in Christi figurantur maxilla: *Pauperes dicuntur maxilla Christi, quia sicut in maxilla cognoscitur qualis sit homo: sic in pauperibus, qui specialius, quàm alij Christum imitantur, apparet qualis sit Christus*: à Tilmanno super 5. Michææ allati, dum vt agnus obmutescens, nec de flagellis, nec de spinis, nec de clauis, neque de cruce, sed de alapa tantùm conqueritur, apertissimè declarat, quòd egrius pauperum in sua maxilla figuratorum, quàm proprias ferebat iniurias.

Ioan. c. 18.

Stephanus Cantuar.

Christus in cruciatibus obmutescẽs de alapa cõqueritur, quia plus pauperũ in eius maxilla figuratorũ, quàm propriis angebatur offensis.

9 Faciunt etiam pro præsenti institutо dicta Chromatij Aquileiensis Episcopi, Petri paupertati claudi curationem tribuentis: *O verè beata paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, magnum quid de cælo largitur. Non dat quidem argentum, vel aurum; sed quod plus est diuitijs omnibus, reddidit corporis sanitatem.* Confirmat hoc idẽ D. Bonauẽtura, dũ super illud Lucæ 3. *Paupères euangelizantur*; spiritus paupertatẽ, vt euãgelicę perfectionis basim, cunctis virtutibus Deo cariorem appellat: *Nota, quòd magis dicit pauperes euangelizantur, quàm virgines, vel obedientes: quia paupertas fundamẽtum est euangelicæ perfectionis.* Nec parum idipsum roborauit ardẽtissimus paupertatis amator Sanctissimus Pater meus Frãciscus, qui tom. 1. opusc. cap. 2. ob id maximè ex paupere matre, in pauperi loco, & in pauperrimo stabulo Christum nasci voluisse asserit, vt pretiosissimam paupertatis gẽmam à mundo cum fimo in stabulũ proiectam reperiret: *Cùm dives esset super omnia, voluit ipse in mundo cum beatissima matre sua eligere paupertatẽ.* Quo exemplo paupertatis amore incensus & ipse, in oratione pro petenda paupertate ad bethleemiticum Infantulum hunc in modum clamare cœpit, & dicere: *O domine Iesu ostende mihi semitas tuæ dilectissimæ paupertatis. Scio enim, quòd testamentum vetus noui fuit figura. Illis promisisti: quia omnis locus, quem calcauerit pes vester vester erit; calcare est cõtemnere, paupertas omnia calcat, ergo omniũ est regina. Sed Domine mi pie Iesu Christe miserere mei, et dominæ paupertatis; nã ego eius amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum. Domine mi, tu nosti, qui me de ista inamorasti. Sed ipsa sedet in tristitia ab omnibus*

Chromat.

Bonauent.

Pluribus Patrum sentẽtijs summè deo amicam esse paupertatem ostenditur.

S. P. Franciscus.

nibus repulsa facta est quasi mulier vidua domina gentium, vilis, & contemptibilis omnium dominu, & regina; & conqueritur sedens in sterquilinio, quòd omnes amici eius sprenerint eam, & facti sint ei inimici. Probãt etiam quàm Deo sit amica paupertas, Toſtatus, &
Bernardus. Bernard. quorum primus ſuper illud Matt. 8. *Venit in domũ Petri*, ait: *Cùm esset domus Petri pauperula, Christus ostendebat, quòd non dedignabatur habitare in paupere tugurio.* Secundus verò
Cant. c. 3. verba gloſſans illa: *Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.* Cant. 3. pro regali, prætioſoq; diademate paupertatis ſibi coronam impoſuiſſe aſſerit, dum ſubdit: *Videte*
Toſtatus. *regem Salomonẽ in corona paupertatis.*

Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet. Matt. 21.

§. III.

Ex ingenuo seruus, & ex Domini dæmonis fit ditionis, qui peccat.

1 LIberum non eſſe, qui ſe prauo deſiderio ſubijcit, Diogenis fuit ſententia, qui teſte Laertio lib. 6. dicere cõſueuit: *Verè liber non est, vitiis deditus.*
Laertius. At ſi libertatis eſt expers, cuius erit ſeruus, cùm libertas non niſi per ſeruitutẽ, qua quis alieno dominio ſe mancipat, vt patet §. 2. de iure perſonarum l. 4. §. 1. D. dõ ſta. hom. amittatur? Si cum primo Legislatore reſpondes, quòd, *Qui facit peccatum, seruus*
Ioan. c. 8. *est peccati.* Ioan. 8. ergo gratiæ conditione ingenuus, per culpam dæmonis, qui iniquitatis eſt dominus, ſeruus conſtituitur peccans. Ità Vgo Card. qui peccati nomine peccati originem, auctoremque intelligit, cùm dicit: *Qui facit peccatum, seruus est pec-*
Vgo Card. *cati, id est, diaboli.* Nec à veritate aberrat; quia ſi ſeruitus ex ijs eſſe videtur, quę præter naturã ſunt, vt vltra imperiales leges ait Põpon. ff. de verborũ, & rerũ ſignificatione. Florentinus de ſtatu hominũ. Cęlius Rhodiginus lib. 25. c. 17. cùm per peccatum contra illud, quod ſibi proprium eſt, nempè, contra rectam rationem diaboli inſtigatione moueatur peccans, iuxtà illud Chryſoſt. hom. 37. ex cap. Matt. 21. *Sicut nauis fracto gubernaculo illuc*
Chryſoſt. *ducitur, vbi tempestas voluerit: Sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum agit, non quod vult, sed quod diabolus vult*; diaboli vile mancipium cenſeri debet; vndè Titelmannus ſuper præfatum Ioannis locum in Chriſti perſona hæc habet: *In veritate dico*
Titelmannus *vobis, quòd quisquis peccatum facit, hoc ipso diaboli mancipiũ se constituit.* Quod in præſenti euangelica lectione apertè inſinuare volens Saluator, Dominum quidem ſe vocat, iumentorum tamen ſubticuis ditionem, dum non illorum, ſed abſolutè ſe Dominum
Matt. c. 21. dixit: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* Matth. 21. quia quamuis vt vniuerſalis Dominus ſuus ſit orbis terræ, & plenitudo eius, dæmonis tamen poteſtatis eſſe videntur, qui ſpõtè peccando proprias ei ſuppoſuere ceruices. Vndè Imperfectus ſuper dicta Saluatoris verba in eius perſona hunc fatur in modum: *Peccatores conditione quidem mei sunt, voluntate autẽ sua diaboli.* hom. 37. de qua miſera, infandaq; ſeruitute percurrere te minimè pigeat, quæ ſequuntur.

Vilis diaboli ſeruus peccator, ab eo diſcordare nõ audet.

A Domini ad dæmonis ditionem propria voluntate trãſit, qui peccat.

2 Inefficax non eſſet argumentũ pro præſenti inſtituto, quòd diabolo ſe ſubdat, qui prauo deſiderio ſeruit, illud, quod Iudęis dixit Saluator: *Vos*
Ioan. c. 8. *ex patre diabolo estis.* Ioan. 8. quia ſi ſerui inter bona dominorum reputantur, vt patet l. rem in bonis ff. de acquirendo rerum dominio l. vltima §. vltimo, C. de verborum ſignificatione, cùm culpæ ratione ad diabolum illos ſpectare ſignificaret, diaboli ſeruos eos liquidò denunciauit. At (ſi vt dixi) inefficaciter hæc probare exiſtimas, efficaciſſimè id per Iſaiæ verba cõcludit: *Spiritus Domini super me, &c.*
Iſaias c. 62. *ut prædicarem captiuis indulgentiam.* cap. 61. negare minimè vales, nam ſi

capti-

captiuus is propriè dicitur, qui ſui iuris non eſt, ſed alieno dominio ſubijcitur, dum per culpam à dæmone veluti iure belli capitur homo, ſui iuris ampliùs non erit, ſed acquirentis ſubijcietur imperio. Hinc Gorranus

Gorranus. ſuper Lucæ 4. *Peccatores quippè captiui dicuntur, quia capti ſunt à diabolo, prouerbiorum 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & vinculis peccatorum ſuorum vnuſquiſq; conſtringitur.* Quod & immundum illum ſpiritum inſinuare voluiſſe opinor, qui domicilium ſuũ fædam peccatoris animam nuncupabat: *Reuertar in domum meam vnde exiui.* Luc. cap. 11. non quia creationis titulo, ad quam nec principaliter, nec inſtrumẽtaliter ipſe concurrere poterat, ad eum pertineret, ſed quia belli iure ſuo aſcribebatur imperio. Vndè Gloſſa: *Reuertar ad illius conſciẽtiam, vnde in baptiſmo electus fueram, & priſtinam poſſeſſionem conſueto dominio mihi ſubijciam.* Quam infelicem peccatoris conditionem deplorans Euthymius, hunc in modum clamare conſueuit: *Infelix illa anima, in qua iſti ſpiritus regnant, & cui iſti dominantur.* Et apertiſſimè ipſosmet peccatores inſinuaſſe reperio, dum ſub dæmonis tyrannide ſuam agnoſcentes miſeriã, per Iſaiam ad verum animarum Dominum legationem mittentes, dixerunt: *Domine Deus noſter poſſederunt nos domini abſq; te.* c. 26. vbi Pinctus: *Potes per hos dominos, diabolum, mundum, & carnem intelligere. Hi enim ſunt immaniſſimi tyranni.*

Quis inſcripturis verè captiuus?

Luc. c. 11.

Gloſſa.

Euthymius.

Infelix illa anima in qua diabolus principatur.

Iſai. c. 26.

Hect. Pinc.

3 At quia dæmonis ad animã regreſſum tetigimus; quæro vnde ortum duxit egreſſus, quòd proprio teſtatus eſt ore Saluator, *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine?* Luc. ibid. Num quia adeò fæda, horrendaq; eſt peccati facies, vt ipſemet diabolus, qui noſtris recreatur malis, gauderq; ruinis, ſcelerum turpitudinis nauſea (vt ità dicam) affectus multoties; velocius, citiuſque a peccatoris anima veluti ex immunda cloaca egreditur, quàm in eam ingreditur? Nil ſanè aliter in §. 3. Dom. 3. part. 1. me dixiſſe non fugit. Oppoſitum tamen hic dicere cogor, quòd non voluntate, ſed neceſſitate cogente domicilium deſerat, quod ſtudijs, laboribuſq; acquiſierat non paruis; nam eius egreſſum exprimere volens Saluator, non egreſſionem, ſed eiectionem vocauit, cùm ait: *In digito Dei eijcio dæmonia.* Luc. 11. Et quidem maximo, optimoq; iure è peccatoris anima pulſus deſcribitur: quia ſi nihil duobus ſimul dominis ſubijci poſſe non tantùm diuinis, verùm humanis etiam eſt legibus cautum; vero, proprioque ingrediente domino tyrannum oportet expelli. Quod clarè nimis ſuper citatum Lucæ locum annot. 57. dixit Toletus ſequentibus verbis: *Cùm exierit, inquit, ab aliquo ſpiritus immundus nõ quòd ſponte exierit, ſed uirtute diuina eiectus, & pulſus, ut notauit Euthymius ſuper Matt. 12 nam exiſſe dicitur dæmonium, etiam ſi ui expulſum ſit Matt. 17. Increpauit illum, & exijt ab eo dæmonium.* Ex quibus deduco, q̃ regnabat priùs in anima, dum Chriſti virtute pulſus, domicilio priuatur, & regno.

Luc. c. 11.

Toletus.

Dæmones ab obſeſſis eijciebat quãdoq; Saluator, quia duorum ditioni ſimul idem ſubijci minimè poteſt.

4 Dilucidè nimis rem expreſſit iſtam Saluator, quòd ſcilicèt eòuſq; in peccatoris anima principetur diabolus, donec per gratiæ infuſionem ab ipſo pellatur, dum & eum mundi principem, & quamprimum è mundo eijciendum aſſeruit: *Nunc princeps huius mũdi eijcietur foras.* Ioan. 12. quia ſi mundi nomine, iuxta cõmunem expoſitorum ſententiam, mundani curis, vitijſq; irretiti intelliguntur: diabolum mundi principem appellare, idem erat, ac eum peccatorum dominum nuncupare. Et quidem ſatis iuſtè principis ſortitur vocabulum, quia ſuis venenoſis ſuggeſtionibus mũdani aſsẽtiẽdo, ſe ſe ei vtrò ſubmittere ſolent. Ex quo D. Bonauentura ſequentibus quæſtionibus: *Quæritur, qualiter diabolus princeps vocatur, cùm mundus ſit factus per filium Dei? Item quandò eiicitur princeps mundi, videtur enim ex modo loquendi, quòd extra mundum eſſet pellendus?* ſtatim ſatisfacit: *Reſpondendum ſecundum Auguſtinum, quòd diabolus poſſidebat genus humanum. Sui enim erant multi, non natura, ſed vitio; nõ quia creauit, aut genuit; ſed quia perſuaſit, et tenuit.* Statimq; à quo, & quomodò è regno hoc eſſet pellendus, ſequẽtibus ſubdit verbis: *Et quia ſciuit Do-*

Ioan. c. 12.

D. Bonauẽt.

Diabolus cuius mundi Princeps vocatur, dũ dicitur: *Nũc Princeps huius mũdi eijcietur foras.* Ioan. 12.

Digitized by Google

minus per ſuam paſſionem, & glorificationem multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renunciant, eiicitur foras; propterea dixit: Nunc princeps, &c. Saluatoris igitur patet pręconio, q. dæmonis ſit ditionis, qui à Domino recedit, ſeque ab illo per culpã elõgat.

5 At quoniam ſuperbi huius mũdi principis ciectionem prę manibus habemus, neutiquam dęmonis illius, qui Chriſti preſentia ſe torqueri, ac perdi lamẽtabatur, ſunt omittẽdę querelæ: *Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* Luc. 4. quia per hæc non tàm dolorẽ, quo Chriſti afficiebatur præſentia, vt ſenſit Chriſoſt. hom. 29. in Matt. quẽ non pauci ſequuntur, nec gloriæ priuationem, vt ſentiunt alij, exprimere intendebat; quã regni, ac dominatus lamentabatur iacturam, cùm Chriſti aduentu homines ab eius captiuitate liberandos non ignoraret: *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* ait Toletus comment. ſuper præfatum Lucæ locum: *ideſt, quam habes cauſam nos dæmones inſequendi, & à principatu noſtro cohibendi? In nullo te læſimus, nullam iniuriam tibi intulimus, nihil à te rapuimus, quid ergo tibi eſt aduerſum nos?* Multum equidem mendacij pater, quia eius affectabas dominatum, eiuſq; occupabas regnum, & vnico vt dicã verbo, ſatis iuſtè venit perdere te, hoc eſt, regno priuare, vt mòx dictus gloſſat Toletus, quia cum ſui eſſent homines, tuos efficere intendebas.

Luc. c. 4. *Toletus.* Cõquerebãtur quãdoq; ab obſeſſis eijci dæmones, & quare?

6 Dubitari haudquaquam vlterius poteſt, quòd ad aſinæ illius ſolutionem ſuper quam ſedere intendebat miſſurus Saluator: *Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, et adducite mihi.* Matt. 21. abſolutè, dilucidèq; ſe Dominum nuncuparet: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* ibid. quia tunc maximè peccatoris declaratur dominus, cùm eum apoſtolica ſoluit, & abſoluit manus; nam anteà & ſi conditione ſuus eſſet, culpa tamen dęmonis erat. Nec difficultati remanet locus, cur qui principatum ſemper fugerat, regnumq; renuerat, in ingreſſu Ieruſalem adeò aperte rex annuncupari voluerit, vt euangelica cõcinat tuba: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus.* Matt. 21. quia vt benè annotat Ioannes Ferus, dęmonis tunc expulſa tyrannide, nouiter per gratiam in animabus regnare inceperat: *Ecce inquit, Rex tuus,* ait mòx dictus Ferus, *quaſi dicat: hactenus tyrannus ille regnauit, nunc autem alius quidam Rex adeſt. Nè autem ipſum tyrannum ſuſpiceris. Rex tuus eſt, de quo prophetæ tanta bona prædixerunt.* Nec denique magnũ tibi apparere debet, ſi audis, quòd niſi Apoſtolica ſoluta manu ad Dominum peruenire non poterat aſina illa, quæ cũ pullo ligata erat, de qua paulò ſuperius fari iam cæpimus, *Soluite, & adducite mihi,* quia ſubdere quidẽ ſe poteſt dæmoni homo per culpam, ad verum autẽ Dominum, niſi ſacerdotali manu ſolutus redire nequit: *Homo priuſquam peccet,* ait Imperfectus, *liberum habet arbitrium, utrum uelit ſub regno diaboli eſſe: cùm autem peccando ſe tradiderit ſub regno ipſius, iam non poteſt de poteſtate eius exire: hoc eſt, quod homines ſeculares, & peccatores dicere ſolẽt. Numquid nolumus eſſe ſancti? Et quis non uult eſſe iuſtus? Sed nõ poſſumus: Verum quidem eſt, quod dicunt, ſed non habent excuſationem: quia primùm potuerunt nõ eſſe ſub poteſtate diaboli, ſi noluiſſent; poſtquam verò poſuerunt thronum diaboli in cordibus ſuis, nemo poteſt eos de poteſtate diaboli eripere, niſi ſolus Deus.* hom. 37. in Matt. quod verò difficultatem ingerere poſſet non paruam, niſi ei prævallata magna ex parte occurriſſent, illud eſſet; ſi nihil eſt, quòd Dei non ſit, quid eſt, quòd Chriſtus in ijs, quæ Patris erant, ſe eſſe oportere aſſeruit, *Neſcitis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. 2. An fortè aliqua quidem Patris erãt, alia verò non, quapropter ſic loquitur Filius? Origenis videtur eſſe ſententia; quæ tibi mirabilis apparere minimè debet, quia ſi legibus cautũ eſt, non adeò cum proprietate poſſeſſionem eſſe coniunctam, vt ab ea ſeparari nequeat, vt omiſſis reliquis legis ſanctionibus, videre eſt l. 3. in pr. D. de acquir. poſſeſſ. facilè per culpam po-

Ibidem. *Ioan. Ferus.* Cur Chriſtus dominatũ, quem aliàs, recuſauerat, ſuper aſinũ ſedendo acceptauit *Imperfect.* *Matt. c. 21.* *Luc. c. 2.*

Digitized by Google

potuerit homo, perpetua non obstante Dei proprietate Satannicæ se subijcere possessioni; ex quo fit, vt nō patris, sed dęmonis esse dicatur, qui peccat

Origenes. *Vnusquisque nostrum si bonus fuerit, atq; perfectus, possessio Dei patris est: habet enim in medio sui Iesum.* Credamus quippè dicenti: *Quoniam in his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Hæc mòx dictus Origenes hom. 20. in Lucam, quibus satis liquidò dęmonis subditum peccatorem ostendit, dum iustū tantùm Dei possessionem nuncupat, & declarat.

Iustus Dei possessio est, iniustus autem diaboli.

7 Viram illum generis prosapia clarum, qui vt regnum lucraretur, in regionem abijt longinquam, iuxtà illud Lucæ 19. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti,* Christum Dominū secundum vtramq; naturam prænobilem fuisse, communis est expositorum sententia; quod verò fuerit hoc regnum, ad quod accipiendum in lōginquas plagas perrexerit, diuersimodè sentiunt diuersi; at ego ex Prodigi parabola, & præcisè ex verbis illis:

Luc. c. 19.

Idem c. 15. *Post non multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam.* Luc. 15. nullum in regionem longinquam abire agnoscens, nisi peccatorem, qui & sic aliter à Deo, qui vbiquè per potentiam, essentiam, & præsentiam est, effugere nequeat, longè tamen per affectum ab eo discedit; per hoc regnum, quod nobilissimus ille vir suæ studuit subijcere ditioni, non Angelorum ordines, super quos post ascentionem secundum suam humanitatem speciali etiam modo regnare incepit, sed homines intelligendos existimo, qui per primū parentē hāc legationem mittentes; noluimus hunc regnare super nos, antiqui serpentis se subdiderunt dominatui. Libeat nūc Carthusianū audire, qui art. 42. super præfatum Lucæ locum hæc habet:

Carthusian. *Homo quidam abiit in regionem longinquā, hoc est, de summo cœlo egressio eius: accipere sibi regnum, hoc est, ex electi studuis; & gentibus colligere sibi populum, in quo regnaret per gratiam. Vnde in psalmo Pater loquitur Filio: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* En quomodò sub dęmonis potestate nisi genus fuisset humanum, nequaquam ad illud sibi acquirendū aduenisset Saluator.

Acquirere sibi regnum venit Saluator, quandò ex electis Iudæis, & gentibus populū sibi collegit.

8 Firmat mòx dictum, quòd & si proprietate Dei, possessione tamen dęmonis sit, qui peccat, locus ille:

Cum tradiderit regnum Deo, & Patri. 1. Corinth. 15. nam vt benè annotat Chrysost. hom. 39. super mòx dictum Pauli locum, non propterea Deo, & Patri regnum tradi dicitur, quia aliquid Deo tribuatur, quod suum non esset, cùm creationis saltem titulo sua sint cuncta; sed quia peccator, qui culpæ causa dęmonis possessio erat, dum eiusdem Dei auxilio in se reuersus per fletus, atq; lamenta anteactam detestatur vitā, nedū proprietate, sed possessione etiam Dei fit; ex quo inferre minimè erit incongruū, quòd iure optimo regnum Deo, & Patri tradi dicitur, quia in peccatoris conuersione nouum regnum (si fas est dicere) ipse acquirere videtur, dum ibi per gratiam regnare incipit, vbi per culpam diabolus regnare iam cęperat. Allatus Chrysost. *Cùm tradiderit regnum Deo, &c. Si id inconsideratè acceperimus, erit absurdum, quòd nè ille quidem, qui accepit, inuenietur habere priusquam acceperit. Congruenter ergo ijs, quæ dicunt, neque pater erat rex antea, & nostra persequitur: neque filius postea rex esse apparebit. Quomodò ergo ipse quidem dicit de Patre: Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor? De ipso autem dicit Daniel: Regnum eius, regnum æternum, quod non præteribit. Vides quàm multa oriantur absurda, & quā cum scripturis pugnantia, cùm quispiam quæ dicuntur humanè acceperit. Quemnā autem hic dicit euacuari, & aboleri principatum? Angelorum ne? Absit. Ai fidelium? Ne hoc quidem. Sed quemnam? Dæmonum, de quo dicit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mūdi rectores huius seculi.* Quo regno Deo tradito, & patri, fit vt gloriæ Domini locus dicatur ille, in quo dracones prius habitabant, & pilosi saltabant. Vnde Gregorius lib. 1. hom. 10. super locum Ezechielis cap. 3. *Benedicta gloria Domini de loco suo,*

Chrysost.

Verborū illorum: *Cum tradiderit regnum Deo, & patri.* 1 Corinth 15 intellectus.

Ezec. c. 3.

Digitized by Google

suo, non amplius immundi spiritus domum, sed locum sanctum Domini animam appellat illam, in qua pœnitentiæ virtute post delictum gratia superabundat; Verba autem eius sūt:

Gregorius. *Locus enim maligni spiritus fuerant corda peccatorū; sed cum sibi met ipsis irati per pœnitentiam redeunt, gloriæ Domini locus fiunt.* Quam loci amissionem in Saluatoris aduentu metuens mundi princeps, qui multos tyrannicè possidebat, turbari adeò cœpit, vt Herodem ipsum, quem vt propriam possidebat domum, turbare fecerit, vti ex Matt. 2. habetur. *Turbatus est Herodes, et omnis Ierosolyma cum illo,* vbi Tostatus quæst. 24. *In ista autem turbatione Herodis significabatur turbatio diaboli, qui in membris suis turbatur, sicut erat Herodes. Sic ait Leo Papa in serm. Epiphania, scilicet, quòd non tantum Herodes in seipso turbatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim hominem existimabat, diabolus Deum, & vterq; regni sui successorem timebat, diabolus cœlestem, sed Herodes terrenum.*

Locus gloriæ Domini fit peccator, cùm in se reuersus in meliorē frugem cōuertitur.

Matt. c. 2.

Tostatus.

Turbatur Herodes, quia priuꝰ Dœ non regni sui successorē metuens turbabatur.

9 Stupet Chrysologus serm. 104. diuitem audiens illum, qui consiliariorum defectu semet, vt Lucas cap. 12. testatur, consulebat: Excogitabat *inter se dicens: Quid faciam?* Et quidem mirāda prorsus res est, ꝙ pauperibus non deficientibus multoties consultoribus, illi tantū deessent, qui bonis affluebat quamplurimis; at diuitis huius penetralia si quis acutius considerare voluerit, quòd sic insipiens loquatur iste, nil sanè mirabitur; nam non à se consilium, sententiamq; efflagitabat, sed ab alio: & si quis esset consiliarius iste, percontaberis, illum eūdē esse respondebit Chrysologus, qui parētibus primis inobedientiam, præceptiq; trāsgressionē suasit. Quòd si vlterius quonam pacto adeò præsto esset, vt sic facilè eum diues consulere posset, inquires: citò te Chrysologus expediet, dicendo: quòd facilè ipsum interrogare poterat infelix iste, dum per peccatum sibi illum iam insedisse agnoscebat: *Interrogantis vox est: quid faciam? Et quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat: & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Aurea equidem omnia, at illa præsertim: *Quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat,* nostrum probant institutū, quòd diabolico se subdat imperio, qui prauo desiderio assentitur, & seruit.

Luc. c. 12.

Chrysol.

10 Plurimum antehac distrahebar, verba quoties considerabam illa: *Melior est puer pauper & sapiens, rege stulto & sene.* Eccles. 4. quis regis istius nomine, quo non parum melior puer pauper censebatur, importaretur; at pro præsenti instituto Saloniū Galliarū Episcopū lustrans, facilè, quod non intelligebam, percepi; quia si per paruum, sapientemque puerū ille est intelligēdus, de quo Isaias: *Parvulus natus est nobis, &c. & vocabitur magni cōsilij Angelus.* cap. 9. per regem stultum & senem diabolus procul dubio accipi debet, qui ideo regis sortitur nomen, quia per culpam improbis dominatur, stultus autem, & senex propterea dicitur; quia ab ipso mundi exordio ad suarum pœnarum cumulum tale & affectauit, & affectat imperium. Mox dictus Salonius: *Diabolus, qui penè ab ipso mundi exordio regnauit in genere humano, senex vocatur. Et verè stultus rex, quia quantò plures decipit, tantò sibi pœnam accumulat maiorem. In regno quippè huius regis senis, & stulti, id est, diaboli natus est puer optimus, Dominus, videlicet, Iesus Christus, qui factus est Rex regum, et Dominus dominantium.* Nec denique a loci illius intellectu: *Cùm dilexisset suos,* &c. Ioan. 13. multum vexor, quia iam ex allatis colligo, quòd suorum nomine iustos significare intendebat Ioānes, quia & si omnes proprietatis titulo (vt superius me dixisse recordor) Dei sint, cùm ab eo originem ducāt, possessione tamen iusti tantùm Domini esse dicūtur, nam mali dœmonis possessio sunt: *Suos autem,* ait Theophylactus, *discipulos nominat secundum familiaritatis rationem. Quantum autem ad rationem creationis, eius proprij sunt omnes homines. In propria venit, & sui eum non receperunt. Sui autem etiā Sancti, eò quòd familiares ei sint, quemadmodum, & hoc loco suos vocauit discipulos.* Sic, qui Domini, quiue dęmonis sint, apparet. Et si iuxtà Philonis sententiam:

Ecclesi. c. 4.

Isai. c. 9.

Salonius.

Diabolus rex senex, & stultus vocatur, & quare?

Ioan c. 13.

Theophylact.

Qui sint Dei, quiue diaboli, declaratur.

Digitized by Google

Philo. tiam: *Omnis eſt miſera ſeruitus*, qualis erit illa peccatoris, dum non homini, ſed diabolo famulatur? Si poſteà teſte Seneca epiſt. 4. *Nulla ſeruitus turpior eſt, quàm voluntaria.* ſceleſti turpiſſimam nuncupabo, dum proprio animi impetu ex ingenuo ſeruus efficitur. Et ſi immundo, impuroque ſeruire infeliciſſimum appellauit ſeruiendi genus mòx dictus Philo: *Cùm omnis ſeruitus eſt miſera, tamen intolerabile eſt ſeruire impuro, impudico, & effeminato.* impuritatis, impudicitiæque regi ſe ſubdere, quo infelicitatis, miſerieque titulo nuncupabimus? Et tandem, nè tua te fallat opinio, quòd culpa non obſtante adhuc libertate fruaris, audi Claudianũ lib. 3. ſtil.

Seneca.

Voluntaria ſeruitute nulla turpior.

Claudian. 3.

Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira.
Seruitii patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tũc omnia iura tenebis,
Si poteris rex eſſe tui.

Adduxerunt aſinam, & pullum: & impoſuerũt ſuper eos veſtimenta ſua. Matt. 21.

§. IV.

Multò decentius quàm auro, & ſerico corpus; virtutum anima decoratur amictu.

1 QVàm in ſatanæ aula illuſtris veſtimenti mos vitiorum exiſtimatur textura, vndè quò turpioribus vitiis anima magis deformatur, eò formoſior ab ipſo iudicatur, & comptior, dicẽte Imperfecto ſuper Matt. *Luxuria, fornicatio, voluptas, ſuperbia, auaritia, & diſcordia ornamenta Diaboli ſunt*, tàm apud Deum eſt ſpecioſus animæ virtuoſus ornatus; quapropter ſponſæ extollens indumenta, à ſe virtutum auctore originem duxiſſe fatetur: *Veſtimi te diſcoloribus.* Ezech. 16. Vbi Vgo Card. *Veſtimi te diſcoloribus, ideſt, virtutum, & bonorum operum varietate. Virtutes enim ſunt indumenta interiora; opera ſunt veſtes exteriores.* Ex quo dicere conſuetuit Chryſoſtomus hom. in pſal. 118. quòd vix ab angelico humanus diſtaret amictus, ſi gratiam, innocentiamque, quam in ſacra baptiſmatis vnda accepimus, ſeruaremus: *Habete tunicam mundam, ſicut accepiſtis in baptiſmo. Nullus eam maculet moribus ſuis, nullus prauitate cordis ſcindat tantam pulchritudinem veſtis. Talem accepiſtis veſtem in baptiſmo, qualem habuerunt Angeli, qui ſeruabant Dominũ in ſepulchro: ſicut nix, ità erat veſtis eorum.* Et Baſilius hom. 7. non abſque ratione hominem ſine veſtibus productum aſſerit, quia nõ byſſo, & purpura; nec ſericis, & auro circumornãdus, ſed virtutum ſplẽdoribus; immò fulgoribus quibuſdã, quales ſunt Angelorum, veſtiẽdus erat. Audi ipſum: *Neque igitur ei ex natura, neque ex arte veſtiri conueniebat, ſed alia parata erant, ſi virtutem oſtendiſſet homo, inſignia, quæ ex gratia Dei erant illum illuſtratura, vtpote fulgores quidam, quales ſunt Angelorum, qui omnem florum varietatem, omnium aſtrorum claritatem ſuperarent. Hac igitur de cauſa non veſtes ei ſtatim præbitæ ſunt; quoniam virtutis præmia illi repoſita erant, quæ conſequi vis diabolicæ tentationis non permiſit.* Quæ virtutis præſtantia nequaquam fidelibus tantùm innotuit, verùm ethnicis ipſis illuxit, nam teſte Lamprid. cùm Alexander Seuerus eò quòd humili ſæpè numero cõtentus veſtimẽtò incederet, ab aulicis ſuis reprehenderetur, imperatoriam maieſtatem reſpondit, virtute conſtare, non corporis cultu. Et Dionyſius Sicilię tyrãnus miſſas ſibi ab Archidamo veſtes ſplendidas, multique pretii pro filiabus recuſauit, vt refert Plutarchus dicens: *Vereor nè hoc amictu puellæ mihi turpes videantur*, quibus ex verbis prudentis huius viri mentem deduxit nuperrimè dictus Plutarchus: *Intellexit vir prudens, virgines nullo cultu melius ornari, quàm ſimplici, nam luxus arguit animum parum ſobriũ.* Cuius rei minimè ignari Lacedæmones, meretricibus exceptis, nè qua mulier florida vteretur veſte ſanxerunt,

Imperfect.

Quo turpio Deus vitiis animæ eſt deformior, eò formoſior à Sathana iudicatur.

Ezech. c. 16 Vgo Card.

Chryſoſt.

Parum ab angelica diſtat veſtis illa, quam in baptiſmo accipimus.

Baſilius.

Cur ſine veſtibus primi producũtur parentes.

Plutarchus

Veſtium luxus animum parum ſobrium deſignat.

Digitized by Google

runt,pro certo habentes, quòd non veſtis, quæ ab extrinſeco oritur, ſed quæ in interiori texitur officina animam decorat,& veſtit; quam laudabilem legem hiſce verbis extollit Clemens Alexandrinus lib. 2. pedagog. cap. 10. *Laudo, & admiror veterē Lacedæmoniorū ciuitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit. Meretricis enim eſt corpus ornare: caſtæ, probæque fœminæ, atque viri ornare mentem, pulchritudinemque veram quærere, non ſimulachrum pulchritudinis.* Quod etiã Syracuſanos ſeruaſſe refert Athęneus lib. 12. cap. 6. vbi ait publica eos lege ſtatuiſſe, vt pro meretrice, & impudica haberetur ea mulier, quæ veſte florida,& purpurea, aut ſimili ornamento vteretur: quod ſi Ethnicos cognouiſſe comperimus, Apoſtolos haud quaquam ignoraſſe, immò ob id maximè aſinam,& pullum ſuis veſtiſſe indumentis aſſerere debemus, quia cum ſatis nudi appareant, qui ab honore decidētes, iumentis comparantur inſipientibus, apoſtolicis antea induendi erant virtutibus, quàm ad virtutum auctorē adducēdi, vt ipsũ cordis (vt ità dicam) dorſo per amorē vectarent: *Veſtimenta diſcipulorum*, ait Beda in Dom. palm. tom. 7. *opera ſunt iuſtitiæ; Pſalmiſta teſte, qui ait: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam. Aſinos, quos nudos inueniunt diſcipuli, ſuis ſternunt veſtimentis, & ità deſuper Dominũ imponunt, cùm prædicatores ſancti quoſlibet à ſanctitatis habitu vacuos inueniunt, hos virtutum ſuarum exemplis ad ſuſcipiendam fidem, & dilectionem ſui Conditoris imbuunt.* De hoc igitur ſpecioſiſſimo animæ amictu audi ſi libet.

Clemens Alex.

Meretricibꝰ tantum floridæ veſtes conceſſæ, & quare?

Beda.

2 Diſpar multum à mulieris illius lenocinio, quæ auro, gemmiſque onerata potiùs, quàm ornata incedebat: *Et mulier erat circũdata purpura, et coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.* Apoc. 17. Illius alterius mulieris erat ornatus, de qua idem Ioannes hunc fatur in modum: *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* cap. 12. quia ſi totus mulieris illius è terra pendebat apparatus, è cœlo iſtius pulchritudo aſſumebatur,& decor. Nec ſanè tanta diſparitas myſterio vacat, quia vbi illa Babylonis, Eccleſiæ hæc geſtabat figuram; in præſagium, quòd dum purpura,& byſſo corpus condecorare ſtudent improbi; puritate, charitate, cęteriſque virtutibus, è cœlo, non è terra ortum habentibus animam veſtire,& exornare ſatagunt probi. Accinit Bernardus; dum veram, legitimamque Eccleſiæ filiam Sophiam epiſt. 113. his verbis alloquitur: *Ille, ille in medium veniat ſummo decore ſpectabilis, ipſis quoq; Angelis admirandus ornatus, & proferant, ſi quid ſimile habent filiæ Babylonis, quarũ verè gloria in confuſione. Induuntur purpura, & byſſo, & ſubinde conſcientia pannoſa iacet. Fulgent monilibus, moribus ſordent. E contra tu foris pannoſa, intus ſpecioſa reſplendes, ſed diuinis aſpectibus, non humanis. Iucundare filia Sion, & exulta ſatis filia Ieruſalem, quia concupiuit rex ſpeciem tuam, ſi tamen confeſſionem, & decorem induis, amicta lumine ſicut veſtimento.* Si non aurum, non gemmæ, non purpura, non bombycinę veſtes, aut aureæ cum Sole conferri poſſunt. Si rutilanti, ac ſolari charitatis, cęterarumque virtutum ſplendore legitimi Eccleſiæ induuntur filii. Si fidei fulgente veritate, veluti rutilantibus ſtellis, caput ſuum decorāt, & pedibus, ſicuti lunam gemmas, monilia, ſericaque indumenta cōculcant, quis mulieris ſecundæ diſparem multum à primæ non cenſebit cultum, & vocabit ornatum?

Apoc. c. 17

Idem c. 12.

Bernardus.

Nõ veſtis, quæ ab extrinſeco, ſed quæ in interiori texitur officina animam ornat.

3 Virtutem inſuper deauratã quãdam veſtem eſſe, varietate circumdatam, qua induta anima, veluti regina, ſummo Regi admodum cara in eius dextera collocatur, penè innumera ſacræ ſcripturæ loca oſtendunt, atque declarant. Et omiſſo illo, quòd numquam ſe nudum Protoplaſtus nuncupauit, niſi poſt peccatum, quia eo, quę culpa nudauit nullus alius nudior eſt cenſendus. S. Ambroſ. lib. de Paradiſ. cap. 13. *Cognouerunt interiori ſcientia, non tunicam ſibi, ſed virtutum deeſſe velamina.* expreſſerunt hoc recentia illa indumenta, quæ abiectis cũ idolis,

S. Ambroſ.

Nudũ ſe cõfitebat Adam non quia tunicam, ſed virtutũ ſibi deeſſe velamina agnoſcebat.

lis, si quæ fuissent vetusta, assumi præcepit Iacob verbis illis: *Abiçite deos alienos etc. mundamini, ac mutate vestimenta uestra.* Genes. 35. quia iuxta Caietani sententiã, non tã vestimentorũ, quàm morum cura afficiebatur Iacob, cùm hi, non illa animæ sint indumenta: *Mores sunt vestimenta interioris hominis, vndè Apoc. 16. Beatus qui custodit vestimẽta sua, nè nudus ambulet.* Nuper dictus Caietanus. Hoc significabat admodum expolita illa summi sacerdotis vestis, dicente Iuone Episcopo Carnotensi serm. qui est de significationibus indumentorum sacerdotalium, super illud Exod. 26. *Loquere sapientibus corde, vt faciant uestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi*, vbi hæc habet: *Sicut bona domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exterius, qualis apud se esse debeat interius.* Quod etiam Theodoretus quæst. 60. in Exod. 28. super locum illum: *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem*, confirmauit, dum ait: *Hæc vniuersa erant sacerdotibus summo ornamento, populo verò admirationi, propter varietatem figurarum. Instruebantque sacerdotes ipsos, quomodò oporteat animam decorare, & illam ornamento virtutis circumdare.* Monstrauit idipsum regalis ille amictus, quo, iuxta Aman sententiam, induendus erat ille, quem rex honorare intendebat: *Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs.* Esther. 6. quia absq; virtutum decore à supremo Rege nullus honoratur in cęlis, vndè Glossa in sensu morali: *Debet indui, ideſt, in præsenti vita debet ornari virtutibus moralibus, & theologicis, qui vult à Deo in futuro honorari.* Ipsummet, de quo loquimur, nuptialis illa vestis figurauit, qua induti ad nuptias admittebantur, exuti verò pellebantur, dicente Matt. 22. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? &c. Mittite eũ in tenebras exteriores, &c.* vbi Ferus, *Vide quid in ipso accuset, nempe, quòd non habet vestẽ nuptialem. Quæ autem est illa vestis, quam habens à Deo agnoscitur, vt filius, qua carens reprobatur, etiam si omnia alia habeat? ea nimirum est, de qua Paulus: Induimini Dominum Iesum Christum.* Hoc præsignarunt vestimenta illa, quæ semper candida seruanda, monuit Ecclesiastes cap. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Hoc, iuxta quorumdam expositionẽ, tunica illa, qua se sponsam spoliasse declarat: *Expoliaui me tunica mea.* Hoc denique (nè singula recensendo prolixus videar) prima illa stola, qua post regressum indutus fuit prodigus figurabat.

4 At omissis his, ac alijs, quæ possent adduci figuris, ad Sanctissimum adolescentẽ Iosephũ oculos verto, & dũ ipsum in manibus insanientis dominæ pallium relinquentem considero: *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Genes. 39. non possũ, non dicere, quòd nedum pulchrè ornatur, verùm adeò etiam splendidè vestitur, qui virtutem colit, & innocẽtiam seruat, vt externis prorsus non indigeat indumentis. Meum non est hoc, sed Chrysostomi, qui serm. 1. de Ioseph hæc habet: *Fugit igitur Ioseph, inquam, nudus, pudicitia & castitate vestitus: fugit relictis vestibus, sed innocentia, qua vicerat, tectus. Et cui impudica, mulier indumẽta detraxerat, cum sanctitas ipsa tegebat.* Et Ambrosius lib. de eodem Patriarcha: *Itaq; vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuijs, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non enim est nudus, nisi quem culpa nudauit.* Sic Ambrosius, qui illicò inter ipsum, & Adam, quis eorum nudus esset censendus quæstionem mouens, eam facillimè soluit dicendo: quòd non, qui pallium, sed qui virtutem amiserat, nudus dici debebat: *In superioribus habemus, quòd Adam posteaquam Dei mandatum præuaricatione deseruit, & peccati grauis æra contraxit, nudus erat. Vndè & ipse ait: Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, quia nudus sum, & abscondi me. Intellexit se esse nudum, qui insulas diuinæ protectionis amiserat. Et ideo latebat, quia vestem fidei non habebat, quam vtique præuaricando deposuit. Magnam rem vides. Ille nudus erat, qui tunicam non amisit: iste nudus non erat, qui vestimentis se exuit, quæ in manibus adulteræ dereliquit. Eadem scriptura illum nudum*

Genesis. 35.
Caietanus.
Iuo Epiſc. Carnotenſ.
Exod. 26.
Moribus interius vnusquisque induitur.
Exod. 28.
Theodoret.
Externus Sacerdotum amictus internum animæ declarare debet ornatum.
Esther. c. 6.
Glossa.
Matt. c. 22.
Ioan. Ferus. Virtus est vestis illa nuptialis, qua induti ad nuptias admittũtur, exuti verò expelluntur
Ecclesiast. c. 9.
Cant. c. 5.
Genes. c. 39.
Chrysost.
Ambros.
Vestimento non indiget innocentia, quia ille solus nudus est, quẽ culpa nudauit.
Idem.

Digitized by Google

asſeruit, hunc abnuit. Et ideo iſte expoliauit ſe potius, quàm nudauit, qui incorrupta virtutum veſtimenta ſeruabat, expolians ſe veterem hominem cum actibus ſuis, vt indueret nouum, qui ſecũdum imaginem Creatoris in agnitione renouatur. Ille autem nudus remanſit, qui ſe iterum veſtire non potuit, ſingulari ſpolio virtutis exutus. Vndè pelliceam accepit tunicam, quia peccator habere non poterat ſpiritalem. Et denique ad impudicam Ioſephi dominã regrediens, eam & ſi proprijs, & alienis indutã, nudam tamen; ſanctum verò adoleſcentem benè indutum appellat, quia pudicitiæ veſtimenta ſeruauit: *Illam igitur verè exutam dixerim etiam aliena veſtimenta ſeruantem, quæ omnia amiſerat velamina caſtitatis: Illum ſatis ornatum, ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur.* Hęc ipſe, quibus ſatis noſtrum probat inſtitutum, quòd adeò percomptè innocentia veſtiatur, vt veſtimentis nõ indigeat, qui illam inter luctamina ſeruat.

Semper nudus dicẽdus, qui virtutũ amiſit velamina.

5 Stupent ſacræ ſcripturæ expoſitores, quòd cùm Petrus piſciũ capturæ nudus intendiſſet, ad Dominum poſteà per marinos fluctus, veluti per ſolidam humum iturus, tunica veſtiri voluerit: *Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Io. 21. Et ſanè eò maximè ſtupere quis debet, quia filiorum, filiarumque necem audiens Iob, ad Dominum moriendo ſe iturum exiſtimãs, nudus coram illo apparere volebat, dicente Origene in Gloſſa relato ſuper illud: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adorauit, & dixit: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* cap. 1. *Scidit veſtimenta ſua, vt cum Ieremia dorſum ſuum daret ad flagella, vt anticiparet ſuam ſepulturam.* vnde igitur in Petro tanta ſe veſtiendi ſedulitas? Magna equidem difficultas! implexa quæſtio! at ex præcedentibus haudquaquam difficilis erit ſolutio, nam ſi nudus non eſt, niſi ille, quem culpa nudauit; & ſi veſtimento non indigent, niſi qui virtutum palio carent, iure optimo deſpoliare ſe poterat Iob, qui inter perſecutiones, & prælia; inter vulnera, & cædes adhuc innocentiam retinendo ſanctitate veſtiebatur, & gratia: vndè dũ proprio dicebat ore: *Iuſtitia indutus ſum* cap. 29. alio ſe indumento minimè egere declarabat: Petrus verò quoniam illius conſcius erat veritatis, quòd nullus verè nudus eſt, niſi quẽ culpa nudauit, Magiſtrum ſe negaſſe agnoſcens, ad veſtes confugit, vt nuditatem, quam noxa intulerat, tunica operiret. Diſertè nimis Chryſologus ſerm. 73. *Mirum fratres, & verè mirum, quia qui in naui nudatus eſt, in mare ſe demergit indutus; quia innocentia numquam nuda eſt, & reatus ſemper refugit ad uelamen. Deniq; ſicut Adam ità & nunc Petrus poſt culpam ſuam geſtit tegere nuditatem, qui fuerant ambo antè culpam ſancta nuditate ueſtiti.* Optima equidem omnia, at illa præſertim: *Innocentia numquam nuda eſt, & reatus sẽper refugit ad uelamen*: & quòd ideo nudus ad Dominum ire geſtiſſet Iob, & eumdem veſtitus adire ſategiſſet Petrus, declarãt; quia innocentiã, qua in agone ille ſemper ſplẽdidè operiebatur, hic in primo certamine amiſit.

Ioan. c. 21.

Cur Petrus ad Chriſtum iturus tunicam aſſumit?

Iob. c. 1.

Origenes.

Chryſolog.

Reatus, non innocentia ad velamina fugit, quia hæc quantũcumque deſpoliata, nuda nũquam apparet.

6 Et quidem adeò ſplẽdidus eſt virtutis ornatus, vt nulla maior exiſtimari poſſit iactura, quàm illo priuari. Hominis illius à latronibus ſauciati infandũ caſum his verbis deſcribens Lucas: *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eũ: et plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* cap. 10. magnam nobis ſpeculãdi anſam reliquit, non tam quidem, quòd in latrones incideret, qui ab altitudine cęleſtis Ieruſalem ad miſerias huius deſerti deſcendit; nec tàm quòd ſemiuiuus relinqueretur, quia per peccatum morti addicto corpore, immortalis anima remanebat, ex quo morti hominis ſuccũbebat medietas, quàm quòd plus deſpoliationis, quàm plagarum ſentiret dolorẽ, quod cuprisè per Ly, *etiam*, quod emphaſim quamdam ſignificat, explanare videtur Euangeliſta: nam aliàs neutiquam in denudatione tali vſus fuiſſet inculcatione verborum, cùm grammaticè loquendo particu-

Luc. c. 10.

la,

Digitized by Google

la, etiã, inter alia, immò, quoq; importare habeamus. Verũ pudoris omiſſo ſupplicio (q̃ ſuper vulnera, quinimò ſuper mortem ipſam ſentiri ſolet, vt Saluatorem declaraſſe reperio, qui plagarum, ac mortis ſuæ omiſſis doloribus, de nuditate tantùm conquerebatur, dicẽdo: *Tota die verecũdia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.* pſal. 43. de qua re latiùs alibi me dixiſſe non fugit) ſi homo iſte, qui à perfecta pacis contemplatione ad huius vitæ viciſſitudines deſcendit, primum figurabat parentem, quid mirum, quòd nuditatem ſuper vulnera ſenſit, & mortem; ſi ille poſt caſum non tam vulneratæ naturæ miſerias, nec mortis, cui per culpam ſe agnoſcebat addictum, lamẽtabatur anguſtias; quã de nuditatis conquerebatur dolore: *Vocem tuã audiui in Paradiſo: & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Gen. 3. & quidem ſatis conſultò, quia vix mortis ſentit ærumnas, qui gratiæ, atq; virtutum non deperdit amictum; quod in Protoplaſto deplorans Bernardus ſerm. 1. de Annunc. hunc lamentatur in modum: *Heu homo iſte ad multam perniciem, & inſipientiam ſibi deſcendit de Ieruſalem in Iericho. Siquidem incidit in latrones, à quibus et antè omnia legitur deſpoliatus. An non deſpoliatus, qui Domino veniente nudum ſe eſſe conqueritur?* En quare particula, etiam, quæ emphaſim denotat, atque importat, deſpoliationi, non vulneribus copulatur, quia adeò pretioſus eſt virtutum amictus, vt plus ipſius, quàm vitæ sẽtiri debeat amiſſio.

Pſal. 43.

Pudoris ſupplicio morte crudelius.

Geneſ. c. 3.

Bernard.

Morte ipſa peior virtutis amictus.

7 Conquerebatur quandoque ſponſa, quòd vigiles illi, qui vigilare non furari: cuſtodire, non vulnerare debebant, eam per vicos, & plateas ſponſum quærentem, & pallio ſpoliaſſent, & verberibus affeciſſent, & plagis: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, et vulnerauerunt me: tulerunt pallium meũ mihi cuſtodes murorum.* Cant. 5. Sic ad ſponſum (ni fallor) & ſi abſentem ſuas ipſa deferente querelas, ſpeculandi nobis occaſiunculã præbuit, quid eſt, quòd in querelarum delatione ſic inordinatè procedit, vt poſt verbera, & plagas ſpoliationem enarret? Si iuxtà rethoricorum doctrinam creſcere, non decreſcere debet oratio, cur non à leuioribus ad grauiora procedit? Cur non à denudatione ad verbera, & ab his ad plagas deuenit, q̃ inuerſo ordine, de ſpoliatione poſtremò cõqueritur? An quia tali ſupra verbera, & plagas ob ſpiritalis pallii priuationẽ afficiebatur dolore, vt pro ærũnarum omniũ concluſione pallio ſe ſpoliatã fuiſſe poſuerit? Ità ſentire videtur Cornelius à Lapide, qui Lucæ abbatis ſententiam referens, hunc ait in modum: *Symbolicè Lucas abbas per cuſtodes accipit dæmones, qui animas ſuis tentationibus vulnerant, eaſq; pallio puritatis baptiſmalis ſpoliant.*

Cant. c. 5.

Nihil, vt virtutis pallio priuari acerbum.

Cornel. à Lapide.

8 Quod poſteà adeò amica ſit dæmoni huius pallii amiſſio, vt ſi quam conſolationis haurire poſſet ſcintillam, quod quidem non aſſero, ex huius ſponſæ denudatione certè deſumeret, quid aliud indicat, quàm omnium calamitatum colophonem eſſe hac veſte priuari: quòd ſi admiſſo conſequenti (cùm ſole clarius pateat, noſtris dæmones delectari ruinis) antecedẽtis probationẽ exoptas, dæmoniacos intuere illos de monumentis exeuntes, quos ſæuos nimis appellat Matt. c. 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumẽtis exeuntes, ſæui nimis.* c. 8. & nudos ipſos in quacumq; aeris varietate peritiſſe perſpicies, vt multi opinãtur expoſitores, cuius nuditatis originẽ dæmones fuiſſe aſſerit Paulus de Palacio ſuper prefatũ Matthæi locum, vbi etiam addit: quòd nõ abſque ratione à ſe obſeſſos nudos videre diabolus deſiderat, quia ſi lætitiæ alicuius compos eſſe poſſet, & gaudij, eo tunc ſolummodò afficeretur, cùm animam virtutum ſtola nudatam videret; verba autem eius sũt: *Adam poſt peccatum ex Paradiſo abiectus, nudus dimiſſus eſt. Cupit ergo videre diabolus hominem, ità ſemper nudum, & lætari de eius nuditate, ſicut olim lætatus eſt, ſi hoc verbo vti licet.* Si ergo adeò eſt ei iucunda animæ nuditas; optimè de ſe tactũ ſequitur cõſequẽs, quòd nulla maior excogitari poteſt iactura; quàm virtutis pallio priuari: quapropter iure optimo, & de hoc

Matt. c. 8.

Paulus de Palacio.

Nunquam ſic lætaretur diabolus, lætari ſi poſſet, quàm homines videndo virtutis indumẽto ſpoliatos.

Digitized by Google

maximè conquerebatur ſponſa,& idipſum ſauciatus ſuper plagas ſentiebat,& vulnera.

9 Denique ſi antequam præſentem claudam tractationem, quis veſtium curioſitates, & lenocinia adinuenerit,perſcrutemur, facilè ad velamina culpam confugere perſpiciemus;nam myſterio nequaquam vacat, quòd non virorum aliquis, ſed Noema lanificium inuenerit; dicente Gloſſa ſuper illud: *Soror verò Tubalcain,Noema.* Gen.4. *Noema reperit lanificium ad curioſitatem veſtium, cùm priùs homines animalium pellibus vterẽtur,* quia illa maximè ad operimenta confugere debebat,quæ primæ nuditatis cauſa extiterat,& origo: ex quo fit (ni mea me fallit opinio) quòd plus in mulieribus, quàm in viris vigere lenocinia ſoleant; dicente Dauide: *Filiæ eorum cõpoſitæ: circumornatæ vt ſimilitudo templi* pſal. 143. per quæ verba non viros, ſed fœminas carpere videtur,dum non de filijs,ſed de filiabus loquitur: quod Ioannem etiam innuiſſe exiſtimo, cùm non virorum aliquem, ſed mulierem quamdam purpura, & coccino veſticam deſcribit: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino,& inaurata auro,& lapide pretioſo,& margaritis.* Apoc.17. quia numquam ſatis ſe expolitam, ornatamque exiſtimat, quæ gratiæ priuationis ſe originem fuiſſe intelligit. Verùm ſerpentis illius calliditas,quæ ipſam decipiendo nudauit,nunc etiã veſtiendo decipit;nam mulierum hæ vanitates eas non ornant, ſed onerãt; non decorant,ſed dedecorant; non ſpecioſas eas deſignant, ſed ad inferos deſtinatas præſignant: quod ſuetа dicendi eloquentia confirmauit S. Cyprianus de diſciplina, & habitu virginum verbis iſtis: *Audaci conatu, & ſacrilegò contemptu crines tuos inficis,malo præſagio futurorum,cùm capillos iam tibi flammeos auſpicaris, & pecoras. Proh nefas,capite,ideſt,corporis parte meliori,& cùm ſcriptum ſit de Domino: Caput autem eius,et capilli erant albi velut lana,aut nix; tu execraris canitiem,& deteſtaris alborem.* Quid ſi ſaperent? Quid ſi intelligerent? Quid ſi nouiſſima prouiderent? Sanè non mulierem illam,quæ purpura, & coccino,auro, & gemmis ſe onerare potius,quàm decorare ſtudebat;ſed eã, quæ fuſum apprehendens, ſtragulatã veſtem ſibi fecit, imitari ſatagerent; dicẽte Hieronymo ſuper illud: *Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius.* Prouerb.31. *Cùm pro amore cæleſtium ſalubriter nos exercere incipimus,iam lanam agni immaculati de colo in fuſum, de læua in dexterã traïcimus: quia donis noſtri Redemptoris,de exemplis operum eius ſtolam nobis gloriæ cæleſtis, ac veſtem charitatis nuptialem facimus.* Huius velleris lanam ſi operari addiſcerent, ſplendorem, quem expolitæ, ſanctæq; Iudith Dominus contulit, eis proculdubio cõferret. Quod bene noſcens Tertullianus in fine libri de cultu fœminarum, hunc eis ſuadet ornatum: *Prodite iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem,de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate,inſerẽtes in aures ſermonẽ Dei,annectentes ceruicibus iugũ Chriſti.Caput maritis ſubijcite,& ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite,& plus quàm in auro placebunt.Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis,purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ,Deũ habebitis amatorem.* Hæc ipſe, quæ pro præſenti ſufficiant inſtituto.

Gloſſa.

Mulieres,nõ viri veſtium curioſitatem adinuentrices,& quare?

Pſal.143.

Apocal. c. 17.

Cyprian.

Capillos,genaſq; flammeo mulieres tingunt colore malo præſagio futurorum, vt ſcilicet flãmis ſe deſignent adictas.

Prou. c.31.

Hieronym.

Tertullian.

Qualis verus eſſe deberet mulierũ ornatus, expenditur.

FE-

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Iesus itaq; sciens omnia, quę ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Respondérunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Ioan. 18.

§. I.

Hostium nō declinat incursus Saluator, sed obuium se eis præbet: quia non insectantium minas, nec cōtra nos insurgentes ærumnas fugere, sed eas quærere, & amplexari debemus.

1 STribulatio adeò numerata est cēsenda pecunia, vt magnus ille Ioseph totius Ægypti prorex tot à fratribus se nummos accepisse existimans, quot ab eis persecutionibus fuerat affectus, nequaquam ab eis pro tradito frumento pecuniam accipiendam duxerit, vt innuere videtur S. Cyprianus verbis illis: *Ioseph venundatus à fratribus, & relegatus, non tantùm patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientibus impertit.* Si tribulatio non philosophorū, sed verè philosophantium lapis est, qui solo contactu homines aureos, omniumque gemmarum pretiositate ornatos efficit; undè S. Thomas super illud: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum* Act. 9. hunc dicit in modum: *Vt auri solidum ornatum omni lapide pretioso Paulus, portauit Iesu nomen in corpore, conuersationem, et passionem eius imitando.* Denique nè singula, quæ in ærumnarum laudem dici possent, percurrā, si ipsę pretiosissimi sūt thesauri sub terreni corporis mole abscondi, veluti optimè expressit Iob, quādo testa sanies radendo, thesauros istos in fictili uase abscondebat. Ex quo Chrysostomus homil. 4. de patientia Iob: *Testam accepit, qua sanies ferueretur. Testa quidem saniem ebullie bat, hostis verò patientia frangebatur; decuit & ipsum dicere habentem testam: Habemus thesaurum in vasis fictilibus:* quis hunc effodere thesaurum, inuenire lapidem, & acquirere sibi pecuniam non studebit? Si amens procul dubio esset censendus, qui pro auro stercora, & pro margaritis lapides coacerua ret, & fimum, sic omnium sanè dementissimus dici deberet, qui terrenis voluptatibus inhians, ærumnas declinaret, atq; contenneret; quā nè quis laboraret stultitia, nedum hostes non declinat Saluator; verùm ipsis etiam se obuium præbet, & offert: *Iesus itaq; sciens omnia, quæ ventura erāt super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?* Ioan. 18. ac si diceret: Quid timetis? Quid pauetis? Quid trepidatis, qui ærumnas declinatis, & fugitis? Si adeò valida est auri fames, vt fæpenumero nō mortaliū pectora allicere, sed cogere dicta sit? Si diuitiarum amore ibi est & cor, vbi & thesaurus; cur pretiosum hoc aurum, & impretiabilem hunc thesaurum floccipenditis, & contemnitis? Si vos auri huius fames non cogit, nec thesauri istius attrahit cupido, fortiū vos moueant exempla, mea vos animent gesta: *Sicut Iesus*, ait Vgo Cardinalis, *sciens, quæ ventura erant super eum, processit; sic iustus præuidens aduersa ventura, vel tentationes per prudentiam, accurrit per constantiam, & offert se ad mala sustentanda per obedientiam paratum.* Sic qua animi magnitudine ærumnis occurrere debeamus, demonstratur, monstrabiturq; in dicendis.

2 Sum-

Cyprianus.

Adeò sunt pretiosa aduersa, vt numerata pecunia cōparari debeāt.

Act. c. 9.

D. Thomas.

Adinstar philosophorum lapidis tribulatio aureos efficit homines.

Chrysost.

Impretiabiles sunt thesuri ærumnæ.

Ioan. c. 18.

Vgo Card.

Cur Christus persecutionibus infiliret?

Digitized by Google

2 Summis laudibus esse efferendos, qui præsentis vitæ aduersa forti, valentique animo ferre didicerint, Iuuenalis fuit sententia, qui in eorum laudem sic cecinit.

Iuuenalis. *Dicimus autem*
Hos quoq; felices, qui ferre incommoda vitæ
Nec iactare iugum uita didicere magistra.

Sat. 13. quam laudo equidem, plenè autem nequaquam, quia si hosti occurrere maioris animi indicium est, quàm ei inuadenti resistere; maioribus procul dubio laudibus extollendus est, qui ærumnis obuiam procedere, quàm qui eas patienter solummodò ferre didicit: ex quo veterani Dei milites ad tyronum differentiam haudquaquam tribulationum, præsurarumq; expectarunt aduetum; sed impauidè contra illas processere, multoties; quod (omissis Mathathia, Eleazaro, multisq; aliis veteris testamenti, qui legis magis, quam regis zelo perciti, tribulationibus, persecutionibus, immò morti ipsi occurrere pro nihilo habuerunt) optimè intellexit inuictissimus ille Dei miles Ignatius, qui non ferarum ora, nec vngues, sed pietatem, quam homines exuerant, eas induendas timens, illas se lacessiturum spopondebat, cùm hæc Romanis scribebat: *Vtinam fruar bestiis mihi paratis, quas opto veloces mihi inueniri, quas & blanditijs demulcebo, ut citiùs me deuorent; non ut quosdam metuentes non attigerunt: & si sponte nolint, ego illas ui adigam. Ignoscite mihi; quid mihi utile sit, ego noui. Nunc incipio Christi discipulus esse, cùm nihil expetem, aut uisibilium, aut inuisibilium, ut Iesum Christum assequar. Ignis, crux, ferarum concursus, sectiones, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, & diabolí tormenta in me ueniant, tantummodò ut Iesum nanciscar.* Verùm hoc etiam, vt pernotũ cursim enarrato, parumper cum Zachæo immoror, & quid est, quòd non sedens, sed stans aliena restituere voluerit, perlibenter audirem: *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem de fraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Quod si ob Christi reuerentiam (ante quem nec Angeli sedere audẽt, sed vt seruuli corã eo astant) effecisse asseres, esto; sed si eum sedẽdo cum Christo prandisse putamus, cur vt cũ illo loqueretur, assurgit? Occurrit difficultati Vgo Card. qui vltra tactam dubii solutionem, quam quidem & approbat, aliam adducit; quòd nempe, vt magnum Christi athletam se ostenderet, stare non sedere voluit Zachæus, quia, scilicet, accedente se ad Dei seruitutem tentationes, detractiones, & contumelias contra se insurgere videbat, vt illis (sicuti fortium mos est) occurreret, assurrexit; quod apertissimè indicare videtur Euangelista, dum vix Pharisæorum descripta cõtra Zachæum murmuratione: *Et cùm uiderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset.* ibid. illicò, nullaq; interposita mora, ipsum stetisse describit: *Stans autẽ Zachæus, &c.* ac si diceret: talis Christi miles in primo certamine erasit Zachæus, vt insurgentibus cõtra se prælijs, animum sumeret potius, quã timeret; consistentibus aduersum se murmurantium castris, in his ipse sperare potiùs, quàm pauere; dum vt expeditiùs eis occurreret, surrexit, & stetit: *Stans autem Zachæus*, ait modò dictus Vgo, *id est, in bono, quod ceperat, firmiter persistens, non turbatus ex calumnia illorum, qui cum uocauerunt peccatorem.* Sic fortis quilibet Christi miles, vt faciliùs, citiusq; ærumnis occurrere valeat, stans illarum explorare debet aduentum.

Ibidem.

Vt fortius, citiusque insurgentibus ærumnis occurrere valeat, qui ad Christũ cõuerticur, stãs illarum explorare debet aduẽtũ.

Vgo Card.

3 Ad lupos, quin potiùs in medium luporum discipulos, instar ouium, mitti: *Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum.* Matt. 10. patiẽtiã, & mansuetudinẽ importare, quibus Christi pollere debent discipuli, communis ferè expositorum sentit caterua, à qua minimè discrepando, fas etiam mihi sit addere, quòd propterea etiam ouibus apostolici viri comparantur, quia si hæ propriis pedibus impauidè ad lanienam accedunt, timore illi prorsùs abiecto, contra aduersa, & persecutiones; immò contra mortem ipsam insurgere, &

Eximia fuit B. Martyris Ignatij in pugnando fortitudo.

Luc. c. 19.

Matt. c. 10.

ob-

obuiam procedere debent, quod poſt nonnulla concludere videtur Ferus verbis illis: *Vult igitur Chriſtus his verbis, ut qui Apoſtoli officium gerit, paratus ſit omnibus ſuccurrere, omnia perferre, etiam animam tradere pro ouibus.* Sic ipſe, qui immediatè antè de Paulo audacter vitæ diſcrimina ſubeunte, hæc habet: *Talis erat Paulus, qui ob prædicationem Euangelij, aliorumq; ſalutem, nulla non pericula, & labores ſubiuit: Ter, inquit, uirgis cæſus ſum.* Talis ſe oſtendit Thomas, qui non timore correptus, vt opinantur multi, ſed amore percitus cæteris morti occurrere ſuadebat, dicendo: *Eamus & nos, ut moriamur cum illo.* Ioan. 11. vbi Brugenſis: *Alludit ad uerba Domini præcedentia: ſed eamus cum eo, quaſi diceret: quandoquidem ipſi decretum eſt redire in iudæam, non obſtante mortis periculo, quod ipſi illic imminet, animosè eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Tales ſe oſtenderunt ſtrenuiſſimi illi naſcentis ſeraphici ordinis milites Berardus, ſuiq; ſocii, qui ob animarum ſalutem non ad lupos tantùm, verùm in medio etiam luporum à Sanctiſſimo Patre miſſi, poſt opprobria, & & irriſiones; vincula, & nexus; poſt inedias, & vigilias; & denique poſt multa ob veræ fidei prædicationem, & Mahumeticæ reprobationem perpeſſa è chriſtianorum plagis, ad quas Miramolini iuſſu ducti fuerant, iterũ Marochium reuertentes eò vſquè coram populo, & ipſo rege Mahumeticam legem, cum ſuo legislatore dãnarunt, donec alapis, & opprobrijs; virgis, & fuſtibus; carceribus, & plagis; teſtulis, & igne ſaturati animã efflarent. Tales denique, nè ſingulorũ ſingula fortitudinis opera enarrem, ſe monſtrarunt martyres, præſertim illi, qui nulla vitæ præſentis habitatione, ſe ſe vltrò tortoribus obtulere, vt optimè ſuper verba illa: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in uia.* Matt. 21. dixit Diuus Antonius Paduanus in Dom. in ramis palmarum: *Veſtimenta ſunt noſtri eorporis membra, de quibus Salomon Eccleſ. 9. Omni tempore veſtimenta tua ſint candida, hæc debemus ſternere in via, ideſt, pro nomine Ieſu morti, & paſſioni exponere, vt ipſa glorioſa, & immortalia in generali reſurrectione mercamur accipere; quandò hoc mortale induerit immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem.*

Ioan. Ferus.

Ouibus cõparati apoſtolici viri, & quare?

Ioan. c. 11.

Brugenſ.

Matt. c. 21.

Ant. Pad.

Verborum illorũ: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in uia.* Matt 21. intellectus.

4 Nec dictis, quòd, ſcilicet, non aduerſa fugere; ſed illa quærere, & amplexari debeamus refragantur illa Saluatoris verba: *Cùm autem perſequẽtur vos in ciuitate iſta, fugite in aliã.* Matt. 10. quia, vel per ipſa non infectantium rabiem declinare, ſed nouas perſecutiones prioribus frigeſcentibus ſubeundas eſſe edocuit, vt part. 1. Fer. 6. Dom, 1. §. 3. num. 6. me dixiſſe recordor: Vel vt aliorum ſalutem propriæ præferrent beatitudini, vt & apertè (ni mea me fallit opinio) dicere videtur Paſcaſius hiſce verbis: *In hac militia Chriſti ſic quærenda eſt palma martyrij, vt non refugiat quis pro ſalute aliorum tolerare diſpendia ſui, diuq; ferre agonis proprij dilationem.* et in hac ſecunda parte Fer. 2. Dom. Paſſ. §. 2. num. 3. cum Toſtato me aſſeruiſſe memini: Vel quia nequaquam ſerui Dominum præcurrere debebant, ſed ſequi; nec antè Magiſtrum, ſed poſt ipſum mortem diſcipulos ſubire decebat, vt etiam modò dictus opinatur Toſtatus quæſt. 109. Vel tãdem, quia poſito, quòd per præfata fugam permiſerit, vel ſuaſerit, illam tamen infirmis, non fortibus; tyronibus non veteranis, & anteſignanis, de quibus ab ipſo initio nos fari hic cæpimus, ipsũ conceſſiſſe ex Remigio colligit Toſtatus, qui q. 111. hæc habet: *Dicit Remigius: licentia fugiendi conuenit infirmis in fide, quibus concedit pius Magiſter, nè ſi vltrò ad martyrium proſilirent, fortaſſis poſiti in tormentis negarẽt.* Verùm cùm de his non ſit hæc noſtra tractatio, ſed de fortibus, perfectis, & excellentibus, quòd, ſcilicet, nõ ſuſtinere tantùm, ſed quærere, & amplexari debeant aduerſa, minimè (vt diximus) obſtãt allata Saluatoris verba. Neq; Paulũ electionis vas, gẽtium doctorẽ, & nouę naſcentiſq; Eccleſiæ iubar per feneſtram quandoque ſe ſubmitti permiſiſſe, & ſic perſequentium manus cum perſecutionibus effugiſſe, vt videre eſt 2. Corinth. 11. obicies; quia, vt Chryſologi vtar verbis,

Matt. c. 10.

Paſchaſius.

Toſtatus.

A præſſurarũ paleſtra fugere, tyronibus tõceſſum, non veteranis.

Digitized by Google

bis, ꝙ bellicosus hic miles in bello fugam arripuerit, artis fuit, non timoris; nam non martyrium, quod auidè concupierat, perhorrebat; sed certaminis campum quærebat, vt infirmis, ac imbecillis pugnandi forma esset, & norma. Quod adamussim dixit Remigius super mòx dictum Corithiorum locum: *Quæstio est in hoc loco, quare Apostolus Damasco fugerit, qui dicebat, ego non solum alligari in Ierusalem; sed & mori pro nomine Iesu paratus sum: quæ hoc modo soluenda est, quia non ideo fugit, quòd martyrium horreret suscipere, sed maluit campum certaminis quærere, & latitudinem gentium petere; quàm intra claustra ciuitatis teneri, & occidi, vbi perpauci erant credentes, qui eius martyrio corroborarentur, & informarentur, vt similia pati non dubitarent.* Remigius.

Artis fuit nõ timoris, ꝙ per sportã se dimitti fineret Paulus.

Quòd etiam D. dixit Gregorius lib. 31. moral. cap. 14. verbis illis: *Paulus secessum à certamine petit, & pugnaturus felicius, ad alia se bella seruauit: non loco virtus, sed locus virtuti defuit, & idcircò fortissimus miles ab obsidionis angustia, certaminis campum quæsiuit.* Gregorius. Artis igitur fuit, quòd bellicosus hic miles de bello fugeret, non timoris; nam per hoc imbecillibus, quibus fugiendi libertatem concessam videbat, animum, viresque addere intendebat.

5 Nuperrimè dictum, quòd nempè perfecti nec aduersa fugere, nec amplexari solummodò debeant, sed illa quærere eos deceat, atque venari ipsam Veritatem tũc edocuisse reperio, cùm pro gladij emptione tunicã esse vendendam asseruit: *Sed nunc, qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Luc. 22. quia si per tunicam non temporalem amictum, nec res solummodò necessarias, sed corpus ipsum intellexit Euthymius; per gladium hunc, non materialem tantùm, nec spiritualem dumtaxat, verbum scilicet Dei, quod iuxtà Pauli sententiã, omni ancipiti gladio penetrabilius est, dum vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum pertingit; sed mortẽ pro Christo, ac martyrium intellexit idem, qui dum dicit: *Iubet Christus, vt qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat, id est, tradat corpus, & mortem recipiat,* aperte insinuat, quòd non fugere, sed quærere; non callidè declinare, sed numerata pecunia comparare debeamus aduersa, si pro martyrio (vt ita dicam) emendo, corporis est vendendus amictus. Quod & apertioribus verbis dixit Ambrosius: *Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus, & immolata carnis exuuijs ematur tibi sacri corona martyrij;* Super præfatum Lucæ locum. Et re ipsa firmauit inuictissimus ille Christi athleta Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, qui cùm Galerij Maximi proconsulis iussu ad optatum agonis locum ductus, & iam mortẽ sibi instare cerneret, non priùs impio ferro ceruicem submittere voluit, quàm per suos familiares aureos quosdã carnifici, à quo se feriendum cernebat, pro strena tribueret; Vndè hæc in eius passione habentur: *Cyprianus in agrum Sexti perductus, ibi se lacerno birro expoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem se Domino prostrauit. Et cùm se dalmatica expoliasset, & diaconibus tradidisset, in linea stetit, & capit speculatorem sustinere. Cùm uenisset autem speculator, iussit suis, vt eidem speculatori 25. aureos darent.* ac si diceret, & si pro certo habeam, quòd excepta corporis tunica, haudquaquam alius reperatur thesaurus, quo dignè carnificis gladius, & martyrij comparari possit corona, nummos tamen carnifici tribuo, vt militiæ Christi agnoscant tyrones, quòd non vitari, sed numerata pecunia comparari debent aduersa.

Pro martyrij emptione, corporis est vendendus amictus.

Ambrosius.

Tanti martyrium fecit Cyprianus, vt aureos quosdã carnifici pro strena dare voluerit.

6 Moriar nisi hanc veritatem (quòd pro gladio emendo, vel, vt clarius dicam, pro martyrij acquisitione carnea sit vendenda tunica) proprio ore ipse mendacij confessus sit pater, quandò nouas contra sanctissimum Iobum calumnias struere volens, hæc impudẽtissimus ait: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* cap. 2. quia si pellis nomine nõ pecunia, quæ ex pellibus, siue ex bouis corio fieri quandoque consueuit, hic (vt opinãtur nonnulli) accipi potest, cùm Iobi tempore nec aurum defuisse, nec argentum benè probet Pineda. Et si per eandem nec

Iob. c. 2.

etiam

etiam ſuppellectilem (quæ propterea ſic per ſynecdochen appellatur quaſi ſub pellibus eſſet, quemadmodum docent alij) nequiſſimus intelligere poterat hoſtis, cùm hanc ipſemet ſatis apertè ab illa diſtinguat, dū non pellem tantùm, ſed cuncta etiam, quæ ab homine poſſidentur, pro anima ab ipſo dari aſſerit. Et denique ſi per pellem, quæ facilè pro anima, hoc eſt pro vita, datur, nec liberos intelligere poterat ſatan, vt Origenes, Gregorius, Lyranus, multique alij exiſtimant, cùm ex vehementi ipſorum amore plus eorum iacturas parentes ſentire videamus, quàm proprias (vnde vt acerbiùs in filijs, quā in ſemetipſis torqueantur progenitores, lege cautū eſt, ab illis in iſtorum præſentia inchoādam eſſe torturam, quādò de eodem crimine ſunt inquiſiti l. iſte quidem, §. final, ff. q̄ met. cauſa. Gand. de malef. tit. de quæſt. num. 11. Laurentius Tennicaut 90. Guid. de Suzar. in tract. de indicijs, num. 22. & fusè per Marſ. in pract. crim. in §. expedita, num. 49. Et vt denique benè, lateq; annotat Tiraq. in præfat. l. ſi vnquam, C. de reuocat. donat. num. 7.) alia eſt huius pellis, de qua verſipellis hic loquitur ſatan, quærenda interpretatio, quam ſi citò reperire exoptas, Olympiodorū lege, quem dum cutem (quæ proprietate latini vocabuli ea dicitur, quæ ſeparata eſt, & detracta ab animali, & carne, carni adhæret) pro pelle vertentem reperies: *Cutem pro cute, & omnia, quæ habet, profundet pro anima ſua*, facilè per cutem corpus (partem pro toto accipiendo) intelligere poteris; & ſic pellem pro anima dare, idem erit ac, corpus pro martyrij palma tortoribus exponere. Mea ſanè non eſt hæc interpretatio, ſed D. Antonij Paduani, qui in myſtica expoſitione ſuper Iob, hunc ait in modum: *Pellem pro pelle, ideſt, corpus illud pelliceum, & mortale dabit homo carnifici; & tortori, & exponet gladio tyrannidis, & mortalitatis.* En quomodò volens, nolens mendacij pater hanc confeſsus eſt veritatem; quòd adeò ſint pro Chriſto affectandæ paſſiones, vt etiam corporis ſit vendenda tunica, vt perſecutoris gladius, vel vt melius dicam, martyrij corona comparetur, & palma.

Olympiodorus.

D. Anton. de Padua.

Martyrij pretium volens, nolens diabolus explicauit.

7 Qua poſteà animi magnitudine, quàmq; audacter in tribulationes, & mortē mortis Victor irrueret, nec cœli enarrare, nec firmamentum annunciare facilè poteſt; nam non tantùm ad comprehenſores vltrò pergebat, vt ſuper locum illum: *Eamus in Iudæam iterum.* Ioan. 11. ait Ferus: *Vide autem quò ſe, ſuoſq; ducat Chriſtus, nō ad voluptatē, aut mundanas delicias; ſed in Iudæam, vbi perſecutores erant. Ad crucem igitur ſuos ducit, immò per crucem ad gloriam.* Et ſuper illum; *Cùm appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage.* Matt. 21. annotauit Aymo: *Redemptor noſter pro humani generis ſalute paſſurus, imminente tempore paſſionis ſuæ, voluit & ipſe loco, in quo interficiendus erat, appropinquare: nè quis, ſcilicet, diceret, illum mortis ſupplicium expauiſſe.* verùm ad mortem etiam ipſam quantùm poterat, feſtinabat; vndè Ieroſolymam, in qua ſe paſſurū prænūdebat pergens, adeò patiēdi (ſi fas eſt dicere) ferebatur amore, vt ad certamina, & paſſiones currere potiùs, quàm ire videretur; quod & diſcipulos in ſtuporem adduxiſſe fatetur D. Marcus, dum dicit: *Erant autem in via aſcendentes Ieroſolymam: & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant. Et aſſumens iterū duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei euentura: Quia ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum.* cap. 10. vbi Brugēſis: *Ieſus autem re ipſa oſtendere volens ſe mortem non timere, immò vltrò expetere, præcedebat eos, & ſtupebant, ideſt, vehementèr admirabantur diſcipuli conſilium ipſius, in manifeſtum vitæ periculum deliberato animo ſe cōijciētis.* Quod & ſi diſcipulos ſtupere fecit, me tamen maiorem in ſtuporem induxit, quòd cùm aduerſis rationabili aliqua de cauſa inſilire non valeret, ad ſe illa pro viribus, aduocaret; nam vt perſubtiliter ſuper verba illa: *Sitio*, Ioan. 19. obſeruauit Auguſtinus, propterea fortè ſitire ſe dixit, quia vas aceto plenum, ad quod clauis tētus currere non poterat, per hoc ſibi

Ioan. c. 11.

Ioan. Ferus.

Matt. c. 21.

Aymo.

Marc. c. 10.

Brugenſ.

Audacter tribulationibus inſiliebat Chriſtus, & morti.

Ioan. c. 19.

Digitized by Google

propinari satagebat; vndè modò dictus Augustinus tract. 119. in Ioan. *Sitio, tamquam diceret: hoc minùs fecistis, date quod estis.* Ac si persequutores, & aduersarios, satellites, & crucifixores his verbis in Christi alloqueretur persona: si cõtra me felle replemini, & amaritudine, cur hæc ipsa nõ effudistis? Si me clauis cõfixũ ad vas aceto, & felle plenũ currere non valere videtis, quid est, q̃ illud mihi non propinatis? Si linguam tantùm dolorum exortem perspicitis, cur illorum consortem non redditis? Sic aduersa (vt paulò superiùs diximus) ad quæ inuictissimus Dux currere non poterat, aduocabat.

Augustinus.

Dolores in quos irruere Christus nequibat, quãtum poterat, aduocabat.

8 Eia igitur commilitones si ob id fortium describuntur certamina, vt iuxtà Chrysostomi dictum: *Possimus etiam ipsi talibus prouocari exemplis, virtute pari, deuotione consimili, ac fide, vt Christo præstante dimicare, & vincere hostem possimus, vt parta victoria cum ijsdem sanctis in regnis cælestibus triumphemus.* serm. 1. de Martyr. cur reuocato animo, exertisq; viribus eorum constantiam non tenemus, sectamur fidem, & eorum passionis non imitamur virtutem? An nescitis, quòd, qui iuxtà Augustini sẽtentiã, sanctos martyres, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem peruenire nequibit? Quòd si vos agonis terret certamen, Beatissimum martyrem Cyprianum Carthaginiensis Ecclesiæ Episcopum audite dicentem: *In Apocalypsi dicitur: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & omni tribu, populo, & lingua: stantes in conspectu throni, & Agni: & erant amicti stolis albis, & palmæ erant in manibus eorum: Et hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Quòd si tantus ostenditur, & probatur christianorum martyrum populus, nemo difficile, vel arduum putet esse, martyrem fieri, quando videat martyrum populum non posse numerari.* De exhortatione martyrij. Si posteà, quod magis interest, Ducem nostrum, Regem, & Deũ in persecutiones, & mortem irruisse videmus, Ducem sequamur, Regem pro modulo nostro imitemur, fortiter ad aciẽ prouocati, fortes, & stabiles ad quæcunque certamina prompta deuotione prodeamus. Respiciamus ad Christum verum Abraham patrem nostrum, & ad Ecclesiam, veram Saram, quæ peperit nos, vt exemplo vtriusque roborati, crescente pugna, pugnantium crescat & gratia. Et quidem si momentaneũ hoc, & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Si ob paruam ægritudinem Lazarus Abrahæ sortitus est sinum, dicente Chrysost. ad Olympiã epist. 8. *Lazarus enim ob solam infirmitatem similem Patriarchæ adeptus est finem.* Si latro in paucis vexatus, in multis benè dispositus est, dicente mòx dicto Chrysost. quòd non absque ratione statim ei sunt paradisi reseratæ ianuæ, quia nihil prorsùs inter cœlum, & crucem mediare valet. Denique, vt cętera sileam, si non defuit, qui diceret, quòd Procle Pilati vxor Saluationis adepta sit præmium, quia per somnium tantùm pro Christo passa describitur, cuius sententiæ Origenes videntur, & Theophylactus, quorum hic: *Prouidentia opus somnium factum, non vt absoluatur Christus, sed vt seruetur vxor.* Ille verò tract. 35. in Matth. *Ideò per visum passa est, nè ampliùs pateretur, vt beatam fuisse dicamus Pilati vxorem, quæ per visum passa est multa propter Iesum, quæ vobis reposita erit corona, si bonum certamen certaueritis, si cursum consummaueritis, si fidẽ seruaueritis?* Nulla æquidem alia, nisi de qua Isaias cap. 28. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.*

Chrysostom.

Cyprianus.

Ex martyrũ caterua martyrii arguitur facilitas.

Chrysost.

Erumnarũ fructus eximius.

Theophyl.

Origenes.

Etiã per visũ pro Christo pati adeò vtile existimant nõnulli, vt saluam prædicẽt Pilati vxorem, quia per visũ pro Christo passa describitur.

Isa. c. 28.

Cùm ergo audiſset Pilatus hũc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum: & dixit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Ioan. 19.

§. II.

Quo humana ſalutis æstuaret ardore Saluator, oſtenditur.

1 QVi prophetarum ora aperire conſueuit, nunc ſilẽtio obſerat ſuum. Qui infãtium linguas facit diſertas, ac ſi affatu minimè præditus, ſilet. Et qui ex lactentium ore laudem ſibi perfecit, modò obmuteſcit, & tacet, quare hoc? Si quia cùm pro re diuina ab Ethnicis ſilentium habeatur, dicente Phyloſtrato lib. 1. Apollon. cap. 1. *Silentium pro re diuina à Pythagoræ diſcipulis celebratur. Multa namque diuina, arcanaque ab eo dicebantur, quæ comprehendi non poterant, niſi ab ijs, qui prædiciſſent, quòd ipſum ſilere oratio eſt*, maiorem, qui altè ſilet; quàm, qui diſertè loquitur admirationem incutit (vti benè docere nouit Dio Pruſeus: *Si omninò ſilẽtium agam, & nulli diſſeram, multò magis ſuſpicaturi ſunt homines, me propter ea, quæ ſcio, grauitatem induiſſe, & tanquam ſtudioſum celare. Multi enim propter ipſum in admiratione fuere ſilentium*) etiam tacendo admirationi eſſe volebat, qui loquendo mundum totum in ſtuporem adduxerat, cùm, iuxtà Salomonis ſententiam, loquendi etiam tempus adſit quandoq; cur tantæ petitioni: *Vnde es tu?* Ioan. 19. cui alia par eſſe minimè poterat, non reſpondet: Ego non per voluntatis imperium, ſed per naturæ neceſſitatem; non per actum operatiuum, ſed per productiuum; non per actum intelligendi, ſed per actum dicendi, cum identitate naturæ; ſed in alietate ſuppoſiti ab illo ſum, qui à nullo eſt: Ab illo ſum, qui etſi æternus, & infinitus ſit, me tamen, nec tempore præcedit, nec præcellit potentia, cùm ei coæternus, coæqualis, conſubſtantialis ſim: Ab illo sum, cum quo eamdem eſſẽtiam, & voluntatem habens, cum ipſo non vt duo principia, nec vt duo ſpiratores, ſed vt duo ſpirãtes cum ſumma neceſſitate ſimpliciter dicta, nedũ immutabilitatis, ſed etiam ineuitabilitatis libere, non quidem libertate reſpiciente actum ſpirãdi, neq; quoad exercitium, neq; quoad ſpecificationem: ſeu neque libertate cõtradictionis, neque contrarietatis, ſed libertate eſſentiali, quæ præciſè ſe tenet ex parte ſpirantis principij, quod eſt per modum voluntatis, Spiritum Sãctum per omnia mihi, Patrique æqualem produco? Cur hæc, aliaq; innumera, quæ huic tantæ petitioni, cui, ſua excepta lingua, nec humana alia, nec Angelica ſatisfacere potuiſſet, non reſpondit? Nec difficultati occurrit dicere, quòd iuxtà Plinij Iunioris ſententiam, non minùs quandoque oratorium ſit profundè ſilere, quàm altè loqui: *Ipſe rarò, & breuiter interlocutus, multum me intrà ſilentium tenui. Accepi enim non minùs interdum oratorium eſſe tacere, quàm dicere: atque adeò repeto, quibuſdam me capitis reis vel magis ſilentio, quàm oratione accuratiſſima profuiſſe.* Epiſt. 6. lib. 7. nam cùm Pilatus gentilis eſſet, non ſilentio, nec paucis verbis; ſed multis, ipſiſque claris erudiri debebat; cur ergo loquendi prætermiſſa occaſione, tacet Verbum, & obmuteſcit, qui mutis affatum reddiderat pluries? An fortè ea humanæ ſalutis æſtuabat cupidine, quòd nè inducias pateretur redemptio, iuxta Iſaiæ vaticinium, *Coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum?* Ità inter cæteros ſenſit Lyranus, dum dicit: *Non reſpondit ei verbum, quia nolebat paſſionem ſuam impedire.* Magnum equidem deſiderium, ingens eſt cenſenda cupiditas, quæ tàm reſponſioni locum adimit, quàm defenſioni.

2 Quo noſtræ ſalutis deſiderio afficeretur Saluator, ſatis commodè probari poſſet ex eo, q̃ nunc amico-

rum

Phyloſtrat.

Silẽtium diuinum quid ab Ethnicis nũcupatum.

Dio Pruſæus.

Non loquẽdo, ſed filendo multi in admiratione fuere.

Ioan. c. 19.

Productiones in diuinis duæ: per modũ intellectus vna, & per modum voluntatis altera.

Plin. Iun.

Non minus quandoque oratoriũ eſt ſilere, quàm dicere.

Lyranus.

Cur Chriſtus tãquam agnus corã tondente ſe obmutuit?

rum amori peccatorum præferebat salutem, vt ex aduocatis ad illam magnam cenam, de qua Matt. 24. appareret, dum ad eam mali priùs, quàm boni propterea vocati describuntur; quia plus ouis perditæ acquisitioni, quàm nõ amissarũ, vt ita dicam, conseruationi inuigilat. De qua re fusè fer. 5. Dom. pass. §. 3. num. 2. & 3. Nunc discipulorum societati illam anteferebat, quapropter hominum redemptioni, licèt nescius, cùm Princeps aduersaretur discipulorum, satana à Christo, qui illam peroptabat, vocatur: *Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* Matth. 16. Vndè Bernardus: *Vocauit satanam, eò quòd saluti, licet nescius, aduersaretur, qui Saluatorem mori prohibebat.* Nunc Matris ipsius reuerentiæ, obseruantiæq; illam anteponebat; vndè è cruce tamquam ex magistrali cathedra docens, non priùs matrem, quàm latronem alloquutus describitur: quia (ni temerarius videor) plus peccatorum salutioni, quàm matremo incumbebat honori. Quod & dixit Ambrosius lib. 10. in cap. Lucæ 23. *Nec præposterum iudicetur, quòd priùs latronis absolutionem, quàm matris appellationem scripsit. Qui enim venerat saluos facere peccatores, non absurdum si priùs in meis scriptis susceptum munus in redimenda salute peccatoris impleuit. Denique ipse ait, non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et obseruauit Chrysostomus hom. 22. super illud Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* cùm hæc habuit: *Curæ enim ipsi erat maternus honor, sed longè magis animarum salus.* Nunc denique præter hæc, sibi etiam, suæque vitæ illam longè præferebat; nam, vt piè admodum obseruat Pinctus super cap. Isaię 53. propterea coram Pilato, & Herode interrogatus obmutuit; & irrequisitus in cruce reconciliationis voces ad Patrem emisit, quia plus hominum salute, quàm propria afficiebatur vita. Modò dicti Pincti verba sunt: *Quid est hoc Domine Iesu, quòd coram Pilato, & Herode, vbi agitur de tua vita, siles, in cruce verò, vbi agitur de salute nostra, etiam non interrogatus voces emittis? Quid est hoc, nisi demonstrare tuam erga nos immensam charitatem, amorisque illius admirabilis in hominum genus, quo summè flagrabas celsitudinem, & abundantiam? Pluris nostram salutem, quàm vitam tuam faciebas, ideò pro transgressoribus exorabas.* Quæ si insufficientia nostri instituti tibi argumenta videntur, quid si nunc opes, quibus ditescit; nũc cibũ, quo alitur; nunc oculos, quibus videt, & nunc vitã, qua viuit, hominum salutem ipsum existimantem audies? & tamen plusquam vera sunt omnia; nam (vltra Nanzianzenum dicentem: *Deus nos pro diuitijs habet*) Saluianus super illud Eccl. 4. *Non satiantur oculi eius diuitijs*, nunquam ipsum his diuitijs exaturari asserit, cùm dicit: *Non satiantur oculi eius diuitijs, quia semper nostram desiderat salutem.* Et Vgo Card. posteà, haùd quaquã suauissimum Christi oris cibum peccatorum conuersionem vocare destitit; cùm ipsum Isaac (qui hædis libentèr vescebatur, iuxtà illud: *Affer mihi duos hædos optimos, quibus pater tuus libenter vescitur.* Gen. 27.) propterea cõparandum asserit, quia perlibentèr peccatoribus per hædos figuratis, cõtritionisq; igne assatis vescitur, ac nutritur: *Rebecca, ideſt, gratia cõsulit Iacob, ideſt, simplici, vt pergat ad gregem, ideſt, exempla sanctorũ consideret: & ibi duos hædos accipiat, ideſt, peccatorũ exprobrationẽ. Nullus enim cibus magis saporatus est Deo, quã cõuersus inuenis ad pœnitẽtiã.* Præfatus Vgo. Et Stephanus Cãtuariẽsis tanti peccatores (vt diximus) Christũ fecisse asserit, vt ad oculorũ suorũ instar facilè cœtera membra, sicuti fieri solet, pro ipsorum conseruatione exponere non perhorruerit; dum super illud Deuter. 32. *Custodiuit eum quasi pupillam oculi sui*, hunc dixit in modum: *Homo pro pupilla oculi tuenda totum corpus exponit, sic & Christus membra sua morti crucis pro nostræ salute exposuit.* Et denique si iuxta supra allati Vgonis sententiam ob id etiam Christum in se viuere dixit Paulus: *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus*, ad Galat. 2. vel quia post baptismi susceptionẽ, eam vitæ rationẽ sibi instituerat, vt nihil ageret, nisi quod Christo placeret (quæ germana est loci interpretatio) vel quoniam adeò

Matth. c. 16.

Bernardus.

Hominũ salutem discipulorũ necessitudini præferebat Saluator.

Ambrosius.

Chrysost.

Curæ erat Christo maternus honor, sed longè magis animarũ salus.

Pinctus.

Pluris Christus nostram faciebat salutem, quàm suam vitam.

Nanzianz.

Pro diuitijs nos habet Deus.

Saluianus.

Gen. c. 27.

Suauissimus diuini oris cibus peccatoris contritio.

Vgo Card.

Deuter. cap. 32.

Steph. Cantuariensis.

Oculorum Christi pupilla peccatoris salus.

Galat. c. 2.

Digitized by Google

adeò Christus sua delectabatur conuersione, vt in ipso (si fas est dicere) videretur viuere: *Viuit in eo Christus, sicut bonus pater dicitur viuere in bono filio Eccles. 30. Mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se.* Mox dictus Vgo, iure optimo hominum salus censenda est quodammodo Christi vita, qua viuit.

Vgo Card.

3 Verùm si his minimè contentus validiora pro hoc instituto argumenta exoptas, ad illam te mitto difficultatem, cur Paulus Christi natalis diem seculorum finem nuncupauit, quando ad Hebræos scribens hunc dixit in modum: *Nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit?* cap. 9. Si ab eius aduentu tot secula præterierũt, & lustra, quomodò diem aduentus ipsius postremum, mundi diem appellat? Scio non defuisse dicentes, quòd per seculorum finem vltimam Paulus intellexit ætatem; at pro præsenti argumento aliam liceat afferre difficultatem, ex cuius solutione facilè prioris pẽdebit solutio: quid est, quòd Christus corporis sui, & sanguinis Sacramentum instituere volẽs, non absq; gratiarum actione, & oculorum eleuatione instituit, vti expressè ex Canone habemus: *Qui pridiè quã pateretur accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cœlum ad Deum patrem suum omnipotentem: tibi gratias agens, benedixit, ac fregit?* Quòd antè consecrationem gratias Patri rependeret, non miror; quia completis, quæ ad legale conuiuium spectabãt, euangelicum aggrediebatur, quod cùm bona gratia interpretetur, absque gratiarum actione inchoari minimè debebat; at oculi cur ad cælum leuantur? Si dicis, quòd ad ostendendum cœlestem, non terrenum esse Patrem illum, cui ipse vt homo grates rependebat, esto; sed cur cùm eumdem aliàs alloqueretur, oculos nequaquam eleuasse describitur, vti ex 12. cap. Ioannis apparet? Aut si ex inopinato rei optatæ aduentu oculos ad cælum leuare, Deumque voce magna laudare maximi desiderij, maximiq; gaudij indicium est; quis ex

Hebr. c. 9.

Natalis Christi dies postremus seculorum dies vocatus à Paulo, & quare?

summo patiendi appetitu diù dilato, & tunc tãdem assequuto Saluatorem id effecisse negabit? *Ideò certè gratias egit*, dixit Aym. *vt quantum de profectu nostræ salutis gratularetur, intimaret.* Ecce nũc tibi cur dies aduentus Christi postremus mundi dies nuncupatur, quia tanto studio veniendi, patiẽdi, nobisque salutem conferendi diuinum Verbum ardebat, vt tandem aliquando optato hoc adueniente die, vltimum mundi diem præ desiderio, & expectatione sibi aduenisse videretur: *Quam salutem statim à creatione mundi hominibus non communicauerat, in finem seculorum reiectam putauit*, ait Chrysostomus: ac si diceret; quòd vix tandem in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, antè quemquam infantilem vagitum diuinis forsan ocellis ad Patrem leuatis (vt piè excogitare fas mihi est) summas illi gratias rependeret Puer, qui natus est nobis, & Filius, qui datus est nobis, nimia veniendi, saluandique cupiditas in causa fuit; quia cùm præoptata humani generis saluatio in finem mundi præ nimio desiderio ei reiecta videretur, adueniente tandem cum oculorũm eleuatione, & gratiarum actione, in lętitiæ signum, excipi debebat,

Aymo.

Chrysostom.

Præ nostræ salutis amore summo se incarnandi desiderio æstuabat Altissimus.

4 Manifestè nunc intelligo; cur inter tot præclara Christi nomina scuti Admirabilis, Germinis, Iusti, Decori, Speciosi forma, Iesu, Messiæ, Saluatoris, Petræ, Lapidis angularis, Consiliarij, Fortis, Ducis, Gigantis, Leonis, Principis pacis; Patris futuri sæculi, Fontis aquæ viuæ, Fructus terræ, Panis vitæ, Radicis Iesse, Domini, Põtificis, Medici, Emmanuelis, Aquilæ, Mediatoris, Veritatis, Lucis, aliorũque multorum à Patre tamen Accelera vocaretur dicente Isaia cap. 8. *Dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahere*, quia tanta erat filij Dei se incarnãdi anxietas, tãtus accelerandi ardor, quòd vt rei cõsonum esset nomen, Accelera à Patre vocatur; ac si diceret: vt secundum nomen tuum sic, & laus tua sit, Accelera te appello, vt quanto salutis humanę accelerationis desiderio afficereris, agnoscatur: *Accelera spolia detra-*

Isai. c. 8.

Digitized by Google

trahe, ait Hector Pinctus super citatum Isaiæ locum, *est vnum nomen. Festina prædari, est alterum: voluit Deus his nominibus ostendere esse Christum magna cum festinatione à dæmone mundum erepturum.* Et quidem si vix natus, de propinquo pastores, & de longinquo statim ad se Magos perduxit (vt ostenderet, quòd non solum Iudæorũ reliquiæ, quæ per pastores Iudæos significabantur, sed etiam Gentes, quorum primitiæ erant Magi, salutem assequi debebant) congruentèr nimis, Accelera nuncupatur.

Hect. Pinct.

Christus Accelera vocatus, & quare?

5 Fixum itaque cùm remaneat, quòd propterea postremum seculorũ diem, natalis sui diem existimauit Saluator; quia veniendi, redemptionẽ operandi, salutemque accelerandi flagrabat ardore; quid post festinationẽ, atque incarnationem pro nobis effecerit, intueri te vellẽ; & omissis quæ in infantili gessit ætate (nam, vt nuperrimè dixi, antequam patrem suũ, ac matrem suam vocare addisceret, hoc est, priusquam Emmanuel humanitate assũpta ad illud perueniret ætatis, in qua pueri patrem, & matrem vocare sciunt, mundi fortitudinem, ac sapientiam destruxit, & spolia satanæ abstulit, hoc est, mundi homines à diaboli potestate eripuit) si quę adultus effecerit tantillum scrutaberis, ipsum adeò salutis impertiendi cupidũ reperies, vt nũc suam clarificationem illã appellaret, vt super illud Ioan. 12. *Venit hora vt clarificetur Filius hominis*, annotauit Augustinus tract. 51. in Ioannem: *Hic quisquam forsitan putet, ideò se dixisse glorificatum, quia gentiles eum volebant videre, non ita est: sed videbat ipsos gentiles post passionem, & resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros, quia sicut dicit Apostolus: Cæcitas ex parte in Israel facta est; donec plenitudo gentium intraret.* Nunc suę totius substantiæ vocabulo illam nuncuparet, dicente Chrysostomo hom. 69. in Ioan. super illud: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, cap. 13. *Traditionem autem in hoc loco fidelium salutem appellare mihi videtur; nam & cùm dicit: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, de hac dicit traditione: Sicut cùm inquit: Tui erant, & mihi eos dedisti.* Nunc denique pro hac substantia, substantiam (ni temerarius videor sic dicendo) à matre acceptam dissipando, se sancta prodigalitate prodigum ostenderet; sicuti piè admodum verba explicans illa: *Da mihi portionem substantiæ, &c.* Luc. 15. dixit Gulielmus de Cailloe à Tilmanno relatus: *Quis vnicus prodigus inuenitur, sicut ille Vnigenitus Patris, qui portionem corporis, scilicet, & animæ, quæ contigebat eũ, & patrimonium (si dici debeat) quod à matre contraxit, dissipauit, atque consumpsit cum meretricibus, ideſt, cum peccatoribus, & publicanis, non luxuriosè, sed laboriosè viuendo? Filius ille iunior euangelicus accepta famis iniuria, defecit impatiens laboris, & in miseriis non subsistens, hic in fame cucurrit, & siti cuiscerãs semetipsum, & omnem pretiosam margaritam porcis spargens, qui pretium eius repellere cogitabant. Effudit enim de spiritu suo super omnẽ carnem postquam remeauit ad Patrem, nescio an carne, an spiritu magis prodigus, vt quos caro saturauerat, spiritus inebriaret.*

Ioan. c. 12.

Animarum salutem suã vocabat clarificationẽ.

Ioan. c. 13.

Chrysost.

Suum cẽsũ, atq; diuitias.

Lue. c. 15.

Gulielm.

Vt sanctus prodigus pro peccatoris acquisitione matris dissipauit substantiam.

6 Cæterùm quid calamum sic velociter per tot diuersa vagari sino, in excessiuo illo salutem impertiendi desiderio, quod in fine hic verè desideriorum vir ostendere non est dedignatus, illum parumper sistam: & ad quid illud, *Ergo*, de quo Ioan. 19. ait: *Vas ergo erat positum aceto plenum*, referatur, subtiliter trutinabo; quia licet Toletus ad sitim illud referri existimet, vt sic argumẽtari posse videatur, quia cùm cruci affixi dolorum nimietate, & humorum priuatione siti laborare solerent; & cùm acetum mortem sauciis acceleret, acetum ergo in vniuscuiusque crucifixione parabatur, vt morte citiùs adueniente, citiùs à dolore liberarentur: *Indicant verba hæc Euangelistæ, his qui erant affigebantur, acetum dari solitum, ea de causa erat vas deputatum aceto plenum. Acetum hoc valdè probabile est ministrari solitum, vt citiùs morerentur; nam acetum valde vulneribus nocet: vt igitur myrrhatum vinum à principio propinabant, vt mitiùs dolores sentirent; ita etiam postea aceto potabant, vt citiùs à tormento illo per mortem liberarentur.* Nihilominus si vt ipsemet

Ioan. c. 19.

Toletus.

Acetum cur in Christi passione paratum?

Digitized by Google

ſemet ſubdit, in nulla in his Chriſti crucifixoribus pietatis erga Chriſtum vigebat ſcintilla; alia pro re noſtra, ad quid illud, ergo, referri debeat, eſt quærenda ſententia; & nè in longum ſermonem protraham, arridet mihi illa opinio; quòd non tàm ad illud verbum, *Sitio*, quàm ad antecedentia, nempè ad illa: *Poſteà ſciens Ieſus, quia omnia conſummmata ſunt*, referri quodammodò debeat, vt ſit (niſi incongruum iudicetur) ſenſus: ſi benè ſciebat Ieſus, quòd in omnium conſummatione magnam humanæ ſalutis ſitim oſtenderat; ergo maximam tũc oſtẽdere debebat. Flecto adhoc Chryſoſtomum, qui dum hom. 84. particulam illam, ergo, præponit, & antecedentibus nectit, meum firmare videtur cogitatum: *Sciens ergo omnia conſummata, dixit: Sitio. Etiam hoc verbo prophetiam adimplens.* Et clariùs poſt ipſum Ioannes Ferus: *Hanc quidem ſitim ſemper habuit, nunc autem in paſſione, uel maximè manifeſtabat eam. Hic enim uerè apparet, quòd ardenter ſitiret ſalutem noſtrã, quamuis hoc ipſum alias omnia etiam eius opera teſtentur.* En quomodò verus deſideriorum vir, qui in vita ſemper ſaluandi deſiderio arſerat, in fine ſe exardere declarauit.

Chryſoſt.

Io. Ferus.

Cùm omnia Chriſti opera noſtrã teſtarentur ſalutem, vel maximè in cruce ſitis eã teſtabatur.

7 Si callidum illum ſerpentem, qui ſuis venenoſis affiatibus primos noſtros infecit parentes, alloqui fas mihi eſſet, non, vt cunctorum mortalium mater, cum eo de diuinitate ſermonem haberem, ſed quid intenderet, cùm ſummis ſacerdotibus ſuadebat, vt Chriſto dicerent: *Chriſtus rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut uideamus, & credamus*, Marc. 15. pluſquã libẽtèr ab eo percontarer; quia ſicuti, per hæc ſacerdotum quæreret conuerſionem, qui ſemper auerſionem ſuadet, nullus ſanæ mentis capere poteſt; ſic quòd Chriſti conſuleret vitæ, qui eius mortẽ modis omnibus procurauerat, haùd quaquam mihi ſuadere quis poſſet. Et ſanè nec per hoc Iudæorum ſalutem (qui ſaluti ſemper aduerſatur, nec Chriſti conſeruationem, qui ſic ſanguine delectatur, & cœdibus, quòd Iobi filios antequam occideret, tumulauit) verſipellis procurabat hoſtis, ſed redemptionem quantùm poterat, impedire ſatagebat; vt optimè dixit Vgo Card. verò illis: *Ecce quomodò moliebatur diabolus per ora detractorum, & blaſphemãtium, ut non ſolueret pretium redemptionis noſtræ; vt captiuos non redimeret; ut in ſempiternum nos retineret. Nolebat offerri ſacrificium noſtræ reconciliationis, ut nos et ſemper ſeruire liceret. Nolebat, quòd biberet calicem paſſionis, & antidoti, quo omne uenenum eius expurgandum erat.* Patet itaque, quòd redemptioni obſiſtere intendebat, qui deſcenſum totis viribus ſuadebat, nil certè aliter. At ſi hoc baptiſmate baptizari, hoc calice potari, & hoc mortis genere vitam claudere tàm auidè Chriſtus optauerat, quòd nunc moræ (vt ita dicam) videbatur impatiens, nunc Petrum calicis ſumptionem præpedientem ſatanam vocabat, et deniq; vt cętera ſileam, nunc horam ſuam, ſuæque glorificationis tempus, mortis exiſtimabat aduentum; quã ſpem illum alliciendi, decipiendi, & à moriendi propoſito remouendi habere poterat hoſtis? Nullam ſanè dixit Bernardus, niſi illam, quòd zelo ſaluandi aſtantes, qui ex deſcenſu ſeſe ei credituros promittebant, deſcenderet: *Hæc planè ſerpentis aſtutia*, ait ipſe ſerm. 1. in die Paſchæ, *hæc adinuentio nequitiæ ſpiritualis. Nouerat impius quãtum pro ſalute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitioſè nimis linguas erudiens blaſphemorum, ſuggerebat vt dicerent: Deſcendat & credimus ei. Quaſi iam nihil poſſet obſtare, quin deſcenderet, qui eorum credulitatem tantopere deſideraret. Sed non mouetur vana pollicitatione, qui nouit omnium corda. Eò quippè sẽdebat malitioſa ſuaſio, nõ vt ipſi crederent: ſed vt noſtra quoq; fides in eum modis omnibus deperiret.* Manifeſtiùs, meo iudicio, dicere volens: tanta erat Saluatoris ſaluandi cupiditas, quòd diabolus ipſe, qui artem nullam contra ipſum valere expertus fuerat, ſalutis zelo ſe illum decipere poſſe exiſtimauit: propterea fictam quorumdam credulitatem obiecit; non quòd illorum quæreret ſaluationem, qui hominum ſemper perditioni inuigilat, ſed vt Dominus paucorum ſalutis zelo, de cruce deſcendendo, ſa-

Marc. 6. 15.

Vgo Card.

Paſſionis calicem quantum poterat, præpedire ſatagebat diabolus.

Bernardus.

Quid è crucis amplexibus Chriſtũ abſtrahere poſſe putaret diabolus, declaratur.

Digitized by Google

salutem negligeret omnium.

8 Quòd tandem (vt præsentem claudam tractationem) carnem pro salute nostra immolante Saluatore, spiritum immolaret Virgo B. iuxta illud Ernaldi apud Tilmannū: *Christus ergo carnem, Maria spiritum immolabat. Et sic vnum erat, quod diuersa exhibebat officia.* Quòd Angeli adeò ouis inuentione lætentur, vt proprio ore dicat Veritas ipsa: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Lucæ 15. super quæ verba Gorranus: *Tale est gaudium Angelis, quale esset in curia magni regis, si filius eius liberaretur ab igne inferni; vel si liberaretur à patibulo.* Et denique quòd Christi discipuli gentium conuersione gauderent, vt patet ex illo Ioan. 12. vbi habetur, quòd gētilium quorumnam conuersionem audiens Philippus, Andreæ eam retulit, vt commune esset gaudium, cōmunisq; lætitia: *Patet*, ait D. Bonauētura, *discipulorū benignitas, quòd audierunt petitionem gentilium: & appetibilitas salutis eorum*, vndè ortum habebat, originemq; ducebat; nisi quia Magistri doctrinam sequebantur discipuli, Domini voluntati se conformabant seruuli, & Filij desiderijs se accomodabat mater? Quæ omnia nostram deplorādam confundunt vecordiam, quæ Deo acceleranti, festinanti, & nos ardentèr quærenti nō occurrere, sed torpere facit. Quòd si tandem in nos conuersi, nostram agnoscimus desidiam; surgamus, festinemus, & adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt gratiam consequamur, & gloriam.

Ernaldus.

Carnē pro nobis immolante Christo, spiritum immolabat Virgo Beata.

Luc. c. 15.

Gorranus.

Quàm Angeli salute nostra letētur, expēditur.

Bonauent.

Christi exēplo edocti gentium salutem desiderabant Apostoli.

Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Ioan. 19.

§. III.

Ipsasmet abiectionis adinuētiones, quibus validè iustos mundus deprimere satagit, in exaltationis media diuinitùs vertere solet Altissimus.

1 TRiumphalem inscriptionem, quam super diuinissimum Saluatoris caput Pilatus imposuit, relicto causę vocabulo, quo eam nuncupauit Matthęus, titulum appellauit Ioānes, & quidem solertèr nimis, quia si cuncta in volumine contenta paucis verbunculis titulus exprimere solet, paucis sanè quid supernus hic liber è cęlesti, vt ita dicam, bibliotecha ad nostrā eruditionē missus contineret; titulus ille explanat; nam auctoris nomen, patriam, & officium, quæ tria nullus quāuis difertissimus verbis multis sufficienter narrare quiuisset, satis commodè verbunculis quatuor complectitur ipse, dum in ipsa prima huiusce libri pagina scribitur: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Ioan. cap. 19. quia si Iesus salutem sonat, quæ salus, seu reparatio etsi ab vno Angelo bono, vel à puro homine in gratia concepto (quod diuinæ non repugnabat potentiæ, si Deo placuisset aliquod sibi placitum ab illo pro nobis oblatum acceptare) effici potuisset, vt optimè probat Scotus in 3. dist. 10. quæst. vnica in corpore quæstionis; cùm tamen Dei supposita ordinatione, quæ vt actum est, fieri ordinauit; necessariò, non necessitate simpliciter, sed secundum quid; nō coactionis, sed suppositionis; non cōsequentis, sed consequentiæ à Deo homine fieri debuisset, iuxtà illud:

Ioan. c. 19.

Triumphalis crucis tituli magnalia exponūtur.

Deus

Iſai.c.35. ***Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos.*** Iſai. cap.35. tres principales tractatus, vel (vt aptiùs loquar) tres maximos huius diuiniſſimi libri articulos, diuinã .ſ.eſſentiã,naturę humanę in hypoſtatica vnione aſſumptionem, ac præſtãtiſſimum Redemptoris officium hoc auguſtiſſimum nomen,*Ieſus*, declarabat.Vndè Gorranus ſuper cap. Matt. 1. breuitatem huius dictionis conſiderans, ait: *Vide breuitatem in nomine, quia, Ieſus; Immenſitatem in virtute. Actor.4. Non eſt aliud nomen datum ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et ſi poſteà,*Nazarenus*, vltra patriæ ſignificatum, ipſum etiam illum tamquam florem,qui ſaluationis fructum peperit,declarat.Et ſi,*Rex*,vltra poteſtatem à Patre acceptam, quandò ſecũdum id,quo minor eſt Patre, nempè, ſecundum quòd homo, rex ab illo conſtitutus eſt ſuper Sion mõtem ſanctum eius; voluntatem etiam regnandi in nobis per gratiam inſinuabat. Et denique ſi, *Iudæorum* nomine, nedum Hebræorum, ad quos ſalus primò directa eſt,verũ Gẽtiũ etiã ipſe Rex, Dominus,& Redemptor ſignificabatur, iure optimo triumphalis inſcriptio titulus nuncupatur; quia per ipſum, quàm compendioſè,tàm myſteriosè huius diuiniſſimi libri, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ Dei declaratur ſummarium. At ſi titulus à tuẽdo dicitur,quaſi tutulus,eò quòd factũ tueatur auctoris, quid eſt, quòd Pilatus Chriſtum morti addicens, eius præconia, magnitudinem, atque innocentiam per hunc titulum tuetur,dum nullam aliã mortis eius rationem aſſignat, niſi quia, Ieſus; qui vt Saluator per ſanguinem ſemel in ſancta intróire; vt flos,fructum ſalutis parturire;atque vt Rex, ex electis Iudæis,& Gentibus regnum Deo, & Patri tradere debebat? Scio non deeſſe dicentes, diuinitùs quidem hoc factum fuiſſe,ſed neſcientèr Pilatum id effeciſſe, cuius ſentẽtiæ poſt multos antiquiores fuit Vgo Card. qui dixit: *Sed quare hoc ſcripſit Pilatus? Gloſſa dicit,quòd operabatur diuina vis in corde neſcientis:* Nihilominus & diuinitùs quidẽ ex parte Dei,& callidè, malitioſèque nimis ex parte Pilati (vt ſcilicet tanti ſceleris apud plebeios, & magnos; apud vulgares, & ſuperiores excuſationem haberet)hac adinuentione ipſum vſum fuiſſe, aſſerunt alii; vel,vt clarius dicam, vt Cęſaris iram, in quam per innocentis, ſanctiſsimique necem ſe incurrere verebatur, effugeret, falſam Iudæorum accuſationem de regni vſurpatione publica inſcriptione, aliàs inſueta,exaggerat: *Pilatus mundana ſapientia aſtutus* (ait Ferus)*nouum quid excogitat,ac titulum, vel ſchedulam facit, in qua quatuor verbis tota tragœdia cum annexa cauſa, cur hoc iudicium fecerit,oſtenditur.Vt igitur iuſtè, & pro magna cauſa extra ordinem iuris oſtenderet ſe hoc feciſſe, hunc titulũ, quo nullum atrociorem inuenit,in ſui excuſationem cõmentus eſt,cõfidens ſe apud Cęſarem tutari poſſe, quaſi Chriſtum non occidiſſet vt filium Dei,aut Iudaicũ prophetã,ſed vt ſeditioſum,& Cæſari inimicum,regnumque affectantẽ. Hæc erat Pilati intentio in ſcriptura huius tituli.*Super Ioan.19.Sic doloſè nimis innocẽtiã opprimere,& ſanctitatem deijcere terrena, immò diabolica ſapientia nitebatur;verùm ille, qui ſapientes in aſtutia comprehendit, quę ſtulta ſunt mundi elegit,vt hanc confunderet ſapientiam; nam eadem inſcriptione, & eadem ſentẽtia Saluatoris nomen, patriam, & dignitatem explicauit, & extulit: immò vt ipſemet Pilatus ſuã ſpumaret confuſionem, triumphalem inſcriptionem cauſam, & titulum nuncupare fecit, vt oſtenderet, quòd illud idem ad tituli inſtar optimè Chriſtum tuebatur, quod cauſa defenſionis ſuæ contra eum aſſumpſerat; Quod clarè nimis confirmauit nuperrimè allatus Ferus, qui dictis immediatè ſubdit: *Cæterum Deus, vel Spiritus ſanctus longè aliud intendebat, nempè Chriſto dare nomen, quod eſt ſuper omne nomen; et titulum regni, qui cælo, et terra tranſeuntibus, numquam tranſibit:quia Ieſus Nazarenus,ideſt,Saluator,et verè Sanctus,qui per crucem ſuã effectus eſt Rex Iudæorum: non eorum, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, et non ſunt niſi ſynagoga Satanæ: ſed eorum, qui in veritate Deum confitentur.* Ex quibus ſatis patet, quòd eadem prorsùs abiectio-

Gorranus.

Ioan.Ferus.

Idem.

Ieſu nominis præſtantia expenditur.

Pilati mens in tituli ſcriptione explanatur.

Chriſti cauſa cur titulus appellata?

Miré Chriſtum tuebatur titulus ad eius ignominiam adinuentus.

Digitized by Google

nis media, quibus iustos deijcere mũdus nititur, in magnitudinis, & exaltationis Deus mutet, & vertat. De qua re audi si libet.

2 Quæ post tantam Ioſephi humiliationem ad eius exaltationem cogitauerit, fecerit, atque præceperit Pharao in c.41. Gen. clarè satis apparent; illud tamen cursim prætereundũ minimè puto, quòd priusquam illum regio indueret amictu, & antequã torquẽ aureã eius collo imponeret, ac super currum suum eum ascendere faceret, ex proprio digito ablatum annulum ei dedit, dicente scriptura: *Tulitq; annulum de manu sua, et dedit eũ in manus eius: vestiuitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secũdum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent uniuersæ Terræ Ægypti.* Gen. loc. cit. Et eò magis in re sitẽdum censeo, quia inopinatam Mardochæi exaltationem legens, multa equidem, & fortè maiora ad eam spectantia reperio; nam vltra regale indumentum, quo indutus super equum de sella regis impositus incedebat, non à præcone, sed à primo regni principe regis carus proclamatus, regium etiam diadema accepit, annulum autem nequaquam, vt videre est in cap. 6. Esther; at mysterio sanè non vacat, quòd Ioſepho, non Mardochęo annulus antè alia tribuatur; quia si Psal. 80. percurres, Ioſephi manus, nõ Mardochæi humiliatas reperies, de illo, non de hoc regio dicente Vate loco mòx dicto: *Manus eius in cophino seruierunt.* Quod gloſſans Vgo Card. sic ait: *In cophino scruierũt, ideſt, in labore, & abiectione oppreſſa sunt, sicut filij Israel ab Ægyptijs.* Igitur Deus more suo, secũdũ multitudinẽ dolorũ illius, humiliatas in cophinis manus regis annulo antè alias eleuationis ſpecies decorari, & exaltari voluit, vndè vbi nostra vulgata habet: *Manus eius in cophino seruierunt*, è contrario sensu vertit Hieronymus, dicendo: *Manus eius à cophino receſſerunt*, q̃ idẽ erat, ac dicere: receſſerunt à cophino manus Ioſephi, quia regijs insigniẽdus; illud præcisè in eo decorari debebat, q̃ humili fuerat seruituti addictũ. Adsit Rupertus ad rei confirmationem, qui lib. 8. cap. 40. super dictũ Geneſ. locum hunc fatur in modum: *Pro seruili nomine regium gestat annulum: & pro carceris humilitate super altũ sedet imperij currum.* Patentius meo iudicio dicere volens: quòd antè alias exaltationis ſpecies manus regali annulo decorentur, mirum non est; quia per eadem, per quæ humiliatio venerat, exaltatio venire debebat, & gloria.

Gen. c. 41.

Psal. 80.

Vgo Card.

Hieronymus.

Rupertus.

Quia cophino Ioſephi manus seruierã, regio annulo honorantur: nam deiectionis media in exaltationis Deus vertere solet.

3 Omitto quæ de eodem Ioſepho dicta reperio, quòd, ſcilicet, humiliationis compedes, de quibus Dauid psal. 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, in aureas versæ sunt catenas, & in regium indumentum mutatum sit vulgare pallium, quod in adulteræ dominæ manibus, vt effugeret, reliquit, dicẽte loco nuperrimè allato Ruper. *Pro compedibus, in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem aureã suscepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, stola byssina Deo iudice indutus est.* Omitto, inquam, quòd in aulas carceres; in dominium seruitus, & in exaltationem omnis eius sit versa humilitas, quod luculẽtiſſimè descripsit Philo cùm ait: *Quis expectasset intra vnũ diẽ è seruo dominũ, è vincto præstantissimum omniũ, è carcerarij vicario proregem fieri, & regiam habitare domum pro carcere, et extremã ignominiam uersam in honorem maximum. Facta tamen sunt hæc, et fiẽt sæpius quãdò Deo placuerit, modò subsideat aliqua probitatis scintilla in animo, quam necesse est per occasionem excandescere*, et sedulò loci illius: *Sufferentiam Iob audistis, et finem Domini uidistis.* Iac. epiſt. cap. 5. intelligentiam perquiro, quidque præsertim per Domini finem beatiſſimus intellexerit Apostolus trutino; & quamuis, vt in 1. parte §. 3. Dom. 3. num. 4. communem dixerim esse expositorum sententiã, duo hic patientię specula Apostolum proposuiſſe, vt sit sensus: sicuti ex antiquis sufferentia Iob patientiæ in exẽplũ vobis proponitur, sic ex vicinioribus sufferẽtiæ, & patientiæ exceſſum, quem in morte proprijs oculis ipsũ Dominũ ostẽdiſſe vidistis, vicinũ vobis

Semper in exaltationẽ humiliationis media vertit Altiſſimus.

Idem.

Philo.

In aulas carceres, & in dominium Ioſephi seruitus transiuit.

Iacob. Epiſt. Can. c. 4.

Digitized by Google

bis poterit eſſe ſpeculũ, per q̃ facilè qua vos patientia prædicti fitis, agnoſcatis: attamen aliorum non deeſt opinio, quòd per ly, *Domini finem*, nõ mors ſit intelligẽda Saluatoris, ſed finalis (etiam in præſenti vita) Iobi ſufferentiæ retributio, vt ſit ſenſus: egeſtatem, & famem, bonorum iacturam, & filiorum orbitates, cum hoſte congreſſus, & plagas in agone ſuſceptas audiſtis quidem, quia ipſa, aliaque nõ pauca ſua narrat hiſtoria; Domini tamen finem, hoc eſt, quo nam pacto erga eum ſe finaliter geſſerit Dominus, vidiſtis; nam victo tandem, ſuperato, atque fugato hoſte, completo agone, & reportato triumpho, ipſum de manu Domini duplicia ſuſcepiſſe perſpexiſtis: *Finem Domini vidiſtis*, ait Carthuſianus, *ideſt, quàm gratioſè Deus finaliter egit cum Iob, non ſolum poſt vitam præſentem; ſed etiam in ſeculo iſto eum remunerando, vidiſtis per fidem, cùm ſacra eius narret hiſtoria.* Hæc ipſe; verùm in hac finali retributione alia maior oriri poſſet difficultas; quid eſt, quòd non aurum, non argentum, nec gemmæ, quibus facilè amiſſa comparari potuiſſent, ſed illa eadem, & ſi non numero, in ſpecie ſaltem reſtituta dicuntur? An fortè adamuſſim per ſpecies ſingulas vnumquodque (exceptis filijs) in duplo Deus reſtituit, vt oſtẽderet, q̃ illamet, quæ dæmonis malignitate, vel hominum prauitate ad iuſtorum depreſſionem adinueniuntur, ad eorumdem honorem vertere ſolet, & gloriã? Ità ſentire videtur Cornelius à Lapide: *Finis ergo eſt merces patientiæ, puta felicitas, in quam deſiit afflictio Iobi, dum paupertas tranſiit in opulentiam, infirmitas in ſanitatem, & ignominia in gloriam. Reddidit enim Deus ei omnia duplicia, ac celebrem, & glorioſum effecit.* Sic Domini finem vidiſtis, quomodò .ſ. vt in gloriam depreſſionis verteret media, in lętitiam triſtitiam, in diuitias paupertatem, in requiem laborem, & in coronas plagas mutauit, & vermes. Quod quis ſcit, ſi præ oculis habuit Auguſt. quandò ſerm. 105. hunc in modum clamauit: *O virum purum, & integrum! O fędum, & pulchrum! O vulneratum, & ſanctum! O in ſtercore ſedentem, & in cœlo regnantem.*

Carthuſian.

Verborũ illorum: *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Iacob. cap. 5. intellectus.

Cornel. à Lap.

Nõ aurum, nec argẽtũ, ſed quę amiſerat in duplo Iobo reſtituũtur, vt agnoſcatur, q̃ in exaltationem depreſſionis media tranſierunt.

Auguſt.

4 Quòd poſteà Iobo longitudo ſit conceſſa dierum, quòd tempore multo ſuperuixerit, quòd in extremã deuenerit ſenectutem, quòd, inquam, poſt luctamen annis vixerit centum quadraginta, ob id longæuitatem tãtã cõceſſam putat Carthuſianus, quia ſi Satan plagis, & vulneribus, doloribus, & ſanie eius vitę inſidias molitus fuerat non paucas; vt in exaltationem verteretur oppreſsio, vita ei erat concedenda diuturna. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed Carthuſiani, cuius verba ſunt: *Quia enim in corpore grauiſſimè fuerat vulneratus, additur ei pro cumulo proſperitatis longitudo dierum in vita ſana, atque iucunda in Deo.* Et paulò infra: *Præterea, quamuis Iob corporaliter occiſus non fuit, quia tamen lethaliter fuit percuſſus, ita quòd ſecũdũ naturam obiiſſet, niſi Deus ſupernaturaliter affuiſſet: hinc duplicata vitæ humanæ duratio ei conceſſa eſt, ſicut & cętera ei ſunt dupliciter reſtituta.* art. 70. Sole igitur clariùs patet, q̃ ſatannici incurſus ſancto viro non deiectionis, nec deſtructionis; ſed omnium benedictionum, & gratiarum cauſa fuere; dum ei virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, & vita de morte data eſt.

Carthuſian.

Longæuitas Iobo pro vitæ diſcriminibus cõceditur.

5 Obſequium illud à Magdalena per vnguenti effuſionẽ Domino præſtitum, adeò ei carum extitit, vt non coram diſcipulis tantùm, ſed etiam per totum orbem fore prędicandum, atq; extollendum prædixerit: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. nam ſemper pauperes, &c. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mũdo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriã eius.* Matt. 26. Et quidem ſi benè aduertimus tàm ipſa, quàm alii maiora quandoque Saluatori præſtitere obſequia; nàm in alio diſcubitu ipſa non vnguento linitos, ſed lachrymarum imbribus madefactos eiuſdem Magiſtri pedes capillis ſuis terſerat; & alij poſteà nunc gaudenter in domum ſuam illum exceperunt, vt Zachæus;

Matt. c. 26.

Digitized by Google

nunc ei ſolicitè miniſtrarunt, vt Martha: tamen haùd quaquam aliud ſic pleno ore laudauit, nec laudandum prædixit obſequium, veluti iſtud; quod non tàm ob myſterium, ſeu ſignificatum, vt putauit Euſebius Emiſſenus, id factum cenſeo, ſicque laudatum, ac iugitèr laudandum opus prædictum exiſtimo; ſed quia callidè nimis à Iuda (nam reliqui ex animi ſimplicitate mulierem increpabant) arguebatur: vt igitur contumelia in laudem, & probrum in præconium commutaretur, quod opprobrio ipſe afficiebat, per totum orbem extollẽdũ prædixit Saluator. Scitè Brugenſis:

Brugenſis.

Diſcipulorum igitur, & præſertim Iudæ murmurationi, atq; obtrectationi totius orbis terrarũ iudicium, defenſionem, & laudem opponit: affirmans, quòd omnes omnium ſeculorum homines magnis laudibus celebrabunt, & gentium omnium cõſenſu apud exteros, & in remotis mundi plagis laudabitur, quod domeſticis viſum fuerat damnandum. En quare inter omnia tàm à Magdalena, quàm ab alijs ſibi exhibita officia, hoc præſertim laudat, atq; laudandum prædicit Saluator; quia hoc maximè à Iudæ improbabatur malitia: vt igitur clauus clauo tunderetur, in laudem probrum commutat, atque commutandum præſignat.

Magdalenæ obſequium per vnguẽti effuſionem Chriſto exhibitum, cur adeò laudatũ, atq; laudandum cẽſetur?

6 Mirabilis ſemper mihi viſa res eſt, quòd nulli ſic apertè (ni decipior) ſe filium Dei declarauit Redemptor, vt cæco illi à natiuitate, cui tandèm poſt multorum beneficiorũ collationem dixit: *Tu credis in Filium Dei?* & percontante illo, quis eſſet, vt in eum credere poſſet, reſpondit: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Ioan. 9. Quòd in ſermone illo cum Samaritana habito ſe clarè Meſſiam vocaſſet, teſtatur equidem Ioannes in cap. 4. ſed quòd Dei Filium ſe aliàs ſic apertè declaraſſet, haùd facilè reperiri poſſe exiſtimo; nam & ſi pluries nunc ſe à Patre miſſum; nunc ſe in Patre, & Patrem in ſe eſſe; nunc ſe, & Patrem vnum eſſe; nunc ſe videntes Patrẽ videre aſſereret; licèt, inquam, multoties filium ſuum Deum miſiſſe diceret, nunquã tamen ſic patẽtèr (ni fallor) ſe hunc eſſe declarauit; cur igitur cæco iſti (quod fortè alteri conceſſum minimè fuerat) cõceditur? Magna quidem difficultas, pluſquam difficilis quæſtio! Verùm tantæ difficultatis ſolutionem textus ipſe innuere videtur, dum immediatè antè hæc habet: *Audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foras: & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Ergo quia eiectus, receptus fuit? Prorſus ità, & ſic quidem fieri decebat; nam ſi à templo eliminari vulgare non erat opprobrium, vt in erectionẽ abiectio commutaretur, in Dei gymnaſiũ recipi, & ad Chriſti diſcipulatũ aſſumi debebat, qui à mundi ſchola pellebatur. Præſtò eſt Chryſoſtomus, qui hom. 58. in Ioannem meum firmat cogitatum, dicendo: *Qui propter veritatem, & Chriſti confeſſionem malo, & contumelia aliqua afficiuntur, hi maximè à Deo honorantur. Vt enim, qui propter Deum pecuniam diſpergit, hic maximè eas inuenit: & qui odit animam ſuam, hic vel in primis amat: ità contumelia affectus propter Deum, hic plurimum honoratur à Deo; quod cæco iſti euenit. Eiectus eſt è templo à Iudæis, & à templi Domino inuentus eſt. A peſtifero concilio liberatus, ſalutiferum eſt fontem conſequutus. Contemptus à contemptoribus Chriſti, ab Angelorum Rege honoratus eſt.* Aurea ſanè omnia, ſed præſertim illa: *Eiectus eſt à templo à Iudæis, & à templi Domino inuentus eſt,* noſtrum probant inſtitutum, quòd in receptionem tranſiuit eiectio; immò, quòd propterea in Chriſti gymnaſio tàm ſublimem lectionem (quam fortè ſic clarè alter non audierat) audiuit; quia vt vilis, atq; deſpectus à mundi gymnaſio fuerat eiectus.

Ibid.

Chryſoſt.

Vt in honorẽ contumelia tranſiret, è mũdi gymnaſio eiectus Cælidonius ad Chriſti diſcipulatũ aſſumitur.

Ioan. c. 9.

7 Adeò verum eſt in honorem, & gloriam hæc, de quibus noſter eſt ſermo, dedecoris inſtrumenta tranſire, vt etiam poſt mortem; immò poſt hanc maximè ad iuſtorum gloriam Deus permutationem iſtam efficere ſoleat. Pro cuius dicti probatione adſit Dauidicum illud: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.* pſal. 50. quod ſic explicari conſueuit: fac me, quæſo, per internam, diuinamque inſpirationem ſuauiſſimam illam vocem gau-

Pſal. 50.

Verborũ iſtorũ: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata,* Pſal. 50. intellectus.

Digitized by Google

gaudio, & lætitia plenam, peccatorũ ſcilicet remiſſionem, tuiq; fauoris reſtitutionem intellectus aure percipere, quod vt feceris, omnes animæ, corporiſq; vires nimio pœnitentiæ dolore, ac iræ tuæ timore afflictæ, atq; confractæ exultabunt; & gaudiũ tale erit, quòd omnia corporis membra peruadet; & ſic iuxta hanc cõmunẽ loci huius intelligentiam ſe maxima triſtitia à ſuo peccato promanãte intrinſecus eſſe affectum, ab eaque liberari ardentiſſimè exoptare declarat. Quod quidem mirum minimè eſt, nam vt quis delinquit, animæ perturbationes ſentit, & torſiones; quod agnoſcens etiam Tullius, licèt ethnicus, dicere haùd quaquam ignorauit: *Magna eſt vis conſcientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerunt.* Pro Milone. Et Seneca: *Nec vllum ſcelus, licèt illud fortuna excernet muneribus ſuis, licèt tueatur, ac vindicet, impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Quod callens Ouidius, hunc cecinit in modum:

Multa miſer timeo, quia feci multa proterue:
Exemplique metu torqueor ipſe mei.

Tullius.

Conſcientiæ torſiones quantæ?

Seneca,

Ouidius,

Nec mirum, quòd ſic peccanti culpa diſpliceat, illumque ſic torqueat, quia ſi vt docuit S. Thom. 2. 2. quæſt. 109. art. 2. peccare eſt à bono deficere, quod ſecundum humanam naturam nobis competit, naturaliter ex peccato turbatio ſequitur, & triſtitia. Ab his igitur angoribus, pertutbationibus, triſtitijs, cæteriſque malis à peccato prouenientibus liberari Dauid efflagitabat, vt exultare poſſent oſſa per peccatum humiliata, cum ad ea vſque culpæ malum peruenisset, & peruadat. Quorũ & ſi germana videatur verborum interpretatio, ego nihilominus non tàm in auditus lætitia, quàm in humiliatorum oſſium exultatione ſiſtens, quorum nam ſint iſta oſſa, & quam ob cauſam exultare dicantur, ſubtilius trutino; & quamuis illicò humilium eſſe, & ob humilitatem exultare reſpondeat Auguſtinus, dum ad ſuperborum cõfuſionem dicit: *Feliciores ſunt, qui audiunt; quàm qui loquũtur. Qui enim diſcit, humilis eſt; qui autem docet, laborat, vt non ſit ſuperbus,* & paulò infrà: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: continuò demonſtrauit, quid faciat auditio: Exultabunt oſſa humiliata. Humiliata ſunt oſſa; oſſa audientis non habent faſtum, non habent tumorem, quem in ſe vix vincit, qui loquitur,* cùm tamen loco humiliationis confractionem ponat Hieronymus, qui ſic legit: *Exultent oſſa, quæ confregiſti,* & alij: *Exultabunt oſſa, quæ contriuiſti, percuſſiſti, vulneraſti,* ſequitur, quòd de martyrum oſſibus per vulnerationes, percuſſiones, & cõfractiones humiliatis ſit ſermo, qua poſita opinione, audi quæſo ſublime myſterium: exultant humiliata, atq; contuſa martyrum membra, quia quò minutius cõfracta, eò glorioſius venerãtur, dũ in honores humiliationibus, & in coronas tranſeuntibus vulneribus, pro qualibet fractura ſpecialis eis cultus tribuitur, & reuerentia. Meum non eſt hoc, quod dico, ſed Ambroſii, qui in ſerm. de SS. Nazario, & Celſo diſertè nimis hunc loquitur in modum: *Honorare debemus ſeruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, cuſtodit omnia oſſa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perẽnitate virtutis. Honoro per cõfeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro. Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cælo.* Hæc ipſe pro S. Celſo puerulo, quorum illa præſertim. *Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices,* ſole clarius oſtẽdunt, quòd iure optimo humiliata martyrum oſſa exultant, quia poſt mortem maximè in honorem tranſeunt deiectionis adinuentiones, dum & honorantur cicatrices, & pro quali-

Auguſtin.

Vix tumorẽ comprimere poteſt, qui docet,

Hieronym.

Ambroſius.

Martyrũ oſſa quò minutius confracta, eò glorioſiùs honorata, quia pro qualibet ſciſſura ſpecialis eis honor tribuitur, & reuerentia.

Digitized by Google

libet tunsione specialis cultus tribuitur,& reuerentia.

8 Ex occasione vulnerũ Christi in glorioso eius corpore seruatorũ docendi ansam sumpserunt Theologi in 4.dist.44.quòd cicatricibus pro Christo receptis insigniti in vniuersali iudicio (quandò mortale hoc induerit immortalitatem)beatissimi martyres resurgent, rationemq; talis doctrinæ assignant, quia si cicatrices vulnerum in bello pro patriæ salute susceptorũ, peculiaris gloriæ, licèt deformitatem inducant , causa esse consueuerunt, multò magis suscepta pro Christo vulnera , quæ non turpitudinem, sed pulchritudinem maximam conferũt, in corpore glorioso conseruari debent,& retineri. Quod sequenti exemplo cõfirmat Gomezius: *Dicunt Theologi iustos fore resurrecturos cum cicatricibus illorum vulnerum, quæ pro Christo pertulerunt , per quas cicatrices vulnerum , quasi per vestium scissuras mirus splendor, veluti ex aureo thorace exibit.* Quem splendorem è S.martyris Celsi vulneribus micare cõsiderans Ambrosius,hunc dixit in modum : *Cùm ita res sint charissimi, licet tantus Christi testis pretiosus confessione sit , pretiosior tamen sanguine, crudeli vulnere pretiosior , & tanta veste candidior est.*

Gomezius. Vulnerum cicatricibus insigniti resurgẽt martyres , quia per ipsas veluti per vestium scissuras mirus splendor,veluti ex aureo thorace,exibit. *Ambrosius.*

9 Cœterùm modò dictis satis minimè factus Ambrosius talem pro Sãcto puerulo , & martyre Celso propositionem adducit : *Ecce prophanus hostis nunquam B. martyri tantùm prodesset obsequio , quantùm profuit odio,* quæ perdifficilis equidem primo apparet intuitu,quòd fœtidorum vinculorum squalores, crudelium flagellorum ictus,grauium catenarum nexus, micantium machærarum acumina, bestiarum immanitates, candentium laminarum stridores, ardentium fornacium flammæ, cæteraque torquendi martyres instrumenta ab inhumanitate,vel,vt aptius loquar,ab ipsa dæmonis malitia adinuenta,etiam nunc quouis obsequio præstantiora dici possent : at si Diui Thomæ teneatur sẽtẽtia,q̃ scilicet idẽ corpus pluribus simul in locis esse nequeat, vt 3. par.q. 35.art. 1. & quol.3.art.3. & in 4. dist. 10.q.1. art.1. probat, facillima apparebit Ambrosii propositio,quia si per suorũ corporũ particularũ præsẽtialitatẽ solemnius venerari solent sancti, quàm vbi nulla eorum extat minutia, cùm tyranni illos minutim scindendo,frustillatim saltem eosdem pluribus in locis esse fecerint, quod obsequendo minimè quiuissent , plus persequendo,quàm obsequendo eis profuerunt, dum solemnis cultus,qui eis ob corporis præsentialitatem vno tribueretur in loco,frustulorũ,ac minutiarum ratione pluribus in locis eis tribui fecerunt, quod dicere videtur iam dictus Ambrosius loco præfato verbis illis : *Exultant felices singulariũ vrbium populi si vnius saltem martyris reliquijs muniãtur.* Ac si diceret: acuant enses, gladiosq; prę viribus exacuant tyranni,quia quò minutius martyres concidunt , eò ampliùs eorum adaugent honorem;nam dum eos per scissiones, atque incisiones multiplicant; cultum eis augent,& reuerentiam.

Idem. Martyribus plus persequendo,quã obsequendo profuerunt tyranni & quomodo?

Ambrosius. Martyrũ reliquiæ ciuitatum præsidia.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa,&c. vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Ioan. 19.

Et cùm iam serò esset factum,&c. venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio , qui & ipse erat expectans regnum Dei,& audacter introiuit ad Pilatum,& petijt corpus Iesu. Marc. 15.

Venit quidã homo diues ab Arimathæa , nomineo Ioseph,&c. hic accessit ad Pilatũ,& petijt corpus Iesu. Matt. 27.

Aulas,

Digitized by Google

§. IV.

Aulas, aureſque Principum, quas paupertas claudit, aurum aperit.

1 AVro, argentoque nullatenùs nos indigere naturam ipſam maximè edocuiſſe exiſtimat Rupertus Holcoth lect. 91. ſuper cap. Sap. 7. cùm ea in imioribus fodinis, & occultioribus terræ venis abdidit; ſuum cùm ſit homini neceſſaria ſemper offerre: *Pro auro, & argento,* (ait modò dictus Rupertus) *pugnant homines, ſinè quibus natura humana ſufficienter regi poſſet: immò iſta velle latere videntur, in cuius ſignum in profundo, & in viſceribus terræ latent. Quidquid enim neceſſarium eſt ad vitam humanam, vel eſt elongatum à terra, ſicut corpora cæleſtia, vel ad minus de terra oritur, & in ſuperficie terræ ſe offert, ſicut herba, arbores, blada, & huiuſmodi. Illa verò, quæ ad humanam naturam neceſſaria non videntur, ſub terra latent; cuiuſmodi ſunt aurum, & argentum, & lapides pretioſi, quorum generatio eſt in abſcõdito.* Quod vt facilius ſuaderet Creator, rectos nos produxit, non vt cętera animalia pronos, vt pedibus nos aurum in terra abſconditum conculcando, veros theſauros, qui ſurſum ſunt, brachijs (ſi fas eſt dicere) amplecteremur, & animo, quod his verbis dixit Pinctus ſuper Ezech. 22. *Omnia animantia manus habentia illis terram attingunt præter hominem, qui manus à terra habet eleuatas. Cum enim bruta creata non ſint ad poſſidendum cælum, ſed terram, decet eam manibus terere, & attingere: at homo ad Dei imaginem, & ſimilitudinem creatus ad cæleſtem beatitudinem poſſidendam, non terit manibus terram, ſed pedibus eam conculcat. Voluit Deus, vt ipſa noſtra compoſitio nos moneret, vt vellemus contemnere terram, & ad cælum ſemper aſpirare.* Quæ ſi vera, vt veriſſima ſunt, quid eſt quòd homines in beſtialem verſi naturam, non ampliùs erecti, ſed proni, humique repentes aurum tanta cupiditate effodiunt, & venantur, vt ipſe Plaſmator tantam, talemque dementiam ferre non valens, proprio dixerit ore: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Matt. 6. Quid eſt, inquam, & in medio diuitiarũ vndiq; affluẽtiũ adeò illarũ æxtuant amore, earumque afficiũtur deſiderio, vt nunc pluſquam filias ſummè dilectas illas diligant; nã vbi noſtra vulgata habet, *Quare ità egiſti, vt clàm à me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio.* Gen. 31. in Hebræo habetur: *Quid feciſti? & furatus es cor meum, & adduxiſti filias meas.* ideſt, vt exponit Caietanus: *Furatus es diuitias meas, quæ mihi inſtar cordis erãt.* Nunc verò beatitudini ipſi illas anteponant, & præferant, vt ſuper verba illa: *Ecce eiecis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar* Gen. 4. idem obſeruauit Caietanus, dum ait, quòd non ſinè myſterio priùs terræ faciem ſe perdidiſſe lamentatur Cainus, quàm Dei; quia ſi ſecũdum eum, *Eiectio à facie terræ eſt in hoc, quòd terra non reſpondeat ei ſecundum vim ſuam; Abſconſio autem à facie Dei eſt priuari diuina cura, & à Deo derelinqui,* ægrius forte terrę prouentibus, quã Dei viſione priuari ferebat ſceleſtus. Sic hęſitãti mihi, & vndè tãta auri oriretur cupido vix capienti, occurrit quandoque Chryſoſtomus, qui hom. 21. in Matt. omnem à me abegit difficultatem, dum ait: quòd non ad voluptatem capiendam, nec ad neceſſitatem explendam, ſed quòd ad inanem gloriã captandam aurum coaceruari ſolet, & argentum, quod luculentiſſimè his verbis docuit: *Nihil ad amorem diuitiarum, vt gloriæ cupiditas inflammat: propter hanc namque homines, & ſeruorum greges; & eunuchorum cateruas, & equos aureis phaleris, & inſignes, & argenteas menſas, & alia magna videnda conquirunt; non vt expleant neceſſitatẽ, non vt capiant voluptatem, ſed vt ſe poſſint oſtentare quàm plurimis.* Et quidem teſte Virgilio 6. Æneid. ex diuitiarum radice non parui ſolent erumpere honores, nec modica inſurgere reuerentia:

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos.

Ruper. Holcoth.

Cæteris vt naturæ humanę neceſſarijs palã à natura productis, aurũ quia ei non neceſſariũ, eiam producitur.

Heſ. Pine.

Vt pedibus aurum, cordiſque brachijs cęlum homo amplexari addiſceret, non pronus, vt cętera animali, ſed rectus producitur.

Matt. c. 6.

Gen. c. 31.

Caietanus.

Diuitiarum amor filiorũ excedere ſolet amorem.

Gen. c. 4.

Idem.

Beatitudini ipſi diuitias præferre cõſueuere mũdani.

Chryſoſtom.

Aluntinanẽ gloriã diuitiæ.

Virgilius.

Quod

Quod si quotidiana non ostenderent experimenta, satis per Iosephum ab Arimathæa in præsenti probatum existimarē, quia accessum illius ad Pilatum, quem Ioannes subticuit: *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, &c. vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus.* cap. 18. non tantùm facilem; verùm audacem etiam fuisse asserit Marcus: *Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, &c. & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* cap. 15. cuius audaciæ ex Magistri amore exortæ, propterea ianitorum ausus est obsistere nemo, quia opibus affluebat non modicis; quod & Matthæum insinuasse existimo, dū ob id priùs diuitias, quàm accessum describit, vt ab illis hunc pependisse ostenderet: *Cùm autem serò iam factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* cap. 27. & Hieronymum apertissimè dixisse reperio, qui supermòx dictum Matthæi locum hæc habet: *Dives refertur non de iactantia scriptoris, quia virum nobilem, atq; ditissimū referat Iesu fuisse discipulum; sed vt ostendat causam, quare à Pilato corpus Iesu potuerit impetrare. Pauperis enim, & ignoti non erat ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere, & Crucifixi corpus impetrare.* Ex qua præcipua erga Iosephum obseruantia sumpta dicendi materia, de facili diuitum, difficiliq; pauperum ad Principes accessu audi si libet.

Ioan. c. 18.

Marc. c. 15.

Matt. c. 27.

Hyeronym.

Fores quæ paupertati occludebātur, auro patent.

2 Quāuis maximo, optimoq; iure stultitiarū stultitia sit censenda personarum acceptio, dum per ipsam plus otium velleris, vel terræ rubræ, vel albę, auri. s. argentiq; ratio habeatur, quā hominis; vndè Seneca epist. 82. ad Lucillam: *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus ipsum non inspicit, sed stratum eius, & frenum; sic ille stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione existimat;* attamen adeò cæci solent esse mortales, vt nulla humanæ naturæ dignitatis habita ratione, quę homines tantùm circumstant, attendant, & colant. Hac dementia, & si laborēt permulti, maximè autem ea vexantur aulici, quorum aduenientes pro audientiuncula pauperes nullus interrogat, alloquitur nemo, nec vllus est, qui consideret: ꝙ si post lōgā moram verecundi, ac timidi supplices ad ipsos accedunt, vt ab eis ingrediendi ad principem impetrent facultatem: vel eis respondere dedignātur, vel principem grauibus negotijs implicitum, nemini autem prębere velle toruis oculis, vultuq; verso respondēt; sic semel, & iterum dimissis pauperculis, diuitum tantùm explorant aduentum, quos vt venire perspiciunt, assurgunt omnes, occurrunt cuncti, ac obsequium eis præstant, & reuerentiā; sicque cateruatim post ipsos gradientes, vel absque mora viia, & nuncio ad principem inducunt, vel certatim, nè quid in ianuis eos sistere contingat, eorum nunciant aduentum. Quod adamussim Philosopho cuidam accidisse reperi, qui cū obsoletis vestibus, vt quid regi deferret, aulā pluries frequentasset, nec propterea vel semel ad regem ei concederetur accessus, rem tandèm intelligens, quibus indutus erat vilibus abiectis, splendidisq; amictus, regreditur iterum, cumque ei sic accedenti facilè ad regem patuisset aditus, antequam quicquam diceret, enixè, reuerenterq; has corā eo vestes osculari cœpit, qua de re cum à rege (qui stupens hæc attendebat) percontaretur, audacter non minùs, quā solertèr respondit: *Ego honorantem me honoro: quia, quod veritas non potuit, vestis obtinuit;* sic breui quidē sermone, sed ponderibus pleno maiores vestibus, quàm virtutibus; maioresq; venustati, quàm honestati honores ab aulicis impendi solere declarauit. Quod etiam in Mardochæo, & Aman completum reperio, nam dum illi, quia vilibus induto palatij limina terere nō permittebatur, huic semper patebant aditus, & absque nuncio ad Assuerum licebat accessus, quod insinuare videtur textus, dū libero Aman descripto ingressu, hæc de Mardochæo habet: *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, etc. et hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens: Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.* Esther. 4. ac si patentiùs di-

Seneca.

Aulicorum describitur mos.

Esther. c. 4.

Digitized by Google

diceret: sicuti quòd ianitorum nullus Aman prohibere auderet ingressum, diuitiæ in causa fuere, sic quòd palatij fores, ingredi non auderet Mardochæus, indumenti vilitas causa extitit, & origo. Ita Carthusianus art. 4. super citatum scripturæ locum: *Secũdum Iosephum vsq; ad aulam peruenit; & ante ipsam stetit, quoniam cum tali habitu ingredi fuit prohibitum, nè huiusmodi vestis, aut sic vestitus, miserabilisq; apparens horrorem incuteret regi, aut eius magnificentiæ derogaret.* Quid si non obsoletis, non vilibus, non, inquam, sacco indutus; sed sericis amictus, auroque onustus Assueri palatiũ adijsset Mardochæus? Sanè non in foribus sistere coactus fuisset, sed vt Aman nullo præcedente nuncio liber ei ad regem licuisset accessus, iuxta illud apud Bartholomæum Chassenæum in Catalogo gloriæ mundi par. 12.

Carthus.

Vilibus amicti apparere coram principibus non audent.

Bartholom. Chassen.

Vir benè vestitus pro vestibus esse peritus:
Creditur à mille, quamuis idiota sit ille.
Si careas veste, nec sis vestitus honestè
Nullius es laudis, quãuis scias omne, quod audis.

Quãti apud aulicos vestium valeat splẽdos, ostẽditur.

3 Huc spectat solemnis illa dubitatio; vndè accidit, quòd superbus ille diues, qui in vita vix Lazarum sua limina patiebatur attingere (quæ fortè nè prætergrederetur tantillum, canes ei obiiciebat non paucos, dicẽte Chrysologo super illud: *Sed & veniebant canes, & lingebant vulnera eius.* Luc.cap.15. *Puto diues, quòd nè ingrederetur ianuam tuam, canes quàm plurimos obiecisti.*) sic supplicitèr post mortem, vt in patriam domum mitteretur, expostulabat, *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei?* ibid. Si, iuxta nuperrimè dictum, sic paulò antè eius deuitabat ingressum, vt canes etiam contra eum ad coercendũ accessum incitaret, vndè nunc tãta eius in illam introductionis cupido? Nosco non deesse dicentes, quòd non germanorum charitate, quam in vita minimè habuerat; nec aliorum salutis zelo, qui propriam contempserat, afficiebatur; sed quòd liuore magis, quàm gehenna tortus, vt Lazarum gloriæ exortem videret, fratrum consortem reddere voluisset; fas tamen sit mihi illam pro præsenti argumẽto rationem afferre, quòd propterea (ni temerarius vjdeor) Lazarum, quẽ sic in vita contempserat, vt vix sui palatij limina pateretur attingere, in domum suam mitti, admittique in penetralibus poscebat, quia alitèr illum nunc, quàm anteà cernebat; nam si vera, vt verissima est quorumdam sententia, quòd maiora apparent, quæ per aquam vidẽtur, vndè Ptolemæus: *Quod in aqua ponitur, videtur maius.* Et Seneca de naturalibus quæstionibus lib. 1. *Omnia per aquam iudicantibus lõge videntur esse maiora*, & si tam in sacris, quam in profanis paginis aquæ nomine diuitiæ accipiuntur, in his dicente Saluatore: *Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum.* Ioan. 4. in illis verò Ouidio 1. de Fastis.

Luc.c.15.

Chrysolog.

Ibid.

Ptholem.

Seneca.

Ioan.c. 4.

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. *Ouidius.*

mirum minimè est, si sæpè sæpius, qui per diuitias, vel (vt aptiùs loquar) diuitijs videtur onustus, maior quàm in veritate est, mundanis apparet; dicente Ruperto Holcoth lect. 137. in cap. Sap. 11. *Experimur in prospectiua, quòd aliqua, quæ ab oculis in certa distãtia non videntur, aquæ infusione incipiũt videri: vndè si denarius in scutellã ponatur, sumaturque distantia, in qua minimè videatur, si aqua in scutellã infundatur, eodem existente spatio, denarius qui non videbatur apparebit; ita etiam quantumcunque aliquis fuerit modicus, si oneretur diuitijs, statim apparebit nobilissima quantitatis.* Et quia, vt Chrysologi vtar verbis, pro laboribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro cõtumelijs honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerij fontem, pro fame cęlestis mensæ diuitias sempiternas, & pro summa, qua Lazarus laborauerat egestate, cęlicas eum recepisse diuitias cernebat Epulo, non aqua visum decipiente, sed vt verè res se habebat maiorem, quàm anteà eũ perspiciens, eò illum introducere gestiebat, vndè quantùm poterat, cùm paupertate laboraret, arcere sategerat,

Ruper. Holcoth.

Veluti per aquam visus maior mundanis apparet, qui diuitijs onerati videtur.

Digitized by Google

rat. Flecto ad hoc verba illa Chryſoſtomi hom.9.in Lucam: *Qui Lazarum præſentem deſpiciebat. Qui ante oculos tacentem præteribat, nunc obſecrat, vt in domum patris mittatur*, quæ idem ſonare videntur ac: propterea modò in domum ſuam illum mitti Diues expoſtulat, quem ab eadem priùs quantùm poterat, arcebat; quia nunc non egeſtate laborantem, ſed gloria, & honore amictum videbat.

Chryſoſt.

Lazarũ quẽ dines in vita deſpexerat, poſt mortẽ honorat, & quare?

4 Ratum apud quamplurimos ſacræ ſcripturæ expoſitores fuiſſe comperio, quòd ideò Virgo Beata cũ filij conſanguineis locum in quo ille, qui ora aperire conſueuerat prophetarũ, ſuum poſteà aperiendo multos docebat, ingreſſa minimè fuit, quia compreſſa audientium multitudo haudquaquam alium ingredi patiebatur. Vndè poſt multos Toſtatus quæſtioni à ſe motæ, quæ eſt 105. *Quare fratres Domini, & mater foris ſtabant eo prædicante?* illicò hunc reſpõdit in modum; *Poteſt dici, quòd foris manſerunt, quia non poterant accedere ad eum propter turbã. Sic dicitur Luc. 8. Venerunt ad illũ mater, et fratres eius, & non poterant adire eum præ turba.* At ſi accedere ad eum quidam potuit, dicente Euangeliſta: *Dixit autem et quidam; Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes* &c. ibid. cur (ſi non Virgo Beata, quæ virgineo tenta pudore irrumpere verecundabatur in turbã) alius ex conſanguineis non acceſſit? Si vnum ex ipſis, hic qui acceſſit, fuiſſe aſſeres, Chryſoſtomum obijcio, & Hyeronymum, quorum primus hom. 30.ex cap.12.diaboli aduocatum nũcium illũ appellat: *Venit aliquis quaſi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diaboli loquebatur, dicens: Ecce mater tua, &c.* Secundus verò in catena relatus inſidiatorem illum cenſendum autumat, dum dicit: *Videtur mihi iſte, qui nunciat, non ſpiritu, & ſimpliciter nũciare, ſed inſidias tendere, vtrum ſpirituali operi carnem, & ſanguinem præferat*: quæ nomina, atq; attributa cũ Chriſti conſobrinis haudquaquam conuenire videantur, in robore prima remanet difficultas; quid eſt, quòd ipſorum nullus ad Chriſtum accedere, nullus illum adire contendit? Verùm ſubtiliter ſcrutanti quinam fuerint illi, qui in Saluatoris inceſſu cæcum nè clamaret, coercebant: *Qui præibant increpabant eum, vt taceret.* Luc. 18. haudquaquam difficilis erit quæſtionis ſolutio, quia dum per hos magnates, qui ad Chriſtum populum confluere animaduertentes, ac propterea tẽporaliter eum regnaturũ exiſtimãtes aulicorũ aſſumebant officia, inſinuari aduertit, dicẽte Vgone Car. ſuper citatũ Lucæ locũ: *Etiã iuxtà litterã præeuntes, & pauperem increpantes, ſunt mundi ſapientes, & collaterales magnatum, qui pauperes fugant, & prohibent, nè ante dominos ſuos appareant, vel aliquid ab eis petant*, inferre facillimè ei licebit, quòd propterea (ſi ſic pro præſenti excogitari licet materia) ingredientibus alijs, foris cum Chriſti Matre reliqui detinebantur eius conſanguinei, quia mundanis opibus cùm eſſent deſtituti, ab aulicis haudquaquam facilè admitti cum alijs poterant, iuxta illud Ouidij:

Vgo Card.

Aulicorũ eſt mos, miſellos è principum cõſpectu arcere.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores.

Ouidius.

Pauperibus tãtùm clauſa eſt curia, non diuitibus.

Vndè Chryſoſtomus ab Vgone loco nuperrimè allato relatus: *Fatua ſapiẽtia, hominũ exiſtimat iniuriam pati magnos viros, ſi à pauperibus honorentur. Quis enim pauper audet diuitem publicè ſalutare?*

Chryſoſt.

5 Supra quàm excogitari poteſt ſapida eſt pro præſenti inſtituto obſeruatio illa; quid eſt, quòd Abrahã, qui adeò cenſu affluebat, & opibus, vt cum Loth habitare non poſſet, quia eos capere terra nequiebat: qui tot habebat vernaculos ſuo nutui parentes, quòd quatuor reges percuteret, nepotemque cum omni ſubſtantia ex eorum manibus facilè eripere potuit, ianitorum poſteà adeò expers erat, vt hoſpites excipere volens, ipſemet illorum exploraret aduentum, vt ex cap.18.Gen. habetur: *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.* At ò magnam viri philoſophiam! prudẽtiam ò verè magnã! quia, vt excogitare fas mihi eſt, aulicorũ Abrahã agnoſcebat naturã, eoſq; in eo totos ſtile videbat, vt admiſſis cũ omni curialitate diuitibus, pauperes, vt fieri

Gen.c.18.

po-

Digitized by Google

potest è principis auribus arceantur, iuxta illud:

Nummus honoratur, sinè nummis nullus amatur.

nè quid simile sui efficerent famuli, nulla suæ conditionis habita ratione, ipse ianitoris fũgebatur officio. Meũ equidem non est hoc, quod dico, sed Chrysostomi, qui concione secũda de Lazaro inter plurima in Patriarchæ laudem decantata, hæc habet: *Præ foribus sedens introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piscator iacto in mare rete piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum, & margaritas: itidẽ & hic reti captans homines, piscatus est tandem & Angelos. & hæc tota laus est, quòd ignorans, qui nam essent, qui præteribant, nec aliud esse credens, quàm homines viatores, cum alacritate vocauit intrò.* Statimque contra personarum acceptores subdit: *Tu quidem igitur si quem nobilem, ac splẽdidum exceperis, multamque præstiteris alacritatem, nil mirum est; nam virtus eius, qui excipitur etiam in hospitalem frequenter adigit, vt omnem exhibeat humanitatem: cæterùm illud maximum, & admiratione dignum, quoties & vulgares, & ignotos ac viles multa cum benenolentia excipimus.* Et paulò infra ad Patriarcham rediens: *Quandoquidem, & Abraham non excutiebat quales essent prætereuntes, nec vndè venirent, quemadmodum nos nunc facimus, sed sine delectu prætereuntes excipiebat omnes.* Tandem cum Iobo concludit, quòd non absque multa ratione æque diuites, ac pauperes, magnos, ac paruos; præpotentes, ac miselios sanctissimus iste excipiebat vir, vt proprio testatus est ore, cum ait: *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* cap. 31. quia cùm tanti Patriarchæ nepos esset, illius imitari vestigia, & pietatem sectari debebat: *Hunc igitur & nos imitemur, simulque cum hoc nepotem illius Iob. Quandoquidem & hic progenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est imitatus, vndè dicebat: Ostium meum iugitèr patebat cuiuis aduenienti.* Sic ipse loco præfato, in quo plura ad hoc spectantia adducit.

Idem.

Ianitoris Abraham fungebatur officio, vt suum ostium æque miselis pateret, ac magnis.

Iob. c. 31.

Chrysost.

Iob Abrahæ nepos.

6 Cæterùm si absque vlla personarũ acceptione æque erga magnos, & paruulos; potentes, & miselios; diuites, ac pauperes curialis, ac pius Abraham se ostendit, & Iob, quomodò erga eosdem pietatis, æquitatisq; pater se gesserit Christus Matthæũ cõsulamus, si libet, nã ipsũ in 1. c. reperiemus dicẽtẽ, quòd ob Magistri honorem curialiores vt ita dicam, quãdoq; discipuli, quàm par erat, paruulos nè ad illum accederent, repellebant, ipse ad aulicorum, & principum confusionem non absque discipulorum correctione ad se piè, leniterque vocauit: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire.* cap. 19. vbi Chrysostomus: *Cuius rei gratia discipuli paruulos repellebant? Dignitatis profectò causa. Quid porrò ipse? Humiliores esse, tumoremque mundanum calcare diligentiùs docens, libentèr suscipit, & manus imponit, regnumque cælorũ talibus pollicetur: quod & ab ipso etiam in superioribus factũ est.* hom. 63. Quòd si posteà Lucam etiam percontari voluerimus, ipsum procul dubio respõdẽtẽ audiemus, q̃ cęci cuiusdã postulationes, & vota nè ad Christi aures peruenirent studentibus (vt paulò superius diximus) magnatis, non vt Adrianus Imperator (qui adeò pauperibus surdus esse solebat, vt paupercula quædam necessitate ei animũ addente, ipsum audacter sic alloquuta dicatur: *Vel me audi, vel imperatoriã dignitatem depone*) sed ad pastoris instar primùm ouiculę balatũ audiẽs, stetit, vocauit, interrogauit, audiuit, & tandèm plusquam libentèr, quod efflagitabat, concessit: *Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit:* cap. 18. vbi Carthusianus art. 16. *Hoc opus Christi sectari debent prælati, principes, & iudices nostri; vtpotè stare quandò audirent, aut cernerent pauperes conquerẽtes, & vocare illos ad se ad audiendum eorum querelas, ac postulationes, vt facerent eis subuentionem, atque iustitiam expeditè. Sed heu iam dici potest de illis illud Isaiæ: Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos; immò si*

Matt. c. 19.

Idem.

Aduocat parum os pietatis magister, vt qualiter erga illos se magni ostendere debeant, ad discant.

Luc. c. 18.

Carthusian.

Vt potentium retunderet elationem, qui & videre pauperes dedignantur, cęcos, & claudos, & egenos non respuebat, immo ad se vocabat Saluator.

Digitized by Google

ſæpenumero ingreditur, plùs expendunt pauperes fortè, quàm tota eorum valeat cauſa, antequam terminetur. Sic iſti cum reliquis, quos breuitatis cauſa omitto, quàm erga pauperes, ac miſellos humanum ſe Chriſtus, ac pium oſtẽderet, declarant.

7 Porrò ſi hac Chriſti, ſanctorumq; relicta pietate, ad mundanorũ regredi voluerimus impietatem, quãtæ vis, quantæque apud eos virtutis ſit aurum, quem vnquam latere poterit? Quis in dies non optimè perſpicit, quòd non eſt ianua adeò clauibus occluſa, nec vectibus obſerata, vt eam facilè aurum non aperiat? Quis cęcus vrbium ianuas, caſtrorumque aditus, quos hoſtilis vis aperire non valet, aurum abſque difficultate vlla quotidiè reſerare non videt? Quis deniq; (vt cętera ſileam) ignorat, quòd nil ſic principum ingreditur penetralia, vt ex ipſis ſecretiora educat conſilia, niſi aurum? *Ne mireris ſi pecunia milites ſuperauerunt, quæ apud diſcipulum tantam oſtenderunt virtutem: nihil enim clauſum conſtat, quod auro, argentoque non pateat, nihil occultum, quod non pecunia indagãte ſit cognitum,* dicit Chryſoſtomus hom. 91. ſuper illud Matthæi 28. *Pecuniam copioſam dederunt ſatellitibus dicentes: dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eũ, etc.* Optimè igitur, vt concludam, dixit, qui cecinit:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Chryſoſt.

Nihil adeò clauſum, & auro, argentoque non pateat.

Matt. c. 28.

Digitized by Google

DOMINICA RESVRRECTIONIS

Dicebant ad inuicem : Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Matt. c. 16.

§. I.

Magnus ille lapis, qui in ostio monumenti positus inuertibilis existimabatur à cõge, reuolutus videtur è propinquo : quia religionis conditio visu ardua, usu facillima est.

REligionem, non quæ à religando, vt ait Isidorus lib. 18. Etymol. eò quòd per eam vni soli Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum animo seruiendi: nec quæ à reelegẽdo, vt vult Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei sortitur vocabulũ, sed quæ à relinquendo promanat, quia mundum cum suis amatoribus relinquere facit; quæ & factitia ab Anselmo appellatur, quia post legis euangelicæ institutionem ab aliquo institutore facta videtur, arcæ compararunt nonnulli, in qua non vt Noe septem mensium spatio, sed toto vitæ curriculo, si in æternum duraret, non cum vxorum, aut filiorum amica societate, sed carni, & sanguini renunciantes se ipsos includunt religiosi; vt ruente, atque stagnante diluuijs mundo, incolumis in naufrago corpore seruetur spiritus. Quam similitudinẽ prosequutus Thomas Angl. hunc dixit in modum : *Hæc arca est religio sacra, & præcipuè religio euangelica, habens tria principalia vota.* Alij tonsarum gregem illam appellarunt, quia Deo dicati uiri spiritu non minùs, quã corpore tonsi à sordibus, quę mundana cupiditate cõtrahi solent, emundati, in sublimioris vitæ statum ascendunt. Vndè Bernardus serm. 63. de paruis : *Quàm benè monachi tonsis omnibus comparantur; quia reuera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate est.* Alij pontem ex paupertate, castitate, & obedientia, veluti ex tribus lignis cõpactum (vt qui perfectè eis inniti voluerint, non in lacum labatur vita eorum; sed securius, citiusque huius seculi fluuio transacto, ad regnum perueniãt) appellandã existimarunt, cuius sententiæ fuit nuperrimè dictus Bernardus, qui sermone de tribus ordinibus Ecclesię hæc habet: *Cõtinentiũ quidem ordo ponte pertransit : quod iter breuius, & facilius, & securius esse, nemo est, qui nesciat.* Et infra, *Nec verò angusta nimis inuenietur pontis semita currere in ea volentibus. Tribus enim compactus est lignis pons; vt qui perfectè eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ.* Alij præsepe, ac diuersorium dixerunt, in quo religiosus diuertens à malo, & faciens bonum, inter stabuli asperitates cum paruulo Iesu, & Virgine matre cordis pacem inquirit, & persequitur eã. Quod elegantèr nimis dixit Adam de Persenia super illud: *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus, &c.* Luc. 2. *Certè Christi diuersorium monasterium dixerim, ad quod diuertens à malo, vt facias bonum, diuertisti. Præsepium intra diuersorium, claustrum dico intra monasterium vita professionis vinculo, & loro disciplinæ tamquam mansuetum animal obligasti. Quid autem hordeum dixerim in præsepio, nisi ordinem, qui tenetur in claustro? aristæ quippè, & palcæ hordei asperitates, & difficultates exprimunt, quas tolerari oportet inter obseruantias ordi-*

Religionis ethymologia.

Religio Noè arca.

Thomas Angl.

Bernardus.

Religiosi mẽte, & corpore cõsi esse debent.

Idem.

Tribus votis, veluti ex tribus lignis, cõpacto sibi ponte religiosi ad cœlum facilè tranleunt.

Adam de Persenia.

Religio Christi præsepe.

Digitized by Google

ordinis instituti. Apud Tilmannum. Alij denique (nè singulorum singulas recenseam similitudines) nunc fluuio, nũc eã stagno assimilarunt; fluuio quidem, cùm è loco voluptatis exeuntes religiosi, verbis, exemplisque vniuersum mundum instruunt, atque irrigant; stagno autem, cùm clausurarum septis inclusi, inter dulcissimas religionis obseruantias enatantes, in sapidissimas diuini oris epulas (vt ita dicã) mutari expectant: *Fluuius est praedicatorum ordo*, ait idem Bernardus serm. 1. de S. Andrea, *non in eodem permanens loco, sed extendens se, & currẽs; vt diuersas irriget terras. Sunt & in stagno mundi pisces, qui in claustro Deo seruiunt in spiritu, & virtute. Meritò siquidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodò incarcerati pisces euagandi non habent facultatem, quo videlicet parati sint ad epulas spirituales, dicentes: Quando veniet, qui me deferat? Cunctis diebus, quibus nunc milito expectio, donec veniat immutatio mea.* His tamen, alijsque multis comparationibus, quę adduci possent non obstantibus, accõmodatior semper pro præsenti tractatione illa sepulchri mihi visa est; quia si iuxtà illud celebre Eugenij Papæ axioma mũdo mortuus est censẽdus religiosus: *Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mũdo mortuus est*, ac Abbatis Apollo consiliũ, ꝙ religionem ingrediẽtibus: (vt habetur apud Cassian. collat. 2. c. 13.) dare solebat, dicẽdo: *Hodierno die te huic mundo, & actibus eius, ac desiderijs esse defunctum agnosce*, non tàm arcæ, quia viui in ea nauigabant inclusi; nec tàm gregi, quia ni viuus de lauacro ascendere nequisset; nec tàm diuersorio, quia viui sunt, qui à malo diuertunt, & bonum faciunt; nec denique tàm fluuio, ac stagno, quia viui in ipsis natant pisces; quàm sepulchro comparanda religio est, dum non viuos, sed vitæ fũctos occludit, & continet. Quapropter Philippus de Greue serm. 314. *Ossa absconduntur in sepulchris, & religiosi in claustris: per se non exeunt: educi possunt ex causa. Vndè sepulchri violator est, qui ossa extrahit de sepulchro; sic qui claustrales de claustro extrahit sine legitima causa, quandò scilicet non vocat necessitas charitatis.* Huius ergo sepulchri ostio (iuxtà euangelicam lectionem) fœminis, non viris lapis magnus admotus apparet; quia ordinũ instituta, quæ frigidi, tepidique huius seculi filij impòssibilia existimant, facillima Deo dicati experiuntur, & dulcia. Quam dulcedinem expertus D. Antonius Paduanus super citata pro themate verba: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* serm. 16. in Dominicali in die S. Paschæ, hæc habet: *Ad monumẽtum vadit, qui in aliquo monasterio, vel religione pœnitentiam agere promittit; sed considerans lapidis magnitudinem, idest, religionis asperitatem, dicit: Quis reuoluet nobis lapidem? Lapis magnus ingressus difficilis, vigiliarum instantia, ieiuniorum frequẽtia, ciborum parsimonia, vestis aspera, disciplina dura, paupertas voluntaria, obedientia prompta. Et quis reuoluet nobis lapidem? O mentes fœmineæ, accedite & respicite; nolite diffidere, et videbitis reuolutũ lapidem. Angelus (inquit Matthæus) Domini descẽdit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, Angelus est gratia Spiritus sancti, quæ lapidem ab ostio monumenti remouet, fragilitatem confortat, omnem asperitatẽ mollificat, & omnem amaritudinẽ sui amoris balsamo dulcificat.* Sic ipse quàm à veritate aberrent mundani, qui à longè aspicientes, lapidis magnitudine perterriti, à tàm glorioso facinore (ab ingressu inquam religionis) se abstinent, ostendit; ostendenque sequentia.

2 Putabam & ego antequam huius monumenti tentarẽ ingressum, lapidẽ magnum ad eius ostium esse admotum; putabam inquam religiosos illos esse violentos, de quibus Dominus per Matt. cap. 11. dicit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quia non absque violentia amotò ab ostio lapide, sepulchrum ingrediuntur, crucem tollunt, & per ardua mandatorum itinera Christũ sequuntur; at vbi primum sepulchrum ingressus, mirifica monasterij suauitate potiri, & pacatę, felicisque cellulæ requiei indulgere cępi; vtq; posteà paupertate ditari, laboribus quiescere, ieiunijs reficì, et denique vt aliorũ exẽplo (qui humilitate profundi, contempla-

Bernardus. Religiosi. veluti pisces in stagno inclusi, euagãdi non habẽt facultatem.

Eug. Pap. Mũdo mortuum se debet religiosus agnoscere. *Abbas Apol.*

Philippus de Greue. Religiosi ossa arida in sepulchro occlusa.

Antonius de Padua. Religio sepulchrum. Eius amaritudines amoris diuini suauitate dulcorãtur.

Matt. c. 11.

Digitized by Google

platione ſublimes, charitate feruentes, ſpiritu gaudentes, mundum negligentes, cęleſtium amore æſtuantes, die, noctuque cum omni ſedulitate Deo ſeruire inuigilant) roboratus, viã mandatorum currere cœpi, non vt putant mundani, ſuo gladio eos peremptos dixi, qui ætate florentes, bonis fruentes, & diuitijs affluentes in hunc ſe inferunt ſepulchrum, & præoccupato mortis die, inter vita functos in buſtis ſe claudunt; quia eorum vitam cum Chriſto in Deo abſconditam eſſe perſpicio; immò ad Noe arcæ inſtar, non implacabilis diluuij inualeſcentibus aquis, ſed ſpiritualibus excreſcentibus religionis exercitationibus, ſurſum ſemper eleuantur, cæloque appropinquant; & adeò quidem, vt penè ad ipſum cœli atrium peruenientes (iuxtà illud Dauidis: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine uirtutum! cõcupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* pſal. 83.) non violentèr, ſed ea facilitate cęlum ingrediuntur, qua ex atrio domus ad ipſam domum proximè ſitam venitur. Fauet Bernardinus Senenſ. tom. 1. ſerm. 16. Sabb. poſt 1. Dom. quadrag. art. 3. cap. 3. *Ex prædictis nouem rationibus B. Bernardi lucidiſſimè patet, quanta differentia ſit inter uitam ſeculi nequã, & uitam religioſam angelicam, & diuinam, quæ uerè dici poteſt cœleſtis uita: ac quælibet congregatio ſeruorum Dei profeſſionem ſuam ſeruantium quodammodò paradiſus paruus appellari poteſt in terra. Hanc autem ſacratam religionem à longè propheta contemplans pſal 132. congratulantèr ait: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum.*

Pſal. 83.

Cœli atriũ.

Bernardin. Senenſ.

Paruus paradiſus.

3 Vndique auro, vndique pretioſis, ac mirabilibus Salomonis templũ fulgebat; & adeò quidem, vt ipsũ ingrediẽtes in ſui admirationẽ adduceret, atque ſtuporem; me tamen nec eius ſtructura, nec magnitudo, nec pretioſitas, nec ordo, nec quidquam aliud admiratione afficit; cùm regali, pacificæque tanti regis potentiæ talem efficere ſtructuram magnum cettè non fuerit; at quòd in oraculi introitu paruulas ianuas de lignis oliuarum effecerit: *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum.* 3. Reg. cap. 6. mirabile prorsùs mihi videtur, cùm nec templi magnitudini ianuarum reſponderet anguſtia; nec reliquo ornatui, qui ex lignis cedrinis erat (eadem dicente ſcriptura loco præfato: *Cedro omnis domus intrinſecus ueſtiebatur.*) ſe oliua cõformaret; vndè igitur diſcordantia tanta, tantaq; varietas? An fortè locus deficiebat, & cedrus, quòd nõ oſtia, ſed oſtiola, & ipſa non ex cedro, ſed ex oliua effecit? Nequaquam ſanè, nam nec ex templi magnitudine, nec ex cedrorũ affluentia inferri id poteſt; vndè ergo Salomonis ſapientia ad hæc ſic efficienda moueretur, haùd facilè antehac capere poteram, nunc autem ad myſticum ſenſum rem reducendo diuinitùs id factum percipio; quia ſi templum Eccleſiam, oraculum religiones figurabat, & ordines, qui cùm virtutis ſint gymnaſia, & hæc (iuxta Ariſtotelis ſententiam) circa difficile verſetur, iure optimo non oſtia, per quæ facilè, ſed oſtiola, per quæ difficultèr ingreditur, habere dicuntur; verùm quia diuinæ gratiæ oleo delibutæ aſperitates ſuaues fiunt, ac dulces, oſtiola quidem vocantur, ſed de lignis oliuarum eſſe ſcribuntur, vt nil non ſuaue in religionũ ingreſſu experiri ſolere intelligas. A Giliberto apud Tilmannum hoc accepi, dicente: *Oſtiola dicta ſunt, & oliuarum. Arctus introitus, ſed in pinguedine gratiæ ſine difficultate illaberis, vbi ſubtilis eſt intelligentia, & ſecretum myſterium: non laborioſus patebit ingreſſus, ſi deuotionis, & charitatis oleo quaſi oſtio volueris uti.* Optima equidẽ omnia, ſed illa maximè: *Arctus introitus, ſed in pinguedine gratiæ ſine difficultate illaberis,* noſtrum probant argumentum, quòd & ſi difficilis à longè religionis videatur ingreſſus, de propinquo tamen facillimus reperiatur, & dulcis.

3. Reg. c. 6.

Gilibertus.

Arctus eſt religionis introitus, ſed in pinguedine gratiæ ſine difficultate illaberis.

4 Quòd, vt ſibi peraccommodum, Philiſthæi gladium pluſquàm libẽtèr acciperet Dauid, ſacra dicente pagina 1. Reg. 21. *Dixit ſacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quẽ percuſſiſti in Valle Terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle, &c. Et ait Dauid: Non eſt huic alter ſimi-*

1. Reg. c. 21.

lis,

lis, da mihi eum, miratur multùm Petrus Damianus serm. 74. & quidem satis iustè, quia si Saulis gladio accinctus incedere minimè valebat, vt c. 17. eadem testatur scriptura: *Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cæpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum habeo,* multò ei absurdior ille Goliath esse debebat, quia (vt ex reliquorũ armorum descriptione colligitur) magnitudine istum Saulis superabat, & põdere; & tamen hoc recusato, illum laudat, atq; perlibenter assumit. Et quid est bone Deus, q̃ illo accinctus, an incedere posset, nõ tentat? An fortè quia armatũ incedere, q̃ tentatum solum modò graue videbatur, vsu posteà facillimum experiebatur? Prorsus ita ait allatus Damianus: *Nec dum experimentum sui ille Dei miles acceperat, de quo scriptura dicit: quia imposita galea ærea super caput eius, &c. dixit non possum sic incedere, quia non vsum habeo, & deposuit eam. Iam autem idem se doctè probauerat, cùm gladium Goliath Philisthæi inuolutũ pallio post ephod abstulit, & secum à facie persequentis Saul fugiendo portauit, dicens: non est alter gladius similis illi.* En quarè aspera aliquibus videatur virtus, arcta cœli via, & importabilia religionis pondera; quia Dei gladium super femur suũ assumere, ac ad palestrã accedere tentant solũmodò quãdoque, ingrediuntur autem nequaquam; at si excusso timore claustrum semel ingressi cum veteranis Christi militibus in arena se exercere, virtutique assuescere inciperent, latum nimis Dei mandatum, & facilem multùm iustitiæ semitam inuenirẽt, quod post multos docet Vgo Card. super verba illa Saluatoris: *Iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11. *Grauat in principio, quia graue est cõsuetudinem deserere, sicut enim in stupore dentium grauat primò comedere; sed posteà delectat, sic processu temporis ineffabilis delectationis dulcedine fit suauis, & dilatatur.* Sic vndè grauia, vndeque religionis onera leuia appareant, innotescit, & claret.

Ibid. c. 17.

Petrus Damianus.

Arduum quo libet vsu facillimum redditur.

Matt. c. 11.

Vgo Card. Grauat in Initio religionis onus, sed assuetis leue est, atq; suaue

Et quidẽ adeò leuia sũt religionis onera, vt ficta, & somniata potius pondera, quàm vera esse videantur. Meum non est hoc, quod dico, sed Dauidis, qui psal. 93. hæc habet: *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* quæ & si ad Pharaonem, qui difficultatem fingebat in præcepto dimittẽdi populum, vt iret viam trium dierum ad sacrificandum, directa autumet Treuetus: & ad terræ promissionis exploratores ac alios, quos hi perterruerũt, nè obedirent diuino præcepto, vt in terram illam ingrederentur, Lyranus opinatur, & Aiguanus; Deo tamen dicta fuisse communior, veriorque sentit opinio, & quãuis de labore veluti sub præcepto imposito verba interpretetur Augustinus, qui dicit: *Formas dolorem in præcepto; ideſt de dolore præceptum nobis facis, vt ipse dolor præceptum sit nobis.* Quod quonam pacto intelligi debeat, illicò explicat ipse, qui fusè nimis nequaquam fingendi verbo figmentum, aut simulationem esse suspicandam probat, sed factionem, formationem, & plasmationem per illud intelligendam asserit, quæ veram, & germanam equidem verbi esse explicationem, fateor quidem; fas nihilominùs pro præsenti argumento mihi sit dicere, quòd laborem Deus in præcepto fingit, quia suæ gratiæ infusione adeò religionum præcepta facilia, & suauia reddit, vt labor in illorum obseruantia requisitus, fictus quodammodò videatur, nõ verus. Tetigit (ni decipior) rem Vgo Cardinalis, dum super citatum psalmi locum fatur: *Fingis laborem in præcepto, ideſt, emollis, & tractabilem, et tolerabilem facis laborem, vel dolorem in præcepto tuo, ideſt, in præcepto charitatis, in quo omnes coniungis, et vnis tibi, vt coniuncti inuicem, atque tibi, leuiter portent, quod disiuncti portare non possent.* Hæc ipse, quæ & si de dilectionis tãtùm præcepto dicta videantur, de omnium tamen ordinum, ac religionum dici possunt, ac debent; nam præcepta, quæ à religiosorum consortio seiuncti perhorrescunt mundani; adeò mollia, & tractabilia experiuntur Deo dicati, vt fictum se non verum laborem in taliũ præ-

Psal. 93.

Augustin.

Verborũ illorum: *Fingis laborem in præcepto.* psal. 73. intellectus.

Vgo Card.

Religionis labores ficti religiosis videntur, non veri.

Digitized by Google

præceptorum adimpletione adhibere existiment.

6 At quid in regulæ, præceptorumque obseruatione ficte religiosos laborare dixi? Nec imaginarie quidē eos fatigare asserit Nanzianzenus, dū orat. 2. ait, quòd propterea primi ad vineam missi non maiorem mercedem acceperunt, quàm vltimi ad eiusdem culturam destinati, quia ipsemet labor pro Dominicę vineę cultura assumptus non verus, nec fictus labor est, sed merces, & quies: *Hoc ipsū ampliùs laborare, ait ipse, amplioris mercedis loco habendū est; bis quidē certè, qui animo sūt nō omninò illiberali, ac sordido.*

Nanzianz.

Pro Christo laborare pręmij loco habendum est.

7 Terrestri paradiso religionem à nōnullis cōparari, etiō, post antiquiores dicente Pincto: *Religio est veluti paradisus terrestris.* quia non tàm, vt ipsemet ait, ex ea riuuli lamentabilium lacrymarum fluunt, quæ ex cordis fonte videndi Deum desiderio æstuantis prosiliunt; nec quia ad paradisi instar celsas habet contemplationis arbores, frondes virides sacrorum verborum, iucundos flores rectorum desideriorum, sapidos bonorum operum fructus, & votorum sanctæ religionis perfectum cumulum; sed quoniam (quod ad rem nostram maximè facit) non laborioso opere, sed ad primi hominis instar, qui præceptis imbutus, & institutione formatus, nō ad laborē, sed ad solatiū potiùs in paradiso operari debebat (dicēte Lyrano: *Vt operaretur ibi, nō opere laborioso, sed magis delectabili, ad experientiam, & exercitium suæ virtutis*) dulciter, suauiterque nimis in præceptorum adimpletione laborant religiosi; ad mūdanos, qui aliter rem existimant, clamāte Dauide: *Venite, & videte quàm suauis est Dominus.* psal. 33. at ꝙ deserto posteà comparetur quandoque iuxtà illud Oseæ 1. *Ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius*, quod animæ religiosę in solitudinem religionis deductæ applicat Philippus de Greue, qui viterius serm. 64. tunc Moysen ad interiora deserti oues ducere asserit, cū Christus ad interiora monasteriorū penetralia obedientes assumit. Et antē ipsum Adam de Persenia: *Desertū est vita claustralium, quā nec mundi concupiscentia calcat, nec ambitio tumultuosa frequentat, nec seculi luxus hunectat. Desertum rectè dicitur, vbi nec frumentum mundanæ suauitatis, nec vinum erroris, nec oleum adulationis nascitur,* capere haud quaquam poteram, cùm nulla prorsus inter desertum, & voluptatis locum videatur conuentio; acutius tamen rem considerans maximo, optimoque iure deserto religionem comparari reperio; quia si deserti opacitas, inamœnitas, sterilitas, & solitudo, quæ horrorem, terroremque hominibus incutere solēt, pace, quieteque fruendi causa, dulces, atq; suaues feris apparere consueuerunt; in dulcorem maximum, ineffabilemque viris Deo dicatis, spiritalem pacem quærentibus, religionis solitudines, & asperitates mutantur, atque vertuntur. Quod per Isaiā expressissimè Veritas ipsa testatur, dū dicit: *Ponam desertum eius delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* cap. 51. quo oraculo edoctus Vgo Card. hunc dixit in modum: *Per desertum claustrum significatur, iuxtà illud Matt. 4. Ductus est Iesus in desertum. Et Cant. 8. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens. Deliciæ istæ sunt paupertas, asperitas, vilitas, & cætera, in quibus boni claustrales delectantur. Et benè dicuntur istæ deliciæ, quia vt vinum, ꝙ pūgitiuū est in se, transfusum per saccum plenum speciebus fit pigmentum; sic amaritudines, quæ per saccum humanitatis Christi, qui Christus fuit plenus speciebus virtutum, immò etiam ipse fuit species aromatica. Tales, inquam, amaritudines sic colatæ, & transfusæ per eum, nobis debent esse pigmentum.* Ecce tibi quàm mendaces sint filij hominum in stateris, dum suo pede religiosos metientes, ijsdem deserti asperitatibus illos affici putant, quibus seipsos vitijs mancipatos afflictari sentiunt, cùm in partem alteram, nempè virtutis, se transferre cogitant, vel incipiunt. Quapropter Philippus de Greue supra allato sermone dicere sic consueuit: *Conuersatio sanctorum, siue religio non est exterius, sed interius inspicienda, & æmulanda. Mundani enim vident exterius, & abhorrent, & dicunt eam desertum propter habitus vilitatem, sterilitatem, & penuriam cibi,*

Pinctus.

Lyranus.

Religio terrestris paradisus.

Psal. 33.

Osee. c. 1.

Adam de Persenia.

Claustralis vita desertū nuncupata, & quare?

Isaias c. 51.

Vgo Card.

Philippus de Greue.

Digitized by Google

Ex deserto in deliciarū paradisum religiosis cōcertitur.

cibi, & potus: sed non attendunt, quòd habeat sub inamanitate delectationem, & pulchritudinem. Vnde Cant. 1. Nigra sum, sed formosa. Idèo comparatur nuci, quæ exterius amara est, intus autem sapida. Frange nucleum, & dulcedinem inuenies. Et ita equidem est, nam sicut pisces maris inter salsas, amarasq; eiusdem maris aquas suauitatem quamdam percipiūt, cuius ratione in ipsis aquis gaudent; sic religiosi inter ipsas religionis austeritates cœlestis gaudij prælibant dulcedines.

8 In illa Pauli verba: *Post velamentum, &c. arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Ad Hebræos 9. quoties incidi, toties non potui non mirari, quid est, quòd lapides, & ligna, & non propositionis panes augustissimam figurantes Eucharistiam; nec velum diuinissimam Christi carnem (iuxta Pauli sententiam) exprimens tam sedulò, reuerenterque asseruantur? Si dices, quòd eadem per māna significabātur, & legē; nam lex est, quæ transubstantiationem panis in verum Christi corpus, & vini in verum sanguinem credendum instruit, & iniungit, denuò ad quid inter legem, & Eucharistiam significantia virga reponeretur inquiro. Et licèt Oecumenius in Glossa relatus, ad Iudæorum ingratitudinem iugiter confundendam hæc asseruata autumet; cùm dicit: *Omnia hæc erant in arca, quę ingratitudinem conuincerent Iudæorum: virga quidem propter seditionem in ordinatione Aaron: tabulæ verò eò quòd Iudæi occasio fuissent, cur priores confringerentur. Manna autem eò quòd edentes illud murmurassent. Oportuit igitur, vt hæc ad nepotes transmitterentur.* Quæ etiam Chrysostomi, aliorumque fuit sententia: pro re tamen, de qua agimus, mysteriū magnū detego, illudq; dico in mundanis, & religiosis, quia si arca, quæ ab arcendo dicitur, religionis est typus, quæ viros, mulieresque à seculo arcet, iure optimo legem, virgam, & māna abscōdit, & seruat; quia lex illa religiosorū, quæ ob sui asperitatem virga ferrea mundanis à longe eam inspiciētibus apparet; à religiosis in arcæ penetralibus inclusis cælestis, suauissimaque præ spiritualium consolationum dulcedine æstimatur, ac ducitur; quapropter cum Dauide sæpè sæpius clamando: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* psal. 118. dicere mundanis videntur: vsque quò filij hominum diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quare non expergescimini filij ebrij, vt saltem nouissima prouidētes, vos in iniquitatis via, nō religiosos in perfectionis semita laxari agnoscatis? Si vsquemodò arcta vobis visa est religiosorū via, & angustus callis eorum, viam mandatorum ipsorum currere incipite, & videbitis, quòd æquitatis semitas, qui ingressus ipsius. Si veluti à facie colubri religiosorum effugistis institutū, cōsentio equidē, quòd illud in terram per inobseruantiam proijcienti coluber est; at si extensa manu ipsū apprehenderitis, in virgam vertetur, qua nedum fustentari, sed portenta etiam operari poteritis, & prodigia. Si in professionis emissione inter prælati manus suas iungentes religiosi, ab illis ligari, & super votorum struē sacrificari vobis videntur, latere vos minimè debet; q nō Beniamin doloris filius, sed Isaac, qui risus interpretatur, in hac ara immolatur; quia incruentum hoc sacrificium non cū tristitia, & dolore, sed cum risu fit, & lætitia. Si succensa fornax vobis clausrum apparet, in quam ingressi religiosi ingi ærumnarum igne cōburi videntur; sit fornax, vt dicitis, sed perflat Deus hāc fornacem suauissimo spiritu suo, roremq; dulcedinis suæ in eam immittēdo, labores extinguit, flammas temperat, summamque lætitiam inclusis affert. Quid igitur timetis? Quid trepidatis? Abijcite opera tenebrarum, & accedite ad sepulchrum, quia facilè illo adiuuāte, qui dat velle, & perficere, lapidem reuoluetis. Ingredimini desertum; immò cum Moyse in deserti interiora potentiarum, sensuumq; vestrorum gregem minate, & visionem magnam videbitis, quòd. s. paupertate vilitate, & ærumnis ardeat quidem religiosorum rubus, sed non consumatur, quia si maledicuntur, benedicun-

Hebr. c. 9.

Oecumen.

Suprema ingratorum confusio beneficiorum memoria.

Psal. 118.

Religionis leges, quæ virga ferrea mundanis videntur, super mel, & fauum dulces religiosis apparent.

cluntur etiã; persequutionem patiũtur, sed cum lætitia sustinent. Quibus si fidem præstare renuitis; Bernardo saltẽ illam prębete dicenti: *Aduertere potes in omnibus ferè religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos, semper & hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, solicitos obseruatores conscientiæ, & deuotos sectatores bonorum operum; quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique conuersationis huius austeritas refrigerium videatur.* serm.6. de Ascensione.

Bernardus.

Religiosis admodum suauis religiosa austeritas.

Introeuntes in monumẽtum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Marc. 16.

§. II.

Eminùs inspecta religiosorum vita candida adeò videtur, vt penè angelica stuporem incutiat, atq; terrorem: cominùs autem, vt cæterorum, vilis apparet, & despicabilis.

COpiam, quæ pretiosa quęq; raritatis causa præstantia (iuxta illud Aristidis oratione priore Platonica de Rethor. *Maxima quaque in paucissimis cadunt*) vilescere facit (qua de causa Chrysostomus hom.19. ad Corinth.1. *Qui magnum quid habẽt, & pulchrum, quandò sibi id habent, magis efferuntur; sin autem apparuerit eos cum alijs id possidere, hoc eis minùs accidit*) virtutum etiam opinionem deprimere satis ethnicis ipsis illuxit; nã, teste Laertio lib.4. cap.8. instantèr ab Attalo rege accersitus Lacides, nedũ illũ adire renuit; verùm breuitèr etiã ab eius nuncijs se expediuit, dicendo: *Imagines eminùs spectandæ sunt. Innuẽs*, ait mòx dictus Laertius, *arctã, assiduãque familiaritatem sæpè minuere virtutis admirationem*. Cuius rei minimè ignarus Cato, vt fertur, Manutium ad se in Cypro accedentem inciuilitèr repulit, cuius inurbanitatis redargutus aliquando, sic se purgasse testatur Cato Vticensis lib.5. apoph. *Illum repuli, nè (iuxtà Theophrasti sententiam) nimia amicitia causam aliquandò daret odio.* Et ita quidem accidere plerumque solet, nam teste Plutarcho in Pericl. *Ea vis est consuetudinis cum amicis, atque conuictu, vt omnem maiestatem deprimere valeat: & in familiaritatibus retineri grauitas, quæ ad gloriam requiritur, vix potest.* Quę si vera vt verissima sunt, non mirum quòd pulcher adeò apparet, & decorus Iuuenis iste, vt eũ intuentes in admirationem, atq; stuporem adducat: *Viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.* Marc.16. cũ in sepulchro claustrum figurante (vt in superioribus diximus) moretur, & sedeat: quandoquidem religiosus longè à mundanorum cętibus semotus, veluti pictura elegantem sui formam prætendit; quò verò propiùs conspicitur, eò minùs perfectus videtur. Quod considerans Petrus Damianus religiosis nè propiùs videri patiantur, sed à longe tantùm (vt proceræ, præstantesque figuræ) se considerari permittant, elegantissimis hisce verbis suasit in apologia de contemptu secul. opusc.12. cap.26. *Apud quosdam absentis monachi auctoritas grauis est: Si autem præsens affuerit nullius iudicatur esse momenti; sæpè cuiuslibet venerabilis viri litteris reuerentiæ honor impenditur, qui personæ, si adsit, indeuotiùs exhibetur. Apud seculares enim religiosus quique veluti pictura est. Pictura, siquidem si procul assistat, inhiantèr, & cum auiditate prospicitur: Si iuxta sit, cõtemptibilis iudicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autẽ videtur esse despectui. Quod & Apostolus sibimet contigisse testatur, cùm ait 2. ad Corinth. 10. Epistolæ graues sunt, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Quos enim*

Aristi.

Chrysost.

Copia vilescunt, quæ raritate præstantia erat.

Laertius.

Cato Vtic.

Plutarchus.

Haud quaquam in familiaritatibus retineri grauitas potest.

Marc.c.16.

Petrus Damianus.

Veluti pictura Religiosus à lõgè admirationẽ incutit, propiùs autẽ inspectus cõtemptibilis apparet.

epistolarum grauitate terruerat, ijs corporalis præsentia despicabilis apparebat. Sic nō se se omnibus adiungētes, nec omniū cubicula penetrantes, sed potiùs, vt pictura procul stantes, perfectionē suam religiosi exhibent, atque declarant. Pro quo argumento te audire non pigeat.

2 Monasticam vitam nunc pœnè angelicam vocauit Bernardus in libro de præcepto, & dispensatione: *Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellētiam vitæ spiritualis, quæ præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus, huiusmodi conuersationis professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit.* Nunc prorsus angelicam nuncupauit Basilius in Constitutione monastica cap. 19. *Hi vitæ diligentèr communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur.* Et nunc Angelis ipsis admirabilem dixit S. Ephrem Paranæs. 1. ad religion. *Admirandum spectaculum in cælis est monachus super terram angelicam vitam agens.* At si monachum, qui in claustro degens, & in monasterij penetralibus incluſus cælicis ipsis spiritibus admirādus apparet, extra charitatis prætextum, in vijs videri, in cœtus irrumpere, vel aulas frequentare cōtigerit, heu luctuosa mutatio! ex Angelo homo, & hominibus cunctis vulgarior fortè, & contēptibilior videbitur. Quod benè noscens Bernardus serm. 64. de paruis propterea dentibus claustrales comparatos existimat, iuxta illud Thren. 3. *Confregit ad numerum dentes meos,* quia si hi duplici labiorum septo sunt à natura incluſi, vt nunquam, nisi risus causa se prodant; sic ipsi charitate excepta, quę per risum figuratur, prodire in publicum nequaquam debent; alioquin, vt pictura de propinquo inspecta, in contemptum deuenient, & derisum: *Clausi sunt dentes labijs, nè videantur,* ait ipse, *sic & nos materialibus vallis circumcingimur, nè secularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum fortè ad risum; quia nil turpius, quàm monachus per vrbes, & castella discurrēs, nisi cùm illa cogit, qua operit multitudinem peccatorum. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem, non tamen dissoluta.* Hæc ipse, antè quem magnus, inclytusque ille monasticæ vitæ pater Antonius præsentes filios alloquēs, futurosque religiosos garrulos, vagos, & quietis impatientes, qui nunquam pedibus suis in claustris consistere valentes, huc, illucque percursuros præuidébat, carpens, hunc dicere consueuit in modum: *Quemadmodum humida substantia piscibus escam præbet, sic vita solitaria lumen, & ornamentum religiosis subministrat. Et vt pisces mare sulcantes in terra corrumpuntur: ità gloriosa monachorum fama, & existimatio in ciuitatum, & vrbium ingressu corruit, & labefactatur.*

3 Aliàs me locum illum librasse recordor: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.* Gen. 22. & quamuis sufficienter illum me expendisse non lateat, pro præsenti nihilominùs instituto vulgaris non erit æxtimāda subtilitas, quòd ob id (ni temerarius videor) tanti patris soboles rebus tam discordantibus, nullamque habentibus conueniētiam, ac proportionem comparatur; quia si ipse tabernacula, & tentoria in campis, & solitudinibus sita inhabitans, patriarchas ordinum institutores præsignabat; filij virorū Deo dicatorū, in claustrisq; recluſorum gestabant figuram: & quia hi nunc cælestes, nunc terreni; nunc Angelis admirabiles, nunc verò hominibus contēptibiles apparere debebant iurè illi, & cœli stellis, & terræ cōparantur arenæ, vt præfatorum Dei verborum sensus esset: quia religiosos, per tuam sobolē figuratos, ab Ecclesia ad forū, è claustris ad curias, & è cellulis ad aulas frequentèr progressuros præuideo, ideò eos stellis comparo, & arenæ, vt intelligant; quòd cùm è religionis cœlo per futilem egressum ceciderint, vt terræ puluis contemptibiles apparebunt. Meum non est hoc, quod dico, sed Hectoris Pinci, qui super illud Isaiæ 34. *Omnis militia cælorum decidet;* ad moralem sensum confugiens, hæc habet: *Per stellas intelliguntur religiosi, qui à terra separati cælo adhærent, qui debent dicere cum Paulo: Nostra con-*

Ant. Abb. Sicut pisces in terra corrumpitur: sic religiosorū fama in ciuitatibus labefactatur.

Gen. 22.

Isaias c. 34.

Pinctus.

Bernardus. Vita religiosa angelica.

Basilius.

Ephrem. Admirandū spectaculum in cœlis monachus super terram angelicā vitam agens.

Thren. c. 3.

Bernardus. Religiosus charitatis excepto prætextu mundanorum se oculis exhibens, contēptibilis apparet.

Digitized by Google

In claustri cœlo, vt stellæ fulgẽt religiosi, in foro autem, vt terræ puluis, contemptibiles apparent.

conuersatio in cælis est. Hi reuocantes animum ab omni turbulento negotio; à terra se longissimè efferunt, & ad cælum per cõtemplationem rapiuntur: ideò stellis in cælo fulgentibus meritò comparantur. At tunc stellæ dicuntur cadere de cælo, quandò orationem, contemplationẽ, & solitariam quietem contemnunt, & se distrahunt, humanisque negotijs implicant per ciuitates inquietè vagantes. Hi dicuntur cadere in terram, & hi sunt stellæ illæ, quas hic Isaias vt folia cadere dicit. Statimque ad stellas illas, quas de cœlo casuras prædixit Saluator Matt. 23. *Stellæ cadent de cælo,* sermonem vertens, subdit: *Hi sunt stellæ illæ, de quibus Christus ait apud Matt. Stellæ cadent de cælo. Perpende obsecro, & alta mente considera ex quàm alto loco cadit religiosus, qui se secularibus contaminat, ex cælo in terram. Felices illi, qui permanent in religione, et obseruantia, qui quieti, erecti, et eleuati in cælo versantur, qui Deum laudantes, et humana contemnentes, vita, et doctrina erudiunt multos; hi quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* Hæc ipse, quæ satis apertè probant, non semper stellis religiosos esse comparandos, sed tunc tantùm cùm solitariam vitam ducentes, in cœlo per contemplationem versantur; nam cùm secularibus se negotijs implicando in terram cadunt, terræ puluerj, & arenæ, quæ in huius mundi littore plurima est, comparari meritò possunt, & debent, dum à cæteris aut parum, aut nihil differre videntur.

Matt. c. 23.

Idem.

E cœlo in terrã cadũt stellæ istæ, cùm relicta cella ciuitates frequentant.

4 Super omnia Ierosolymitanæ ciuitatis excidia nil sic largè flendo lamentabatur Ieremias, quàm luctuosam Nazaræorum mutationem, quã prophetali spiritu præuidens, hunc conquerebatur in modum: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum.* Thren. 4. Heu (ac si diceret) numquam satis deplorata mutatio! & vbi est Nazaræorum nitor? Quò eorum abijt speciositas? Quis niueũ candorem in nigredinem, & tantum ruborem in pallorem maximum mutauit, & vertit? At qui sunt hi Nazaræi, quorum luctuosam mutationem sic largitèr propheta lamentatur, & deflet? Num illi, qui à pueritia Deo dicati nouaculã super capita sua non admittebant? Et quidem, sed (ni decipior) illi maximè, de quibus ipse immediatè sequitur: *Et non sunt cogniti in plateis.* Qui autem sint illi, qui in plateis non cognoscuntur, audi Gilibertum à Tilmanno super præfatum Ieremiæ locum allatum: *Magna certè collaudatio, sed misera commutatio. Candor niuis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo sapphiri, & puritas carbonis obducitur nigredine. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Non sunt vtique pro Nazaræis cogniti iam in plateis. Silebo de alijs: ordinis nostri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in vniuersa terra: in initijs, quandò vix erant in plateis, statim cogniti pro sanctis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo, aut pro tenui distincti, & signati sunt à cæteris. Ideò non sunt cogniti quasi Nazaræi in plateis. Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit.* Hactenus ipse, tu verò, qui sint Nazaræi in plateis nõ cogniti; quidnè in eis speciem sic permutet, vt cognosci penitùs nequeant, colligere facillimè poteris, & videre

Thren. c. 4.

Gilibertus.

Platearum frequentia adeò religiosorũ deturpat existimationẽ, vt parũ, aut nihil à cæteris eos differre ostendat.

5 Aduocat modò dictum (quòd plateæ frequentia adeò religiosos decoloret, adeòque in eos peregrinam inducat speciem, vt cognosci nullatenus possint) locum illum Ezech. 42. in quo habetur; quòd ni depositis sacerdotalibus indumẽtis Domino cõsecratis, de sanctis ad populum egredi haudquaquam poterant sacerdotes: *Cùm autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestientur q; vestimentis alijs, et sic procedant ad populum,* quod etsi ad insinuãdum quòd rudi populo non sunt alta Dei mysteria manifestanda Dominũ id præcepisse opinentur nonnulli, qui vlteriùs addunt, quòd qui non posśũt templi adyta penetrare, nec sublimia diuinæ sapientię arcana intelligere valent, propterea paruulorum instar, lacte facilis, simpliciśque doctrinæ nutriendi sunt, non solido excelsorum

Ezechiel. c. 42.

Digitized by Google

rum mysteriorum cibo ; iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis*, nihilominus pro re hac, quam præ manibus habemus; mirabilis erit loci istius interpretatio, si dicetur; quòd ob id in gazophilacijs, seu in sanctis sacerdotales relinquuntur vestes, & aliæ in egressu ad populũ à sacerdotibus assumũtur; quia semoto charitatis prætextu, fieri vix potest, quin in ipso cœnobiorum egressu religiosi, vel sanctitatis vestem mutent (si non amittunt etiam) vel saltem mutasse videantur, dum foras ad populum egrediuntur. Quod quàm verum sit, pauca illa prædicti Giliberti verba: *Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem induxit*, declarant, & probant.

1. *Corinth.* c. 3.

In ipso cœnobij egressu speciem, decoremque mutare videntur religiosi.

Gilibertus.

6 Quòd Moysi manus è sinu protracta lepra videretur cooperta, & in eundem retracta, vt caro reliqua appareret, vt habetur ex. cap. 4. Exodi, ad prauæ societatis damna reducit Pinctus, dum dicit, vsque eò deuotum, bonum, & perfectum apparere religiosum, quousque in claustri sinu se continet; vt autem ex illo egrediès mundanis scelerum lepra infectis se miscet, illorum lepræ contagione inficitur. Verba autem eius sunt: *Moyses manum in sinum mittens protulit leprosam instar nivis; cùm retraheret sana reddebatur, & erat similis carni reliquæ. Vndè sequitur vitam solitariam, & segregatam esse magnum remedium ad peccatum vitandum, salubremque medicinã ad lepram animæ sanandam. Quicumque lepram peccatorum curare voluerit, à malis, & peruersis frequentationibus retrahatur, & in cubiculum sinus sui se occludat, secum supputans, & calculãs, eo pacto salutem, et quietem inueniet.* Quòd estò non accidat, nullamque ex mundanæ conuersationis puluere maculam contrahat, quod & difficilè sibi suadere poterat Ioannes Episcopus Ierosolym. lib. de instituto Monachorum, cum ait: *Nolo enim te vlteriùs morari inter turbas in vrbe, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circumdat eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, et non defecit de plateis eius vsura & dolus. Propter quæ omnia vitanda ipse propheta in exemplum tibi datus maluit in solitudine habitare, quàm in vrbe. Ecce, inquit, elongaui fugiens, et mansi in solitudine. Ait enim sapiens: nõ pecces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum, nec aliges duplicia, nec enim eris in vno immunis.* Et penè impossibile existimauit Basilius, qui lib. de constit. monast. cap. 7. hunc dixit in modum: *Danda omninò nobis opera est, vt non nisi magna adhibita diligentia, circum pectioneque in congressum cum extraneis hominibus veniamus. Si enim ipse Liberator noster omnibus seipsum non credebat, si ille purus, et labe omni carens, ille iustus, ille qui quantuscumque erat, nihil nisi virtus erat, hoc faciebat: quomodò fieri poterit, vt nos, qui peccatores sumus, qui ad lapsum proclines, qui à recto, quod nobis proposuimus itinere, ob nostram naturalem imbecillitatem erramus, vt si curiosis hominibus vitam nostram inspiciendam exposuerimus, non et prauas in nos calumnias conflemus, et ipsi nobismetipsis scandala statuamus?* Quod, vt dixi, estò nõ accidat, negari tamen non poterit, quòd quotics è cellulæ, claustriq; sinu præsentiæ manũ subduxerimus, scabiosa saltem (si non leprosa) apparebit, cùm mundanorum sit proprium, etiã quæ à religiosis rectè fiũt in crimen vocare. Quod cõsiderans S. Bonauẽt. 4. par. opusc. opus. 3. q. 21. to. 7. sic dicere cõsueuit: *Seculares proni sunt de religiosis sinistra suspicari. Cùm enim vident eos refectionem accipere, iudicant eos carnales. Cùm vident eos humiliter incũdos, iudicant eos dissolutos. Cùm ex zelo iustitiæ vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos. Cùm vident eos necessaria vitæ hincinde mendicare, cùm aliundè non habeant, dicunt eos auaros, et sic de singulis. Etiam quæ benefaciunt reprehendunt, propter quod oportet, vt caueant alienæ infirmitati.* Est igitur religiosis omninò secularium vitanda societas, quia etsi illis se immiscendo maculam non contrahant, contraxisse tamen à maculosis (criminum socios habere optantibus) æstimãtur.

Pinctus.

Nisi à malis te subtrahas, malum vitare non poteris.

Ioan. Episc. Ieros.

Penè inevitabile pranę societatis damnum.

Basilius.

D. Bonauẽt.

Non leues tantùm religiosorũ defectus, sed rectè etiam facta criminari solent mundani.

7 Quorsum tenderet eximia illa morum, virtutumque scrutatio, quam san-

Digitized by Google

ſanctiſſimi religionum inſtitutores, ac earumdem zelatores in religioſorum egreſſu (etiam ſub charitatis, publicæque vtilitatis prætextu) faciebant, capere haudquaquam poteram; nam Baſilius ſerm. 1. de inſtit. monach. nō niſi vrgēti de cauſa, & poſt maturam vniuſcuiuſque vitæ, & morum diſcuſſionem, probatiorem à prælato eſſe mittendum aſſerebat: *Cùm autem neceſſaria aliqua de cauſa neceſſe fuerit in publicum prodire, antiſtitis arbitrium ſit, eos ad hoc deligere, quos idoneos, qui prodeant, ipſe iudicauerit: itemq; contra præcipere, vt domi remaneant, quorum ſimiliter ex re hoc eſſe cenſuerit.* Et Auguſt. ſerm. 1. ad fratres in eremo tom. 1. nec cibum, nec potum cum ſecularibus niſi neceſſitate cogente eſſe ſumendum addit; & tunc panem, & aqua excepta, aliud penitus eis ſumere licere, aſſeruit: *Quandò neceſſe eſt, vt aliqui ad ſeculum vadant, nemo extra monaſterium cum ſecularibus manducare, niſi panem, vel bibere, niſi aquam præſumat; vel aliquid etiam intus manducare extra horam prandij, niſi caſus infirmitatis acciderit.* Hæc ipſe, quæ ego, vt dixi, quorſum tenderent, quiq; eorum in hoc eſſet ſenſus, aſſequi perdifficilè poteram: nunc autem religioſorum ſanctitatem veluti picturā eminùs eſſe inſpiciendam intelligens, & plateam Nazaræos decolorare, in eoſque peregrinam ſpeciem inducere audiens, eorum mentem facilè percipio; quòd ſcilicet nè propiùs inſpecta pictura vileſceret; & nè ſupra carbones Nazaræorum denigrato candore, ignoti in plateis redderentur religioſi, perfectiores & rarò, ac nouis, arctioriſque vitæ imbutos præceptis mittebant: pro certo habentes, quòd cum his omnibus fieri vix poterat, vt cū ſui opinionis diminutione religionis nō decreſceret cultus, & minueretur auctoritas. Vndè Bernardinus Senenſis Dom. 3. poſt Pent. art. 3. cap. 3. de ſocietate bona, & mala: *Bonorum minuitur auctoritas, quandò religioſi, & alij Eccleſiaſtici viri cum ſecularibus nimis intrinſecè, et domeſticè conuerſantur. Proindè Ezech. 42. præcepit Dominus, vt habitatio ſacerdotum à vulgo ſepararetur.*

Baſilius.

Proximorū vrgente neceſſitate nō quilibet, ſed probatiores mittendi.

Auguſtin.

Panē excepto, & aqua cum ſecularibus aliud minimè ſumere debet religioſus: neq; hęc, niſi vrgenti de cauſa.

Bernardin. Senenſ.

Inter ſeculares minuitur ſemper auctoritas religioſi, & ſi perfecti.

8 Præſentem claudo excurſum, dicendo, quòd mirum non eſt, ſi religioſorum creſcente numero, eorum auctoritas decreuit, & honor. Magnū ſanè exiſtimari non debet, ſi adeò (vt Ieremiæ vtar verbis) ordinum obſcuratum eſt aurum, adeò religioſorum mutatus eſt color optimus, vt in plateis ampliùs non agnoſcantur, ſi ſanctuarij lapides, qui in loco ipſo clauſi, & abſconſi eſſe debebant, facti ſunt in capite omnium platearum; & adeò quidem, vt nulla ſit platea, quam ſæpè non terant, nullus cætus, cui non interſint, nulla curia, quam non frequētent, & nulla aula, in quam nō irrumpant: *Audi* (ait Bernardus) *quomodò Ieremias noſtras iniquitates plorat, dicens: Quomodò obſcuratum eſt aurum, et mutatus eſt color optimus? Diſperſi ſūt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Per aurum intelligimus vitam religioſorum, quæ anteà erat per gloriam virtutum clara, nunc verò per turpes operationes eſt obſcura. Color optimus auri ſignificat habitum ſanctitatis, qui per bona opera priùs erat pretioſus, atque optimus: nunc verò per vitia, et ſecularia opera eſt mutatus, et vilis, atque deſpectus effectus eſt, etc. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Lapides ſanctuarij deſignant religioſos uiros, qui nunquam debent foris uagari; ſed in ſecreto monaſterij ante oculos Dei ſēper commorari. Sed diſperſi ſunt hodie lapides ſanctuarij in capite omnium platearum; quandò religioſi uiri quærendo uana, et ſecularia foris uagantur. In capite omnium platearum lapides ſanctuarij ſunt diſperſi, quandò uiri religioſi plus deſiderant in palatio regis verſari, quàm intrà clauſtrum monaſterij commorari.* Sic ipſe ſerm. 66. de modo bene viuēdi; ego autem apertiùs meam ſententiam tibi dicam: miraris fortè vir Deo dicate, quòd religioſorum ſabbata derideāt ſeculares, & floccipendant inſtituta? Miraris, quòd omniū facti ſint peripſema, qui anteà poſiti erant in ſignum, miraculum, & portētum, ſi ipſi Inſtitutorum, patrumque neglecto conſilio, & paruipenſo exēplo ſemper in ciuitatibus, ſemper in foro, ſemper in cætibus reperiuntur? Si à ciuitatibus ſe elongarent,

Religioſorū creſcēte numero; cur eorum decreſcat auctoritas, declaratur?

Bernardus.

Obſcuratur bona religionis opinio, cùm religioſi in capite fiunt omniū platearum.

cre-

Digitized by Google

eremos peterent, atq; deserta. Si non mulierculanum frequentarēt domos, sed in solitudinibus errarent. Si non in principum aulis, sed in cauernis, & speluncis terra habitarent, eis dignus non esset mundus. Verùm quia ad locustarum illarum instar, quæ de fumo putei egressæ, vt dicitur Apoc. c. 9. *De fumo putei exierunt locustæ in terram*; mūdum totum cursitando replent, vt super nòx dictum scripturæ locum in mystica expositione dixit S. Antonius Paduanus; *Locustæ propter saltum, quem faciunt, significant religiosos, qui iunctis duobus pedibus paupertatis, & obedientiæ debent saltare ad altitudinem vitæ æternæ. Sed prob dolor! retrogrado saltu de fumo putei exierunt in terram, & vt dicitur Exodi 10. operuerunt vniuersam superficiem terræ. Hodie non fiunt nundinæ, non celebrantur curiæ seculares, vel Ecclesiæ, in quibus non inuenies monachos, & religiosos: emunt, & vendunt: ædificant, & destruunt: mutant quadrata rotundis: in causis parentes prouocant, coram iudicibus litigant de necessitatibus, testes inducunt, cum ipsis parati iurare pro re transitoria, friuola, & vana. Dicite mihi ò fratres religiosi, numquid in prophetis, vel Christi euangelijs, aut Pauli epistolis: numquid in regula mea, Beati Benedicti, vel Augustini istas litigationes, euagationes & causarum pro re transitoria, & peritura acclamationes, & protestationes inuenistis? Benè dicitur, quòd ascendit fumus putei.* Mirum igitur non est, si obscurato auro, & mutato colore optimo omnium facti sunt peripsema, & vsque adhuc sunt, fientque taliter, vt video, quòd vix eos mundus sustinere valebit. Nec harū locustarum obstat garrulitas, quòd charitas Christi vrgeat eos, & quòd non vanitatis, nec curiositatis, sed salutis animarum causa vicos circumeunt, & plateas; quia optima equidē, & virtutum regina est charitas, sed adeò ordinata debet esse, vt dici possit illud: *Ordinauit in me charitatem*, nā prius propria, quàm aliorum est quærēda vtilitas; nec enim ad alios extrahendos in mare se deijcere debet, qui perfectè nare ignorat, nè simul cū illis fluctibus obruatur, & ipse. Decipiuntur postea, decipiūtur sanè longè magis locustæ illæ, quæ carnē præ oculis habentes, & sanguinem quacunque leui cōsanguineorum necessitate vice in cælum saltandi, per terrā cursitant; nam quàm à consanguineis abesse debeant, ipsa eorum capitis tonsura edocet, cum propterea in religionis ingressu (iuxtà illud Leuitici cap. 14. *Radet omnes pilos corporis*) tondantur, vt carnis affectiones se abiecisse ostendant, vt dixit Gregorius lib. 5. moral. cap. 2. *Pili carnis sunt vitæ veteris cogitationes, unde bene per Moysen dicitur: Radent pilos, &c. qui se in Dominum obsequium assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere.* Si vaccæ illæ, quæ arcam portabant, mugiebant quidem in signum, quòd vitulorum (vt ita dicam) non erant oblitæ, sed ac si ratione præditæ, vt Deum filijs non referrent, recto pergebant itinere, sicuti ait Christianus Druthmarus. *Illæ vaccæ, quæ nec dum iugum traxerant, quamuis vitulos recentes haberent, tamen acceptæ arcæ Domini abierunt viam, quam ignorabāt, pergentes, & mugientes, quasi dicerent: & vitulos non obliuiscimur, sed tamen Creatorem, cuius arcam ducimus, plus timemus.* brutis stolidiores religiosi retrogrado cursu ad consanguineos festinant. Et si Christus inter cognatos non reperiebatur, nec notos, fieri quomodò poterit, vt illum inter consanguineos inueniant ipsi? Si in ipso religionis ingressu Deus eis factus est pater, Maria mater, Sancti, & Angeli eorū fratres, & propinqui euaserunt, dicente Thoma de Kempis in valle liliorum cap. 29. *Sit tibi religiose, & denote frater postquam reliquisti seculum, pro terrenis parentibus Deus cæli pater, Virgo Maria mater, Angeli amici, Religiosi cognati, & omnes fideles propinqui: senes auunculi, iuuenes fratres, coniuges matres, virgines sorores, pauperes nepotes, peregrini consobrini, mites & humiles consodales, sobrij & casti cōmensales, infirmi & debiles familiares, afflicti & oppressi contubernales, derisi & despecti multùm amicabiles, omnes mundum spernentes coheredes regni cælestis.* Si hæc, vt ipsemet Thomas immediate subdit, *est generatio sancta, nobilisque progenies*

ex

Apoc. c. 9.

Anton. de Padua.

Vt locustæ plerique nostræ tempestatis religiosi terram replent, non cœlum.

Quorumdā religiosorū describūtur vagationes.

Leuit. c. 14.

Gregorius.

Vt consanguineorum amori se abrenūciasse adsimulant, in religionis tondantur ingressu.

Christianus Druthma.

Bestijs, bestialiores, qui in religione carnis & sāguinis non obliuiscitur.

Thomas de Kempis.

Quinam religiosorum parentes, germani, & propinqui esse debeāt, edocetur à

ex Deo nata, Deo placita, fide fundata, spe roborata, charitate probata, et cõstantia firma, quę alia ſtẽmata, quos conſanguineos,& quos alios parentes veſtigant,& inquirunt? Elonget igitur fugiens,& maneat in ſolitudine, ibique illum expectet, qui eum eſt ſaluum facturus is qui mundo ſemel mortuus, propter Deum in religionis ſe tumulauit ſepulchro.

Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non eſt hic, ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, &c. Marc. 16.

§. III.

Mulierum ſocietates, velut muſcæ morientes, bonam religioſi opinionis perdunt fragrantiam.

Ignis, mare, & mulier tria potiora mundi mala.

1 IGnem, mare, & mulierem tria eſſe potiora mundi mala celebre prouerbiũ (teſte Paulo Manutio in ſuis adagijs) apud veteres fuit: ignis, quia comburit; mare, quia ſubmergit,& ſuffocat, & mulier, quia ſemper ab ipſa exordium ſumit iniquitas. Et quidẽ (mea ſententia) nec ignis, nec maris malum mulieris malo comparari poteſt, quia cùm neutrum illorum abſq; approximatione nocere valeat, hæc à longè etiã ſaggittat,& vulnerat; nam & obtutus, licèt honeſtæ, inhoneſtè tamen mentẽ priùs, quàm oculos immutãt; & voces quò teneriores, eò fortiùs ingrediuntur,& penetrant; ſicq; non de propinquo tantùm, verùm eminùs etiam nunc riſu, nunc geſtibus, nunc inceſſu, nunc mora, nunc denique lenocinoſis ineptiis viros faſcinando, mentem eos amittere priùs faciunt, quàm ſubſtantiam. Vndè omiſſis aliis Chryſoſtomum, atq; Hieronymũ de hoc malo loquẽtes reperio; nam primus hom. 32. o peris imperfecti mulieris cõditionem deſcribendo, quot, quantorũq; malorũ cauſa ſit, declarat: *Quid eſt mulier, niſi amicitiæ inimica,* Chryſoſt. *ineffugabilis pœna, neceſſariũ malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, mali natura boni colore depicta?* Secundus verò in epiſt. ad Ocean. de vita cler. tom. 9. *Ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nociuumque genus fœmineum eſt.* Philoſophus poſteà dictus Secundus, & ſi ethnicus, quantùm malis cęteris mulier præſtet, pingere benè nouit, dũ poſt multa veluti pro concluſione ſerpentem tandèm illam appellauit,& non ob aliud (vt reor) niſi ad oſtendẽdum, quòd vt coluber non è propinquo tantùm, verùm eminùs etiam viſu, inquam,& affatu inficit, atque venenat: *Mulier eſt hominis confuſio, inſanabilis beſtia, ſolicitudo continua, indefinens pugna, quotidianum damnum, caſtitatis impedimentum, domus tempeſtatis, adulterij vas, viri, & continentiæ naufragium, præcipuum prælium, animal peſſimum, pondus grauiſſimum, et aſpis inſanabilis.* At ſi propterea coluber, quia à longè etiam nocet, vt optimè dixit Rupertus Holcoth lect. 127. ſuper caput Sap. 10. verbis illis: *Certè mulieres multò faciliùs intoſſicant aliquam mentem, quàm coluber carnem. Nullum enim venenum dicitur interficere carnem, priuſquam cum ſanguine miſceatur; ſpecies autem mulieris etiam à longe ſinè tactu per ſolam immutationem ſpiritualem oculorum inficit, et allicit mentem: quia qui uiderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo Matt. 5.* è propinquo quid faciet? Quæ venena in cubiculis effundet? Quis vicino hoc ſerpente tutam ſuam ſanitatem exiſtimare poterit? Difficile id exiſtimat mòx dictus Rupertus loc. cit. cùm fatur: *Nullus enim quieſcit, aut dormit ubi uermes, uel ſerpentes, aut coluber communitèr conuerſantur, et ſanè mulieres multò faciliùs nocent.* Difficillimum verò, immò penè impoſſibile id cenſuit Salomon, dum in Prouerb. cap. 6. ait: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Vndè Auguſtinus

Mulieris deſcriptio.

Hieronym.

Mulier hominis cõfuſio, inſatiabiliſque beſtia.

Holcoth.

Serpentibus peior, cùm etiam à longe inficiat.

Idem.

Prouerb. c. 6.

Augustin.

serm.250. de familiaritate fœminarũ nos admonet, dicens: *Numquid alligabit quis ignem in sinu suo, &c? Qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò labitur in ruinam.* Et post ipsum S.P.Franciscus tom.3. opusc. coll.6. *Mulierum familiaritates, colloquia, et aspectus, quæ multoties occasio sunt ruinæ, eò solicitùs cuitare debemus fratres carissimi, quò sæpius per huiusmodi videmus debilem frangi, et fortem spiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuersantem cum eis, nisi probatissimum uirum tàm facilè iudico, quàm iuxtà scripturam in igne ambulare, et non comburere plantas. Non enim securum puto earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt, aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.* Ex hac posteà difficultate, vel potiùs impossibilitate, suspiciones, ac siniſtræ opiniones; ex hac bonæ existimationis iacturæ, & tetri odores; ex hac, vnico vt dicam verbo, offendicula insurgunt, & scandala. Vndè Bernardus ser.65. in Cant. miraculorum miraculũ castã cũ mulieribus cohabitationem esse vocandũ asseruit: *Cùm fœmina semper esse, et non cognoscere fœminã, nonnè plùs est, quàm mortuum suscitare? Quod minùs est, non potes, & quod maius est uis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ est in mensa, lectus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, et continens vis putari? Estò ut sis, sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es, tolle scandali causam, quo te probes uerum (ut iactas) Euangelij obseruatorem.* Sic inter alios, religiosi præsertim instituti obseruatores, non possunt, non malè apud seculum audire, cùm mulierculatum cętibus, & colloquijs, etiam charitatis prætextu, frequentèr interfunt; cùm earum domos frequentant, & secretiora cubicula (etiam spiritualis vtilitatis colore) ingrediuntur, & penetrant. Et quidem si bona est aqua, & non mala est terra, & ex vtriusq; mixtione lutum efficitur; religiosis viris mirum videri non debet, si ex similibus contubernijs patiuntur iacturas. Hinc Augustinus, vt refert Possidius in vita eiusdẽ, vt hanc inhonestatis effugeret notã, nullam vnquam fœminam in domo sua cõuersari finebat: nec germanam quidẽ sororem viduam, neq; neptim, nec denique fratriam, quarum cohabitationem sacri canones minimè vetant; rationemque tantæ à mulieribus seiũctionis reddebat: *Quæ etsi de sorore, et neptibus nulla suspicio oriri possit; de alijs tamen ipsas adeuntibus nasci potest offendiculum.* Hoc offendiculum effugere satagens venerabilis Mag. Gerardus magnus, mulierum semper vitabat consortia. Vndè Thomas de Kempis de vita eiusdem: *A fororibus autem, quæ in vnica domo segregatim morabantur, suscipere seruitiũ denitabat. Si quid fortè emendum esset in foro venali, hoc ille prouidebat; nullam tamen ad suum domicilium ingredi permisit; sed vnius clerici solatio contentus fuit. Cuncta ad honestatem bonæ famæ tã intus, quàm foris disponebat.* Huius bonæ famæ nos zelatores exoptat Angelus iste, qui in sepulchro (vt in superioribus diximus) religionis figura sedens, ideò à mulieribus se citò expedit: *Sed ite dicite discipulis eius, &c.* Marc.16. vt in charitatis officijs, qua celeritate à se mulieres dimittere debeant ecclesiastici, edoceantur: nam secùs si fiat, statim erit pro suaui odore fętor, & pro boni nominis suaueolentia ignominiæ putor insurget; cùm fieri vix possit, vt non malus habeatur, qui cum omnis mali versatur principio; quòd quàm verum sit, quàmque communitèr malè audiant, qui talibus delectantur contubernijs, sufficientèr sequentia ostendent.

S.P.N.Frãciscus.

Mulierũ familiaritatibus frangitur debilis, & infirmatur fortis.

Bernardus.

Cùm fœmina esse, & fœminã non agnoscere, plus est, quã mortuũ suscitare.

Augustinus.

Mulieres nisi ab Ecclesiasticorum domibus arceantur, suspicio vitari non poterit.

Thom. de Kempis.

Marc.c.16.

2 In illud Anastasij Nysseni dictum incidens: *Mulier enim sanctorum est calumnia.* q.63. obstupui sanè, nec facilè eius intelligentiam capere poteram, cùm mulier ad uiri adiutorium, non ad illius calumniam producta dicatur; at postquam per calumniam etiam mendacem infamationem significari intellexi, mysterium illicò percepi, quòd scilicet, propterea sanctorum nuncupatur calumnia, quia etsi absque culpa; absque infamia tamen, uel absque calumnia saltem, cũ ea societatem habere quis nequit. Et quidẽ si is, qui in caprorũ, aut hircorũ sta-

Anastasius Nyssenus.

Mulier sanctorum calumnia.

Digitized by Google

ſtabulo commoratur, hircum quoq; olet,& graueolentiam de ſe diffundit; ità qui mulierum(præſertim non ſatis pudicarum)cõſortio delectatur,ignominiæ ſpargit fętorem , cùm pudicus haberi uix poſſit, qui cum fęminis, pręcipuè uerò cum maleolentibus commoratur. Hinc apud Elæos; teſte Pauſania in eliacis lib.2.cum capite capri fętidiſſimi Veneris, ſeu cuiuſuis vulgiuagę uidebatur effigies,in ſignum, quòd non poteſt, non hirci laſciuiam olere,qui earum contubernio delectatur,quod expreſſiſſimè dixit Eccli.cap.42.uerbis illis. *Et mulier confundens in opprobrium*,quæ nil aliud ſonant, niſi quòd ſua familiaritate mulier opprobrium uiro , & infamiã affert. Et ità,quòd mulier ſit ſanctorũ calumnia Eccleſiaſtici potiùs, quàm Anaſtaſij videtur ſententia, dum etiã iuſtorum famam ſua conſuetudine lædit,& inficit.

Caprino capite apud Elęos Veneris videbatur imago, & quare?

Eccli.c.42.

3 Audi nũc quæſo pro re hac ſublime, diuinũq; myſterium,quid eſt, quòd Paulus Titum concionatorem, doctorem, & fidei magiſtrum inſtituens, non tàm mulierum, quàm virorum ei curam demandauit, dum per anus adoleſcentulas edocendas eſſe pręcepit? *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinã. Senes vt ſobrij ſint, pudici, prudẽtes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Anus ſimilitèr in habitu ſancto &c. vt prudentiam doceant adoleſcentulas* &c. cap.2. vbi Chryſoſtomus hom.4. *Vides quomodò vbique doctrinæ ſeruet decorem? Nam docendas mulieres mulieribus magna ex parte permiſit, anus adoleſcentularum magiſtras eſſe conſtituens. Porrò virilis ſexus inſtruendi curam omnem ipſi permittit.* At quis hic doctrinæ decor? Quæ huius rei origò ? An de diſcipuli dubitabat caſtitate,dum adoleſcentulas ex eius ademit magiſterio ? Neutiquam ſanè,nam non euangelicæ doctrinæ inſtituiſſet magiſtrum , quem adhuc carnis agnouiſſet diſcipulum: ad quid igitur non ei, ſed vetulis iuuencularum curam demandat ? An forte, quia infirmorum,ac imbecilliũ (qui omnes ſuo pede metiẽtes, etiam de pudicis , ſanctiſque virorum ũ mulieribus conſuetudinibus ſemper muſitare non deſunt) ora obſtruere intẽdebat,propterea nec Titũ notę ſanctitatis virum cum mulieribus negotiari permiſit ? Ità equidem (ni mea me fallit opinio) & nè meum abſolutè exiſtimes, audi Rupertum Holcoth lectione 127.dicentem: ***Homines infirmi infirmos nos iudicant, ſi nimis conſortia mulierum habuerimus.***

ad Tit. c.2.

Chryſoſt.

Nec in ipſis fœminarum colloquijs,& ſi ſpiritualibus tuta cõcionatoris æſtimatio.

Holcoth.

4 Quoniam autem boni magiſtri partes maximè ſunt , vt manu doceat,quæ lingua loquitur; & vt factis factibile oſtendat,ꝙ ſuadere intẽdit,Paulus electionis uas, gentiũ doctor, concionator maximus , apoſtolus mirabilitèr electus ; & denique cæli magis ciuis,quàm terræ ; ꝙ Tito mãdabat, prius ipſe perficiebat;nã fęminarum,et ſi ſanctarum , ſocietates quantùm poterat, fugiebat;cuius rei (inter alia) mirabile illud extat exẽplum,quòd cùm Apoſtoli pias quaſdam ſecum haberent mulieres , quæ eis verbo incumbentibus de facultatibus ſuis miniſtrabant, ſolus ipſe cũ Barnaba ſocio,& collega has ſecum habere renuebat ; vndè Corinthijs ſcribens , non ſibi hoc vetitum,ſed à ſe nolitum declarauit,cùm ait: ***Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli,& fratres Domini,& Cephas?*** prima cap.9.Rationem autem cur ſolus ipſe comites mulieres habere renuerit, ex gloſſa eam carpit Lorinus, quòd ſcilicet,cùm gẽtibus præſertim concionaturus eſſet Paulus,nè offendiculũ aliquod ob propriã puſillitatẽ deſumerent, fœminarum miniſteria,quibus cæteri vtebantur Apoſtoli, imò quæ nec Chriſtus renuerat, ſolus ipſe defugit : ***Dicit gloſſa ordinaria,*** ait Lorinus, ***quòd conſuetudinis iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam,more gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum,atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent: ſed quia hoc ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abieciſſe ſe memorat.*** Vides quomodò pręcipuus virginitatis amator (ex cuius trunco corporis lac pro ſanguine in ſignum ſuæ puriſſimæ , nitidiſſimæq; virginitatis erupit) vt gentium, apud quas mos non extabat per mulieres

I. Corinth. c.9.

Lorinus.

Cur Paulus mulieres ſuę peregrinationis comites habere renuerit,exponitur.

præceptorum neceſſitatibus conſulendi,qui apud hebræos iam inoleuerat,obſtrueret ora,fœminarum comitatum reſpuebat,& opera.Mirum igitur non eſt, quòd Tito diſcipulo non tàm mulierum, quàm virorum inſtitutionem admandet, quandò magiſter ſe longè ab illis abdicabat.At miranda prorſus, immò deploranda res eſt, quòd noſtræ tempeſtatis magiſtri quacumque leui ex cauſa;immò multoties nullatenus neceſſaria, ſed voluntariè aſſumpta abſque aliqua opinionis iactura mulierculaſ domos penetrare, illaſque etiã peccatis oneratas quandoque adducere poſſe,exiſtimãt;& neſciunt inſenſati, quòd rarò accidit,vt benè audiat,qui non tãtùm malè, verùm benè etiam cum fœminis loquitur.

5 Verùm quia Pauli hęc tetigimus verba: *Numquid nõ habemus poteſtatem mulierẽ ſororẽ circumducẽdi ſicuti & cæteri Apoſtoli,& fratres Domini, & Cephas ?* obſeruare non erit incongruum,quòd has prouectæ ætatis fœminas circumducebant Apoſtoli, nõ vt corpori tantùm miniſtrarent , & quotidianis neceſſitatibus, ſiue proprijs,ſiue alienis facultatibus conſulerent (vt maior expoſitorum pars ſentit) verùm etiã,vt per has ad alias fęminas Chriſti ingrederetur doctrina. Quod Clementis Alexand. præſertim fuit cogitatum,vt videre eſt lib. tertio Strom.vbi difficultati etiam,cur non immediatè,ſed per mulieres mulierũ cõuerſionem quærerent Apoſtoli,occurrit,dum fatur: *Apoſtoli, vt erat cõſentaneum , miniſterio quod diuelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendẽtes, non vt vxores , ſed vt ſorores circumducebant mulieres, quæ vnà miniſtraturæ eſſent apud mulieres , quæ domos cuſtodiebant : per quas etiam in gynæceum, abſque vlla reprehenſione, malaue ſuſpicione, ingredi poſſet doctrina Domini.* Hæc ipſe,quorum illa præſertim: *Per quas etiã in gynæceum abſque vlla reprehenſione,malaue ſuſpicione, ingredi poſſet doctrina Domini,* cur Apoſtoli mulieres circumducerent,& quàm ſuſpectus cum ſua doctrina ille reddatur doctor, qui inter mulieres illam diffundunt,oſtendunt,atque declarant.

Clem.Alex

Vt maledicorum ora obſtruerent Apoſtoli, ſãctas quaſdã mulieres ſecum conducebant , vt per illas ſine ſuſpicione ad cæteras Domini doctrina ingrederetur mulieres.

6 Diuerſimodè interpretãtur diuerſi locum illum Matt. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te , erue eum,& proĳce abs te.* nam(relicta oculi ſignificatione) aliqui propterea de dextro tantùm Saluatorem ſermonem habuiſſe opinantur, quia cùm dexteræ partes efficaciores ſint,quàm ſiniſtræ, quapropter dextera vtimur , quum quid efficacitèr facere deſideramus; qui potiora , atque maiora propter Dei amorem, & proximi ędificationem abijcit,ſiniſtra,hoc eſt,minora facilè floccipendere quibit . Alij in dextero oculo ſummum filiorum, ac propinquorũ amorem figuratũ fuiſſe dicunt;ſicuti per dexteram manum amicum,cuius ope, atque auxilio carere nõ poſſumus,importari. Alij denique (& aliquãtò equidẽ profũdius) ob id de dextero oculo Dominum fuiſſe loquutum autumant, non de ſiniſtro; quia iuſto ęquè omnia perferenti ſiniſtrum eſt nihil , ſed totum dextrum,vt fusè in §.4. ſer.4. Dom.4. probauimus. Verùm his minimè obſtantibus Imperfecti ſemper ſatis mihi arriſit opinio,per dextrum.ſ.oculũ bonas intentiones, virtuoſaque opera eſſe interpretanda ; at quoniam, & hæc ſiniſtra quãdoq; euadere poſsũt, tunc .ſ. cùm ita fiunt, vt cuiuſcumq; ſcãdali nõ remoueatur occaſio,tũc,inquã,ejicere , & lõgè à nobis illa proiicere debemus.Quod ſi difficillimũ intellectu tibi videtur , quòd dextrum ſiniſtrum,& quòd bonum adeò malũ euadere poſſit,vt ſcandalo proximos afficiat, audi ipſum Imperfectum, qui in homilia 12. rem explicando pluſquam deſiderari poteſt, noſtrum probat inſtitutum:*Si oculus tuus dexter ſcandalizat te , erue eum, etc. Vtputa, erat mulier quædam religioſa , vel virgo vel vidua: reſpexi , & conſideraui, & dixi: debeo viſitare illam mulierem aſſiduè , vt ſi quid religionis ignoret quaſi mulier,inſtruam eam , & confirmem ipſã in bono propoſito eius.Bonus reſpectus eſt iſte,& dexter oculus;ſed dum aſſiduè viſito eam,videntes me quidam agere fiducialiter cum ea,ſcandalizati ſunt,dicẽtes: Quid ſibi vult hoc eſſe,quòd iſte ſic familiariter loquitur cum puella ? Oportet ergo præcidere tale opus bonum, quod vel mihi,*

Matt. c.5.

Imperfect.

Familiares cum mulieribus alloquutiones quãtumcumque vtiles ſcãdalio alijs eſſe ſolent multoties.

Digitized by Google

mihi, vel alteri generat malum. Certè vides, quòd nec ipsa vrbanitas, nec ipsa pietas, nec denique ipsa religio aliud, quàm obrectationes ex fœminarum consortio lucretur, dum vt scandali amputentur radices, quod dextrum videbatur, proijciendũ iniũgitur.

7 Cum mulieribus clericos cohabitare strictè prohibent Canones, extra de cohabitatione clericorum, & mulierum per totũ. Et in can. di. 32. hospitiolum. Crebras sãctimonialiũ absque expressa necessitate, & licentia visitationes non sinè pœnis concilium prohibet Lateranense sub Alexandro 3. par. 1. c. 11. dum dicit: *Monasteria prætereà sanctimonialium si quisquam clericus sinè manifesta, & necessaria causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur: & si non destiterit, à beneficio ecclesiastico reddatur immunis.* Clericorũ verò domorũ limina fœminarum pedes terere expressè prohibuit Hieronymus: *Hospitiolũ tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant.* Et epist. 11. *Quid tibi, & fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Fœminarum cum clericis nullo pacto sit coniunctio: & præcipuè conuersatio.* At cur hoc? Numquid diuina lex vrbanitatem vetat? An viduarum necessitatibus, puellarum opitulationi, virginumque spirituali profectui pietas consulere prohibet? Si hæc non modò non damnat, verùm laudat etiam, & extollit, cur clericis igitur mulieres visere, ad illasque accedere sic strictè prohibetur? An fortè nè suspecta reddatur sacerdotũ pietas, & nè cupiditati religionem lenocinari existimetur, solicitè cautum est, nè mulieres (& si Deo dicatas) frequenter conueniant? Nil equidem aliter, nam 18 q. 2. hęc habentur: *Monasteria puellarum longiùs à monasterio monachorum, aut propter insidias diaboli: aut propter oblocutiones hominum collocentur.* En quomodò ex mulierum consuetudine, & si ecclesiasticorum non polluatur castitas, fama saltem polluitur, dum vt clericorum, ac religiosorum consulatur honori, & ipsorum cum illis prohibetur cohabitatio, nec non ad illas vetatur accessus.

Concil. Later.

Hieronym.

Ne suspecta reddatur sacerdotũ pietas, & cupiditati religionem lenocinari æstimetur, cum mulieribus clericos cohabitare, & propè religiosorum monasteria sanctimoniali fieri prohibetur.

8 Verùm quid ecclesiasticorum famam mulierum cõsuetudinem polluere dixi, si nec cum ipsis fœminarũ cadaueribus absque aliqua honoris iactura commorari posse opinati sunt iusti. Linquo, quòd (vt ait Chrysost. hom. 1. de patientia Iob) ideò sanctus hic vir compressa, & cõtrita filiorum ossa ab illis filiarum secreuit: *Scait itaque verus, fortisque adamas beatus Iob discerneus liberorum suorum membra, cauensque nè fortè in masculinis membris fœminea coniungat*, quia & post mortem ipsam labis alicuius timoris causa (ni temerarius videor sic dicendo) iustorum cadauera cum fœmineis cohabitare verentur; & sisto aliquantillũ in verbis illis Abrahæ: *Date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuũ meum.* Gen. 23. ac perlibenter audire, quid est, quòd cùm mortua fœmina esset, non vir, mortuum eam vocat, nõ mortuam; si cum communiori expositorum caterua dices, quòd more vulgari loquutus sit, & masculino pro fœminino vsus sit genere, vt post multos alios dixit Tostatus: *Non erat mortuus, sed mortua, scilicet Sara, sed vocat eam more vulgari*; cùm propriùs loqui potuisset, alia est quærenda impropriæ loquutionis origo: & nè in eius inquisitione labores, pro præsenti argumento illam adducere fas mihi sit, quòd soluto per mortem matrimonij vinculo, nè fœminei cadaueris curam se gerere demonstraret, mortuum vocat, non mortuam, ac si diceret: quia facilè malè audit, qui cũ fragiliori sexu quacumque de causa agit, ideò non fœminei, sed virilis cadaueris curam me gerere ostendo, vt sic cuiusuis obstructo ore, pietati securiùs vacem, ac funeri.

Chrysost.

Neq; in sepulchris virorum, ac fœminarum cadauerum cõcubernijs laudatum.

Gen. c. 23.

Tostatus.

Nec cũ mulierum cadaueribus morari tutum putabat Abraham.

9 Cœterùm quid in hoc immoror, quod plus experientia docet, quàm verba, cum vix benè apud seculum illum audire videamus, qui similibus delectatur cõturbernijs? Desinã igitur, cùm satis calamo in hoc experientia præstet; verùm antequam finem imponam, tibi vir Deo dicate, dicere non omittam: quis te fascinauit non credere veritati, & nunc maximè fascinat, nè credas, quòd tuæ castitatis labefactant opinionem,

tuę-

Digitized by Google

tuæq; pudicitiæ odorem in maximũ lasciuiæ putorem mulierc ularum cõsuetudines vertunt? Si mihi, ad cuius nares iam tua maleolentia peruenit, fidem præstare renuis, Bernardo illam negare minimè poteris dicenti: *Heus tu bone vir, quænam hæc mulier, & vndè hæc tibi? Vxor nè tua? Non, inquis, nam voto meo istud non conuenit. Filia ergo? Non. Quid? Non soror, non neptis, non aliquo saltem propinquitatis, vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta tibi cum ista continentia tua? Sanè nec licet tibi istud. Cohabitationem (si nescis) virorum, & fœminarũ in ijs, qui vouere continentiam, Ecclesia vetat. Si non vis scandalizare Ecclesiam, eijce fœminam. Alioquin ex hoc vno cætera, quæ non adeò manifesta sunt, proculdubio credibilia fiunt.* serm. 65. in Cãt. At estò sororem, neptim, vel germani fratris vxorem esse respondeas, quid per hoc? Num affinitati, vel consanguinitati parcit libido? Nonnè Ammonis soror erat Thamar, & tamen illam turpitèr oppressit? *Vbi masculus, & fœmina peritèr conuersantur, difficilè est insidias hostis antiqui deesse, quæ nimirũ non defuere, vbi solitariè fratris, & sororis Ammonis scilicet, et Thamar extitit paruissimo spatio cõmoratio.* Ait Nicolaus primus ad Bulgaros cap. 59. Numquid maiori consanguinitatis vinculo iuncta tibi esse poterit soror, vel neptis, quàm filia patri? Et tamen ingressis duabus filiabus ad Loth (& si præ vino nesciũ) habuit nihilominus cum illis rẽ, vt videre est Genes. 19. Quapropter Lyppomanus: *Docet hic spiritus sãctus periculosam esse habitationem viri cum muliere extra matrimonium. Si enim non licuit habitare patrem cum filiabus, & patrem tàm sanctum, & tàm iustum, quid fiet de miseris peccatoribus, & mulieribus quibuscumque?* Quid dices, quòd vetula sit? Sanè nec tu, nec illa, nec ambo simul ferri, vel silicis frigiditatem superare valebitis; & tamen modica etiam percussione ignis ex illis excutitur, quanto magis de carbonibus scintillæ dissilient? Quid denique pro tuæ impudentiæ defensione adduces? Quòd deformis? Nonnè (omisso Abraham, qui sponsam cùm haberet pulcherrimam, Agar ancillam Ægyptiam duxit) sic diabolus mulierum vultus immutat, vt quibusdam pulchræ videãtur turpes, & decorę deformes? Nonnè luminibus adeò expers est amor, vt vulgò dicatur,

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.
Credit amor cæcus, dedecus esse decus?

Si Angelus, qui totus spiritus est, & peccare non potest, Agar Sarai famulæ in assumpto corpore versa facie loquebatur, ipsamet dicente: *Profectò vidi posteriora videntis me.* Genes. c. 16. quod vtique non dixisset, ait Tostatus, si facie ad faciẽ eam alloquutus fuisset: *Dicunt Doctores nostri, quòd ille Angelus, qui loquebatur ad Agar, videbatur habere posteriora contra Agar, et vultum ad partem oppositam.* Si Christus ipse omnis puritatis, perfectionisque magister, odorus campi flos, nitidissimum conuallium lilium, atq; natura impeccabilis ad tui eruditionem in terra scribendi sumpta occasione, nedũ oculos ab adultera declinauit, verùm iuxtà Chrysologi sentẽtiam, diuinam etiam auertit faciem, *Cùm ista accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus, et declinauit in terram.* mòx dictus Chrysologus serm. 115. quomodo de te, qui Christi, & Angeli neglectis exemplis, mulierum oculis oculos iungis, & os ori in alloquutionibus nectis, benè sẽtire potero? Si per feneſtras ingreditur mors, & si oculus animam deprędatur, fieri quomodò poterit, vt te spiritualitèr viuentem iudicem, & virtutibus refertum existimem, qui à fucatis mulierc ularum genis oculos auertere ignoras? Si Petrum Claraualleñs. Abb. qui cùm morbo alterum oculum amisisset, sibi gratulatus est, quòd ex duobus inimicis vnum perdidisset, non tibi dexterum oculum eruendo, sed tuæ iacturæ, meiq; scandali occasionem auferendo, imitari studeres, apud me equidem non malè audires; nunc autem oculos oculis, ac os ori, & non eminùs tantùm, verùm è propinquo etiam te sępe applicantem perspiciens, vix de te non malè sentire valeo. Si malum adeò ingẽs est

Bernardus.

Impossibile est, vt bonus habeatur religiosus ille, qui nimia mulierum delectatur cõsuetudine.

Nicolaus I.

Nec affinitati, nec cõsanguinitati parcit libido.

Lyppoman.

Nec tuta parentum cum filiabus cohabitatio.

Nec cũ vetulis, vel turpibus secura.

Genes. c. 16.

Angelus versa facie mulieres alloquitur, & quare? *Tostatus.*

Chrysolog.

In accusatione adulteræ in terra scribẽdi occasionẽ desumpsit Saluator, ne illam (ad nostram eruditionem) aspiceret.

Nimia mulieres videndi curiositas carpitur.

Digitized by Google

eſt mulier, vt eo maius haùdquaquā aliud reperiri poſſit; vndè Pythagoras de infeſtiſſimo ſuo hoſte ſæuiùs ſe vlciſci non poſſe exiſtimauit, quàm filiam ei nubere, qua illi iam nupta, de cauſa cur hoc feciſſet interrogatus, ſic ipſum reſpondiſſe fertur: *Quia nil ei dare poteram deteriùs.* quomodò te bonum malum amātem exiſtimare potero? Denique ſi malum tale eſt mulier, quòd nihil ipſius eſt, quod malum non ſpiret, veſtes, lenocinia, monilia, & quidquid ipſius eſt, malum eſt; vndè mulierum inaures pertractās Aaron, ex Dei ſacerdote idoli euaſit effictor. Quapropter D. Cyprianus de ſingul. cleric. *Cauſale eſt, omne quod fœminæ eſt, & copulatio eius ſemper infeaſa eſt.* Et quòd Gregorius ſeptimus virginum amiſiſſet aureolā, nonnè neptis monilia in cauſa fuere? Ità prorsùs, nam vt in vita eiuſdem Paulus refert Beruried ēſis, cùm dictus Pontifex graui corporis detineretur infirmitate, vt neptis, quæ eum viſitādi cauſa adierat, mærorē leuaret, manu eius monilia tractare cēpit, & ande nuptijs cogitaret, expetijt. Paulò poſt conualuit equidem, ſed deuotionis gratiam amiſit, & cùm mērens ſecum reuolueret, quo delicto hoc ſibi accidiſſet, poſt longam precum inſtantiam, tandèm ſancto cuidam viro hæc Dei Matrem dixiſſe narrat nuperrimè dictus Paulus: *Refer hæc nomine meo Gregorio. Ego quidē eum elegeram, vt in chorum virginum aſſumeretur, ſed quia contra grauitatem inſtitutionis meæ, monilia neptis ſuæ attrectauit; ideò gratiam, quam anteà obtinuerat, amiſit.* Si igitur iuxtà mòx dicta quidquid mulieris eſt, inficit, de te sētire quid potero, quē nedū fœminarū monilia tēgentem, & veſtes, ſed eis in Eccleſiis etiam brachium ad illas ſuſtentandas, & manus ad oſculandas porrigentem video? Dicam equidem, dicam cum allato Bernardo, quòd *Ex hoc vno cætera, quę non adeò manifeſta ſunt, proculdubio credibilia fiunt.*

✠

Pythagoras.

Mulierē deterius nihil.

Quidquid mulieris eſt, malum ſpirat.

Cyprianus.

Paulus. Berur.

Bernardus.

Dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galileam: Ibi eum videbitis. Mar. 16.

§. IV.

Ex nunc ſumit exordium iuſtorum felicitas: dum etiam mortali corpore circumſepti æternam lambunt beatitudinem.

1 AN vera beatitudine (quæ vt ait Scotus in 4. diſt. 49. q. 2. eſt bonum completum excludens diminutionem, bonum ſufficiens nullum includens defectum, & bonum vltimum nullam præferens vlteriorem perfectionem) adhuc in hac vita mortali beari quis poſsit, diſcordant inter ſe ſcholaſtici, nam B. Thomas tàm 1. 2. quæſt. 2. art. 3. quàm prima parte quæſt. 12. art. 11. mordicùs id fieri poſſe negat. Ex aduerſo autem Scotus loc. cit. cum ſuis ſectatoribus, & ſi regularitèr hoc fieri poſſe neget, proprio dicente ore ipſomet Deo: *Non videbit me homo, et viuet.* Exod. 3. abſolutè tamen Dei potentiæ id minimè repugnare ſubtilitèr probat loco præfato; dum nec ex parte Dei, nec ex parte beatitudinis phyſicam aliquam impoſsibilitatem eſſe demonſtrat: de qua re quidquid ſit, quòd regularitèr fieri nequeat, cōcordant omnes, & non tantùm ipſi, à quibus diſcrepare non licet; verùm Ethnici etiam fidei luminis expertes ob quotidianas rerum viciſsitudines, fortunæque incoſtantiam neminem, antè obitum laudandum, nec beatitudine ab ipſis vtcunq; agnita beatificandū duxerunt, vndè aliquibus, qui beatitatis apicē ſe attigiſſe exiſtimabant, obijcere crebrò ſolebant ſapientiores illud Ouidii Methamorph. 3.

Vltima ſemper
Expectāda dies homini eſt, dicique beatus
Antè obitum nemo, ſupremaque funera debet.

An in hac vita beari quis poſſit, expenditur.

Exod. c. 3.

Ouidius.

Etiā ethnicorum ſententia nemo in hac vita beatus,

Cùm

Cũ his omnibus nihilominus dicere haudquaquam vereor, & eò vsq; Dei noſtri protenditur pietas, donec veluti moræ impatiens, iuſtorum non expectet occubitũ; ſed adhuc ipſos in hac paleſtra degentes adeò cæleſtis beatitudinis rore perfundat, vt prę internæ ſuauitatis dulcedine paradiſi præguſtata felicitate, arrã hic æternę iucũditatis accipiant. Quod & Angelum impræſentiarum inſinuaſſe exiſtimo, dum in Galilęã diſcipulos Dominum præceſſurum denunciauit: *Præcedet uos in Galilęã* Marc. 16. quia ſi Galilęa trãſmigratio interpretatur, iuſtorũ nõ expectat tranſmigrationem Saluator, ſed illorũ præueniẽdo occubitũ id eos libare ſinit multotiès, quo trãſmigrati inebriantur abundè: *Cùm accepta fuerit illa ineffabilis lætitia*, ait Auguſt. *perit quodãmodò humana mens, & fit diuina, et inebriatur ab vbertate domus Dei.* ſuper pſal. 35. Et multos ab vbertate domus Dei inebriatos nec tormẽta, nec mortẽ ſenſiſſe idẽ teſtatur Auguſt. in ſoliloquijs dum dicit: *Tu es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit. Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, etc. Ibat Andreas ad crucem ſecurus, et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hanc guſtauit Petrus, & omniũ exteriorum oblitus, exclamauit quaſi ebrius dicens: Domine bonum eſt nos hic eſſe etc. Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa guſtauerat Virgo, de qua legimus, quòd lętiſſima, & glorianter ibat ad carcerem, quaſi ad epulas inuitata. Hæc eſt illa beatitudo Domine Deus noſter, quam expectamus daturum te nobis.* Et de hac beata dulcedine, quam etiã hic lambere incipiunt iuſti, pauca ex multis adducenda cenſeo.

Marc. c. 16.

Præguſtant in hac vita paradiſi gaudia iuſti.

Auguſtinus.

Idem.

Adeò cœleſtis dulcedinis vel guttula martyrũ dulcorauit ſupplicia, vt dulcia illis apparuerint, non aſpera.

2 Sitq; in primis, quòd ſi improbi adeò ab ipſamet exulcerantur conſcientia, vt etiam in hac vita gehendę videantur torqueri cruciatibus; vndè Ambroſ. lib. 1. off. cap. 12. *Ipſa, quæ uidetur, etiam dum niuunt, impiorum requies in inferno eſt. Viuẽtes enim in inferna deſcendunt.* probi, ac ſancti per conſcientiæ pacem, donorumque ſpiritualiũ infuſionẽ etiã hic beatitatis fas eſt, vt recipiant arram. Hinc ſignũ de cælo petentibus phariſæis: *Alij tentantes ſignũ de cęlo quęrebant*, Luc. c. 11. ſigna è terra, immò ab ipſo terræ corde pollicetur Saluator; diſcipulis autẽ è cęlo tàm in ſua trãsfiguratione, quã in aſsũptione ſigna exhibuit, in pręſagium, quòd ab imis, veluti inferni latices, iniquorum cruciatùs ſcatere debent, vt hic pitiſſent, quod ibi ingurgitare cogẽtur: & è cęlo ſtillare decet, quod etiam in præsẽti iuſtos reficere, & pro uiatorum modulo beare poteſt. Rabanum rem tetigiſſe exiſtimo verbis illis: *Reſpondere incipit, non eis ſignum de cælo, quod indigni erant videre, ſed de profundo inferni tribuens; diſcipulis autem ſuis ſignum de cælo dedit, quibus æternam beatitudinis gloriam, & priùs in monte figuraliter, & poſt veraciter in cælo ſupereleuatus oſtendit.* Iuſta equidem retributio, vt in hac mortali vita improborum, vt ita dicam, incipiente gehenda; in eadem etiam iuſtorum incipiat retributio, vt non iuſtitia pietatem, ſed miſericordia ſuperexaltet iudicium. Quod tunc maximè piiſſimum Dominum inſinuaſſe exiſtimo, cùm denſa caligine, palpabilibuſq; tenebris obuolutis Ægyptijs, clara luce, & ſereno cælo potiri ſinebat hebræos: *Factæ sũt tenebræ horribiles in vniuerſa Terra Ægypti tribus diebus. Nemo uidit fratrem ſuũ, nec mouit ſe de loco in quo erat: vbicunque autẽ habitabant filij Iſrael, lux erat.* Exod. 10. quia infernalibus tenebris (vt ait Bernardus) caligantibus hic ſceleſtorum oculis, cæleſtis luminis radiolis, iuxtà Dauidicum illud: *Illumina oculos meos ne umquã obdormiam in morte* pſal. 12. illuminantur iuſtorum, vt nõ minùs felicitatis hi, quàm infelicitatis illi compotes videantur: *Quemadmodum olim omni oculo caligante*, ait Bernardus, *per vniuersã Ægyptũ, ſolus in medijs tenebris clarè videbat populus vidẽs Deum, ideſt populus Iſrael, dicente ſcriptura: Quia vbicumq; Iſrael erat, lux erat: ſic inter filios tenebrarum in terra mortis caligine fulgebunt iuſti, & videbunt, eò vtique clariùs, quò exuti corporũ vmbris. Nam & hi, qui ante non reſpira-*

Ambroſius.

Ex nunc reproborum incipiunt cruciatus,

Luc. cap. 11.

Rabanus.

In hac vita iuſtorũ, iniquorumque incipit retributio.

Exod. c. 10.

Pſal. 12.

Bernardus.

ue-

Digitized by Google

Tenebrescẽtibus Ægyptijs, clara luce fruebãtur Hebræi, in præsagiũ, quòd etiam in statu uiæ inferni, & paradisi habitur arrha.

uerunt (nec enim quæsierunt inspirantis Dei lumen, & sol iustitiæ non ortus est eis) bi inquam, ibunt de tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc: & qui vident, videant magis. serm. 72. in Cant. vbi etiam addit, quòd satis consultè in parabola de viro illo nobili, qui pecuniam suam decẽ seruis suis fœnerauerat, à Domino dictum est: *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Luc. 19. quia in occubitu iniquorum decrescente lumine, ipsorum crescet miseria; & iustorum felicitatis portiuncula, quam in vita habebant, sinè comparatione excrescet: *Non incongruenter forsitàn huc etiam sermo Domini adducetur, quem dixit, quia habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Ità est, & additur in morte videntibus, & non videntibus demitur. Quò enim hi minùs, & minùs, eò illi magis, magisque vident, donec & hos excipiat suspirans illa nox, & illos aspirans dies, quæ sunt nouissima vtrorumq; extrema, videlicet cæcitas, & suprema claritas.* Bernardus loco præfato.

Luc. 6. 19.

Idem.

Verborũ illorum. *Omni habenti dabitur, & abũdabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Luc. 19. sensus mirabilis.

3 Verùm quia de improbis non est hæc nostra tractatio, ad probos rem reducendo, quòd etiam in statu viæ superni gaudij irrorentur guttulis, aqua illa, quæ ex vulnerato Saluatoris latere effluxit, summopere mihi suadet; nam vltra rationes penè innumeras à sanctis patribus adductas, ob id etiam (si sic fari non dedecet) è fontibus Saluatoris aquæ scaturiit riuulus; quia si pacis fluuio viuentium irrigatur patria, & torrente voluptatis æternæ iugitèr, affluenterque potantur cœlites; summę Saluatoris nostri pietati consentaneum erat, vt noua in terris aperta scatebra, illis etiã (pro eorum modulo) voluptatis haustus tribueret, quos alio tẽpore fluminis lętificaturus est impetus. Adamussim rem proprię sorori accidisse testatur Nãziãzenus orat. 11. vbi cœlesti descripta beatitudine illicò eam demortuam his verbis alloquitur: *Omninò his frueris, quorum, etiam dum adhuc in terra esses, ob sinceram ad ea mentis erectionem, riuulos habebas.* Sic sororem in terris dum adhuc peregrinaretur demissos, ex illo torrente voluptatis latices libasse, & in viuentium patria ex torrentis plenitudine ipsam obibere describit. Hinc Hieronymus super illud Isaiæ 48. *Non est pax impijs*, optimo iure pacis expertes impios nuncupatos existimat, quia ex hoc suauissimo Saluatoris fonte dulcedinis haurire vndas ignorant: *Non est pax impijs, qui non meruerũt bibere de petra, cuius latus lancea vulneratum aquis fluxit, & sanguine.* At quid si in se tandẽ reuersi impij huic fonti os applicarent, eiusq; aquas haurirent? Clamarent sanè: cor meum, & caro mea exultant in Deum viuum, quia ad beatorum instar non intrà animæ fines (vt ità dicam) lætitia contineretur solummodò, sed in corpus etiam spiritus effunderetur dulcedo. Quod maximè post peccatum regius agnoscens Vates, non vt spiritu tantùm exultaret, sed vt ossa etiam gaudium peruaderet, & lætitia, pristina Dei efflagitabat officia, dicendo: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata* Psal. 50. Ac si diceret, cùm cordis aure, per internã nempè inspirationem, vocem gaudij, & lætitię plenam, remissionem scilicet peccatorum, tuique fauoris restitutionem audiero, sic ab vbertate domus tuæ inebriabor Domine, q̃ intrà animæ angustias spiritalis non se continere valens lætitia, corpus etiam inebriabit, & ossa.

Isai. c. 48.

Hieronym.

Impijs cur pax nulla?

Psal. 50.

4 Quoties in verba incidebam illa: *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete*, ad Philipp. 4. toties, quòd non semel, sed bis gaudium nobis iniungeretur, demirabar non parum; & quamuis Bernardum reperissem dicentem, quòd non absque ratione duplex nobis proponitur gaudium, quia in promissione, & exhibitione; in re .s. & spe lætari debemus, cùm vtraque gaudij causa sit, & lætitiæ: *Gaudete in exhibitione, iterum gaudete de promissione: quoniã & res plena gaudio, & spes plena gaudio est. Gaudete, quia percepistis dona sinistræ. Gaudete, quia expectatis gaudia dexteræ. Laua-*

Philipp. c. 4.

Bernardus.

Verborũ illorum: *Gaudete in Domino semper, iterũ dico gaudete.* ad Philipp. 4. intelle-

Nanzianz.

Digitized by Google

inquit, eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Læua quidē leuat, dextera suscipit: Læua medetur, & iustificat; dextera amplectitur, & beatificat. Modò dictus Bernardus serm. 4. in vigilia natiuitatis Domini, quæ & subtilis quidem est loci interpretatio, & à Dauide eam desumptam existimo, dicente: *Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo.* Psal. 63. quia tamen Salomonem audiebam dicentem, quòd dilata spes tristitiæ causa sit, non lætitiæ: *Spes, quæ differtur affligit animam.* Prouerb. 13. aliam semper duplicis huius gaudij interpretationem esse quærendam duxi; & tandèm spiritualem lætitiam adeò in anima excrescere consueuisse reperiens, vt in corpus etiam restagnarit multoties, iuxtà Dauidicum illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Psal. 83. haudquaquam difficilia mihi visa sunt Pauli verba; nam idcircò bis lætandum iniunxit, quia talis seruorum Dei, etiam in hac vita degentium, solet esse lætitia, vt intrà cordis, animęque angustias se cōtinere nequiēs, in corpus etiam redundet, & effluat. Quare Cyprianus in epist. ad Donatum: *Non in capessendo munere cælesti mensura vlla, vel modus est: profluens largior spiritus nullis finibus præmitur, nec coercentibus claustris intrà certa metarum spatia frænatur. Manat igitur, & exuberat affluenter.* Vbi vides pluspquam veram esse prælatam regij Vatis sententiam, quòd ossa etiam spiritualis peruadit lætitia; dū cælestis beatitudinis arrha (ac si cordis capacitatem excedens) in corpus etiam illabitur affluentèr.

Psal. 83.

Prouerb. c. 13.

Psal. 83.

Cyprianus.

Cordis excedens angustias spiritualis lætitia corpus etiam peruadit, & ossa.

5 Implexus semper mihi visus est locus ille: *In custodiendis illis retributio multa.* Psal. 18. quia etsi meritorum flores etiam de condigno retributionis fructū parturire habeamus, in hac tamen vita acerbum esse, & immaturum nulli dubium est, cū coronæ, & præmia post congressus, atq; victorias seruata sint, ac parata (cuius rei optimè conscius fortissimus ille athleta Paulus, qui nō armis, nec viribus, sed verbo, atque exemplo orbem ferè totum suauissimo Christi subiugauit imperio, dicere consueuit, quòd fructus, quos suorum operum flores parturiebant, aliam diem, illam scilicet, quæ nescit occasum, expectare debebant, vt matureſcerēt, cùm sibi non in præsenti, sed in futuro; non in hac vita, sed in alia iustitiæ esset seruata corona: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi in illa die iustus index.* 2. Timoth. 4.) percipi quomodò poterit, q̄ in ipso merendi actu retributio recipiatur non parua: *In custodiendis illis retributio multa.* At ò latens quidem mysterium, sed ingens nimis! si ex perenni beatitudinis fluuio assiduè ad iustos, etiam in hac arena pugnantes, dulcissimæ stillant guttulæ, quæ sursum, & deorsum, animam nempè superimplent, & corpus: vndè tantæ dulcedinis incapax D. Ephrem ad Deum quandoq; clamare solebat: *Contine vnas suauitatis tuæ ò Domine, quia illas ferre non valeo.* quis aliquam meritorum retributionem in ipsomet merendi actu negare audebit? Quis ipsis athletis adhuc in palestra pugnantibus si nō coronam, corollam saltem dari negabit? Quis bonorum operum fructus omninò insuaues vocabit, si in ipsis acerbitatibus iusti suauitatem experiuntur non modicam? Nullus sanè, ni improbus, qui suauitatis huius est insciius. Præstò est Alexander de Ales super prætatum psalmi locum dicēs: *In custodiendis illis retributio multa, non solum in futuro secundum illud Sapientiæ 3. In paucis vexati, in multis benè disponentur; sed etiam in præsenti: vndè non dicit pro custodiendis, sed in custodiendis, ideſt, dum custodiuntur in hac vita; qua quantò quis magis custodit, tantò magis gaudet.* En quomodò optimè nostrum probatum remanet argumentum, quòd iusti etiam in hac vita paradisi prælibāt dulcedines, dum non post mortem tantùm; nec pro custoditis solummodò mandatis, sed etiam in ipso custodiendi actu, in statu inquam viæ, retributionis accipiūt portiunculam.

Psal. 18.

D. Ephrem.

Alexander de Ales.

In ipso merēdi actu retributionem multam adesse quomodò intelligendum?

6 Per semihoram cęlestes omnes pausasse cantores, expressissimum ex-

Digitized by Google

tat Ioannis testimonium, dicentis:
Apoc. c. 8. *Cùm aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cælo, quasi media hora.* Apoc.8. At cur silent cantores, si sancta animalia ab Isaia prophetico spiritu uisa die, ac nocte Sãctus, Sanctus, Sanctus clamare non cessant? An ex canendi assiduitate fessi respirare intendebant? Absit: nam nullus ibi labor, nullumq; est, vbi summa adest felicitas, vestigium lassitudinis, cur igitur silent, cur à cęptis musicis desistũt concentibus? Occurrit difficultati Augustinus, & satis ad rem nostram quidem, dicendo; quòd per cęlum militans in hoc intelligitur Ecclesia, non triumphãs; & quòd silentij tantillum in ea fit, quia inter ipsos mundanos strepitus adeò tranquilla, atque pacata iusti est anima, vt si non totalis, atque æternę, partialis saltem quietis particeps videatur, et cõsors: *Factũ est silentiũ in cælo*, ait mòx dictus August. *ideſt, in ecclesia, media hora. In semihora ostendit initium quietis æternæ, quæ in cælo perficitur, hic autem inchoatur.* Optima equidẽ expositio, qua satis nostra probata remanet thesis, q. d. ex nunc iustorũ exordium sumat felicitas, qua posthac fruentur abũdè. Quod omissis alijs, in beato Didaco nostri seraphici ordinis alumno completũ reperio, qui cũ extrema laboraret ægritudine, extra se vice quadã adeò raptus describitur, ut medico, cæterisque astantibus mortuus planè uideretur, re tamen vera profundum in eius anima fiebat silentium, nam soluta tandem extasi, veluti horæ completa meditatæ, paradisi gaudia se libasse declamauit, dum ter, aut quater clamasse describitur: *O quales flores habet Paradisus!* His tamen non obstantibus, si aliam præfati silentij rationem adducere fas mihi esset, ab hac equidem haudquaquam discederẽ, quòd idcircò (ni temerarius videor) silentij aliquantulum in cęlo fiebat, quia in terris tunc cælici occupabãtur cantores; vel (vt clariùs dicam) ob id non canebatur in cælo, quia iusti in terra degentes Angelorum concentuum minimè expertes esse debebant; vt igitur ad eorum leuamen carmen aliquod hic caneretur, silentium ibi (vt ità dicam) fieri oportebat. Quod nè gratis omninò dictũ existimes, quid Ecclesia de Nicolao à Tolentino in eius dicat officio, audi si libet: *Demũ sex antè obitum mensibus, singulis noctibus angelicum concentum audiuit: cuius suauitate cùm tam paradisi gaudia prægustaret, crebrò illud Apostoli repetebat: Cupiò dissolui, & esse cum Christo.* Certè non absque ratione silentium in cælo fieri perspicis, si ad iustos quandoque cælicæ aulæ mittuntur cantores, vt id prælibent in uia, quo in patria exsaturabuntur omninò.

Augustin. Hæc inchoatur æterna quies, quę in cœlo perficitur.

Fit in cœlo media hora silentiũ, quia ad iustorum solamen carmen in terris cælici canebant cantores.

7 Verùm quid Angelos ad iustorum leuamen descendere, & ad eorũ beatitudinis prælibationem in terris canere dixi, si totã cælestẽ Ierusalem ad eorũdẽ felicitatis arrham se submisti reperio? Nõnè id insinuauit Baptista cùm cælorũ regnum appropinquasse asseruit? *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*, Matt. 3. Nõnè hoc expressiùs alter dixit Ioannes, quandò Sanctam Ierusalem ciuitatem ad homines descendere vidit? *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo, etc. Et audiui uocem, etc. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus.* Apoc. 21. Nonnè apertissimè idipsũ proprio ore dixit Altissimus, quandò non super lapidem, nec lignum, sed super laterem Ierusalem Ezechieli delineandam præcepit? *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem*, cap. 4. ad insinuãdum, quòd etiam in vasis fictilibus cęlestis thesauri arrham iusti recludũt, dum in ipsis cęlestis videtur contenta Ierusalem. Vndè Gomezius super psal. 50. *Dictum fuit Ezechieli, vt delinearet Ierusalem in latere. Vbi per ipsũ, ex humo nempè confectum, homo, & per ciuitatem Ierusalem beatitudo cælestis significatur, quæ in eodem homine, si sine peccato est, quodammodò reperitur; & ad eumdem descendit, et venit, cùm pacẽ, gaudium, animi tranquillitatem, securitatemque consequitur.* Nec sanè absque ratione totam cælestem Ierusalem in iusti animam aduenire dixi, quandò & gratia, qua præditus est, qui iusti sortitur vocabulum, paradisus nũcupatur, dicente Salomone Prouerb.

Matt. c. 3.

Apoc. c. 21.

Adeò cęlestis felicitatis guttulis aspergũntur iusti, vt tota ad eos cælestis beatitudo descẽdisse videatur.

Ezechiel c. 4.

Gomezius.

In latere delineari iubetur Ierusalem, quia sãctorum animæ in fictili vase supernæ gaudij arrham recludunt.

Digitized by Google

Prouerb. c. 4. 4. *Gratia sicut paradisus.* Vbi Cornelius à Lapide: *Hæc magna est cõsolatio iusto, licèt afflictissimo, quòd, scilicet, sit in gratia Dei, quæ instar paradisi eum cumulat omni iucunditate, decore, fructu, et benedictione spirituali; Ideoque eum efficit habitaculum, hortumque voluptatis Dei, in quo Deus cũ homine familiariter agit, & colloquitur.* Et iustus in paradiso potiùs, quàm in terris versari videtur,

Cornel. à Lap.

Ephes. c. 2. iuxtà illud Pauli: *Deus autem, qui dives est, etc. nos consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu,* ad Ephes. 2. quæ Pauli verba explicans Gregorius lib. 31. moral. cap. 19. hunc fatur in modum: *Tunc Paulus fortassè in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur. Sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat: non illic, vbi illum necessariò pigra adhuc caro retinebat.* Et antè ipsum disertissimè

Gregorius.

Ambrosius. Ambros. lib. de fuga seculi: *Super mũdum est iustitia, castitas, bonitas, sapientia: discamus ergo in hoc mundo super mundum esse; & si corpus gerimus, volitet in nobis animus volucris.*

Supra mundum est, qui mundũ sperando innocentia ponitur, & gratia.

8 Et quidem adeò verum est, iustos in hac vita futuras prægustare dulcedines, vt illos non beatos sanè, sed semibeatos (si sic dicere non existimetur incongruum) appellando, non à vero me deuiare existimem, quod nè gratis dictum asseras, quid de die illa inter diem, noctemque mediatura dicat Zacharias, audi

Zachar. cap. 14. si libet: *Erit dies vna, quæ nota est Dño, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit lux.* cap. 14. nam inquisitionẽ requirit non modicam, quæ sit ista dies, quæ dies cùm sit, nec dies nuncupatur, nec nox; cùm inter lucem, & tenebras; inter priuationem, & habitũ dari mediũ nequeat: fieri igitur quomodò poterit, quòd dies hæc sic inter diem, & noctem mediare dicatur, vt neutrum censeatur? Si apud scripturas percurrentes ratum est, quòd sicuti præsês vita nocti, sic futura diei cõparatur, dicente Paulo Rom. c. 13.

Rom. c. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit* (quapropter de hac solemni Domini die, quæ nescit occasum, dixit

Ephrem. D. Ephrem lib. de pœnit. *In cælo non erit hebdomadarum numerus, non menses, nam vnum habet diem seculum futurum*) quæ bone Deus, erit hæc dies, de qua Propheta loquitur, nec dies, nec nox; dum vel à via, vel à patria virorum nullus excludetur? Magna equidem difficultas, at si subtili indagine verba illa Saluatoris perpendemus: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matt. 5. plusquam clarè solutionem perspiciemus; nam si etiam in statu viæ semibeati (vt ità dicam) non desunt, dum per spiritalium donorum affluentiam in ipsa persequutionum, præsurarumq; nocte beati, cæliq; incolæ pro Deo nuncupantur afflicti, de eis dicente

Matt. c. 5.

Ambrosius. Ambrosio lib. 1. de Iacob c. 7. *Neque aduersa corporis vitæ beatæ munus imminuunt, neque de eius suauitate aliquid delibant: quia non in dilectione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati;* et post ipsum clariùs nimis Gomezio super psal. 50. hisce verbis: *Sciendum est, non esse omninò acerbam, & amaram præsentem pœnitentium iustorum vitam, vt peccatores fortassè arbitrantur, immò sæpè esse plurimis consolationibus suauissimis abundantem. Gloriamur inquit Paulus in tribulationibus, quia in ijsdem participationem quamdam gloriæ cælestis habemus, ratione cuius, qui labores, & persequutiones patiuntur, dicuntur beati. Matt. 5. vbi ait Christus: Beati, qui lugent,* iure optimo diem quamdam reperiri fatebimur, quæ nec dies censeri debet, nec nox; quia iustorum vita adeò est spiritualibus referta delicijs, vt inter diem, noctemque, inter viam. s. (vt ità dicam) & patriam mediare videatur. Aduoco Augustinum superiùs allatum, qui lib. 9. confessionum sic de interna iustorum pace, tranquillitate, & gaudio loquitur: *Tantum fuit illud gaudium, quo nos perfudisti, vt si illud continuaretur, paululum differre videretur à gaudio cali.* Vides quomodò iusti etiam in hoc incolatu degẽtes, semibeati quodãmodò dici possunt, dum eorum vita, nec nox est dicenda, nec dies; nam adhuc mortali corpore circumsepti tali (ni sic dicendo hallucinor) afficiuntur gaudio, vt parum à cælico differre videatur.

Ac si semibeati probi, vno pede terram, altero cœlum terere videntur.

Gomezius.

Augustinus.

Iustorũ vita adeò spiritualibus est referta delicijs, vt inter beatitudinis diem, & viæ noctem mediare videatur.

9 Fa-

9 Faciunt pro mòx dicto, quòd ſemibeatus quodãmodò dici debeat iuſtus, verba illa Cãt. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur. quaſi aurora conſurgens?* quia ſi aurora ſic inter diẽ, noctemque mediat, vt nec dies appareat, neque nox, ipſe nec beatus quidẽ eſt, cùm adhuc uiator ſit, nec in via totaliter, ſi fas eſt dicere, eſſe videtur, dum per ſpirituales delicias cæli gaudia iam præguſtat. Tetigit aliquantillũ rem Theodoretus lib. 4. in Cant. *Quemadmodum aurora eſt noctis, dieique confinium, atque huius quidem initium, illius autem indicat finẽ, & ſolem ſignificat aduentare; ſic in hac vita animę pietate, ſapientiaque perfectæ, quas eccleſiæ, ſponſęque nomine uocat diuina ſcriptura, ex propria virtute quoſdã emittũt ſplendores: cùm autem inquit beatus Paulus, corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, et mortale hoc induerit immortalitatem, tota ipſarum lux aperietur.* Huc etiam ſpectat liber ille ab Ezechiele viſus, de quo ipſe c. 2. *Et vidi, et ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber: & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intùs & foris: & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & uæ.* quia ſi vniuſcuiuſque vita illius eſt exemplaris exemplum, cui omnis ſe conformare debet exſcriptio, iuxtà illud: *Libri aperti ſunt: & alius Liber apertus eſt qui eſt vitæ.* Apoc. 20. congruè in vita iuſti inter lamentationes, & væ, carmina deſcribuntur; quia inter anguſtias, atque præſſuras cæli gaudia libans, ſemibeatus quodammodò dici poteſt. Et denique reduci ad hoc etiã poſſent illi Dauidis ſaltus, quibus coram arca ludebat: *Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg. 6. quia ſi in ſaltu nunc ſumma petimus, nunc ad ima redimus, & ſic non ſemper in aere, nec ſemper in terra, ſed nunc in hac, nunc in illo ſumus; ſic iuſtus dum nunc ad diuina contemplanda aſcendit, & nunc iterum ad intuenda, vel agenda humana deſcendit, ità modò in cælò, modò verò in terris videtur conſiſtere, vt per dulciſſimos contemplationis ſaltus (ſi dicere fas eſt) nec totalitèr cæli accola, nec totalitèr mũdi incola, ſed medium quid eſſe quodammodò uideatur: *Sicut enim qui corporalitèr ſaltat*, ait Ambroſius, *nũc in aere ſuſpenditur, nunc ad altiora iactatur, nunc alternis ſaltibus loca diuerſa colluſtrat: ità & qui ſpiritualitèr ſaltat, interueniente fide, modò in aeris ſublimitatem erigitur, modò ad ſyderum altiora tollitur, modò diuerſis cogitationum ſaltibus paradiſum, cælumque colluſtrat.* Quod cæteris omiſſis Paulum, & Magdalenam effeciſſe reperio; nam ille ſaltu mirifico non primum cælum ſolummodò, ſed tertium etiam ſe colluſtraſſe fatetur: *Scio hominẽ in Chriſto antè annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio) raptum huiuſmodi vſque ad tertiũ cælum.* 2. Corinth. 12. Hæc verò non ſemel, ſed ſingulis quibuſq; diebus ad cæli altiora ſaltabat, vti ex eius ſororis Marthæ legenda habetur: *Magdalena verò aſſueta orationi, & pedibus Domini, vt optima parte contemplandæ cæleſtis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vaſtiſſimam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit: vbi triginta annos vixit ab omni hominum conſuetudine diſiuncta, quotidie per id tempus ad audiendas cæleſtium laudes in altum ab Angelis elenata.* Sic iſta, alijque non pauci carnis murum tranſgredientes, atque ſaltantes, ibi oculos figebant, vbi eorum ſita ſpes erat, theſauruſque repoſitus.

Cant. c. 6.

Theodoret.

Nec dies, nec nox iuſti vita, ſed quaſi aurora ex vtraq; conſtans vicinum.

Ezech. c. 2.

Apoc. c. 20.

2. Reg. c. 6.

Ambroſius.

Ad ſaltantis inſtar contemplatiuus modò terrã, modò cælum colluſtrat.

2. Corinth. c. 12.

Adhuc in terris degẽs Magdalena, cœlicas guſtabat delicias.

Digitized by Google

FERIA SECVNDA POST PASCHA

Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem? Luc. cap. 24.

§. I.

In vtraque Ieruſalem, in militanti videlicet, & triumphanti Eccleſia, ſolus peregrinus Franciſcus: quia ſicut peregrino ſtigmatum priuilegio ſolus hic præditus fuit, ità ſolus fortè eodem potietur in Patria.

HVc totum recurrat ingenium (vt Petri Damiani vtar verbis) & aureus ſermo tota reluceat maieſtate. Voluntaria oris noſtri beneplacita ſibi faciat athleta inclytus, Chriſtique ſignifer ſanctiſſimus P.N. Franciſcus: ipſe ſenſum acuat, dirigat ſtylum, & linguam pauperis venuſtiori reſpergat eloquio: lucem illuſtret lumine clariori, nè in tàm ſplendenti maieſtate perſcrutandi auidus caliget intuitus, & in fandi copia lingua fatiſcat. Et quidē obmuteſcēdū mihi vtiq; eſſet in tāti Patris preconijs; nam ſi illum corpore, & ſpiritu virginem appellabo, vti ex Chriſti imagine, quam geſtauit arguunt Viega in Paradiſo glorię sāctorum tom. 2. *In monte Aluernię fecit Deus ſigillum & impreſſit illum in cera carnis virginalis B. Frācisci.* Pineda in Monarc. part. 3. lib. 22. cap. 13. *Paucis annis antè mortē ſuam accepit ſeraphicus Pater Franciſcus vulnera Chriſti in ſuo corpore virginali.* Et Piſanus lib. 2. fruct. 132. pag. 274. col. 4. *Fuit ſimilis B. Frācisco ſacris virginibus, & hoc in corporis puritate: Nam virgo fuit puriſſimus.* Et lib. primo fruct. 8. pag. 62. col. prima de uirginitate B. Franciſci: *Frater Leo tripliciter fuit certificatus, ſcilicet per confeſſionem, viſionem, & ſuperno oraculo* glorioſum martyrem non voluntate tantùm, ſed re etiam nuncupatum audio à D. Bernardino tom. 4. ſerm. 3. de ſtigmat. B. Franciſci art. 1. c. 9. *Franciſcus mentalem quippè dolorem paſſionis Chriſti per compaſſiuā tranſformationem antequàm ſtigmata illa ſacra ſuſciperet, per biēnium, ideſt, uſq; ad mortem tàm mente, quàm carne in continuo martyrio vitam duxit.* Et Piſano: *Franciſcus ſi priùs mente, & voluntate erat martyr, poſt ſtigmatizationem factus eſt martyr mente, & corpore glorioſus, & martyrum præmio in cælo non priuatur, ſed eo coronatur.* Vndè D. clamat Bonauent. *O verè beatum virū, cuius caro, etſi tyrannico ferro non caditur: occiſi tamen Agni ſimilitudine non priuatur! O inquam, verè, ac planè beatū, cuius animam, etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij nō amiſit!* Si martyrē dicam, pręſtò ſunt, qui Apoſtolum illum appellant: quia ſi Apoſtolus idem eſt ac miſſus, ad reparandam eccleſiam ab ipſomet Chriſto & ipſe miſſus agnoſcitur verbis illis: *Vade Franciſce repara domum meam, quæ labitur*, quæ non tàm ad materialis S. Damiani eccleſię, vbi dicta fuerant, quàm illius ſuo pretioſo ſanguine acquiſitæ reſtaurationem directa fuiſſe autumat D. Bonauentura in aurea leg. mag. c. 2. *Totum ſe collegit ad perficiendum mandatum de materiali eccleſia reparanda: licèt principalior intentio uerbi ad eam ferretur: quā Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit; ſicut eū ſpiritus S. edocuit, et ipſe poſtmodum fratribus reuelauit.* Et poſt ipſum Piſanus: *Ad reparandum igitur ſpiritualitèr potiùs, quàm corporalitèr domum Dei mādatum accepit B. Franciſcus: Et ſic conſequentèr à Chriſto eſt deſtinatus, ac miſſus.* Quod ut per reuelationem Claræ vir-

Viega.

Pineda.

Piſanus.

Franciſcus mente non minus, quā corpore virgo.

Bernardin. Senenſ.

Voluntate, & re martyr.

Piſanus.

Bonauent.

Idem.

Idem.

Senescentis mundi Apoſtolus.

Piſanus.

Digitized by Google

virgini factã acqepit,illicò ad iniũcti ſibi muneris exequutionem perrexit, eodem dicẽte Piſano: *Quapropter nir Dei cũ ſumma reuerentia, quid Dominus nellet de ipſo percipiẽs, ſtatim aſſumptis duobus ſocijs,etc.ad prædicandum acceſſit,vt ad quod miſſus erat à Domino, perficeret ſinẽ mora.* Si Apoſtolum prędicauero, ſtatim ſe mihi offerunt, qui Ioanni illum quodammodò comparant,dum eius ſanctificationem in vtero, quãuis non aſſeuerantèr autument, probabilitèr,pièq; tamen propter congruentiarum copiam teneri poſſe opinãtur;quia .ſ.Chriſti expreſſiſſima imago, ſignaculum ſimilitudinis,crucis baiulus, Angelus ſexti ſigilli, homo ad humanati Verbi imaginem & ſimilitudinem,Chriſtique ſigniſer eſſe debebat.Quapropter Vitalis in Append. Sanct. & purit. B. Franciſci pag 42. *Ergo ad digniùs huiuſmodi ſimilitudinaria uerſanda myſteria Spiritus Sanctus B. Franciſcum ſanctificauit in vtero , nè peccatum aliquo modo eſſet obex hiſce myſterijs ſignificandis. Omne ſimile appetit ſibi ſimile; idcircò Chriſtus à primo inſtanti Sanctus, Franciſcum tàm ſibi ſimilem non ab inſtanti , ſed ab vtero Sanctum appetit,vt Sanctus ortum ſuum Sanctum in ſtabulo repreſentaret.* Et pag.47. & 48.*Beatum Franciſcum in vtero ſanctificatum piè tuemur, & tamquã probabile opinamur.* Quod, & D. Bonauẽturam probabile exiſtimaſſe opinor, cùm eum pietatẽ in utero non qualem qualem; ſed infuſam accepiſſe fatetur , dum ſerm. primo de B.Franciſco ait: *Adeò totus pius fuit , vt in ventre matris pietatem aſſumpſerit,& eam ſecũ ex ventre portauerit. Patet ergo,quòd pietas,quę fuit in Chriſto,renouata eſt in Frãciſco:vt quod præceſſit in rege,renouaretur in milite.* Et dęmonem ipſum per energumenę os inſinuaſſe reperio, dum quid de Franciſco ſentiret exorciſmorum vi dicere coactus,illum etiam in matris vtero ſicũ Lucifero, cæteriſq; dæmonibus terrori fuiſſe his verbis aſſeruit: *Statim vt anima B. Franciſci illius corpori fuit infuſa,tantus ſplendor, tanta lux,tàm immenſa claritas in valle ſpoletana apparuit, quòd omnes dæmones, qui in illo caliginoſo aere habitabant perterriti, & ſtupefacti iudicium timuerunt adueniſſe: Vndè concilio per Luciferum vocato, dixit de B. Franciſco,quòd ille homo vult bellum facere,quod ers numquam alius fecerat poſt Chriſtum , & ſuos Apoſtolos.Et ob hoc ſibi deputata fuit vna legio dæmonum, vt eum in vtero exiſtentem, vel iam natum in balneo, vel incunabulis ſuffocarent : ſed ſtatim Deus ex alia parte legionem ſibi aſſignauit ſanctorum , qui eum ſolicitè cuſtodiẽtes in nullo eum lædere permiſerunt.* In ſpeculo pag.88.Si igitur præfatorum aſtipulabor ſententiæ , ipſum ad Ioannis inſtar in vtero ſanctificatum dicendo, quod quidem,& à pietate non diſſonum puto,& nomen ipſum, quod in ſacra baptiſmatis vnda accepit, Ioannis ſcilicet,inſinuare quodãmodò potuit,quia ſi nomen hoc gratiam ſonat, cùm Franciſcus gratia per antonomaſiam eſſet nuncupatus,vt lib 1.fruct.8. refert Piſanus his verbis: *Frater Leo vidit cartam deſcendentem de cælo ſuper B. Franciſcum ſe ponentem , in qua erat ſcriptum, hic eſt gratia Dei.* meritò vix natus Ioannes vocatur,quia fortè non ſinè gratia ex matris egreſſus eſt vtero.Quare S.Bouentura in legend.mag.cap.1.*Franciſcus primùm Ioannes vocatus à matre, dehinc Franciſcus à patre ; vocationis quidem paternæ vocabulum tenuit,ſed et rem materni nominis nõ reliquit.*Si hoc, vt dixi,piè cum alijs aſſeruero, inſurgẽt incũctantèr,qui ipſum Angelum ſexti ſigilli appellabunt,ex quibus affero Bernardinũ: *Præceſſerat enim antè Frãciſcum angelicus vir, glorioſus Dominicus, in angelica vita paritèr, & doctrina. Beatus enim Franciſcus eſt alter Angelus in regula,& in fide, atque vita; qui propter facta Angelus nuncupatur, tum propter eius angelicam vitam , tum quia Dei nuncius fuit ad renouandum in mundo euangelium Chriſti .* Et infra: *Huic ſententiæ atteſtatur aſſertio,quã fecit Dominus Bonauentura in capitulo generali Pariſiis celebrato,cùm eſſet noſtri ordinis generalis miniſter : Nam prædicans in ipſo capitulo,cum maximo feruore aſſeruit , ſe certiſſimè ſcire per reuelationes indubitabiles , & ſolemnes factas talibus perſonis, qui de hoc non poterant dubitare, quòd B. Franciſcus erat ſingula-*

Idem.

Vitalis.

Etſi non aſſeuerãèr, piè tamen ipſũ in vtero sãctificatum aſtruũt nonnulli.

D.Bonauẽt.

Etiã in matris vtero ſirum, Luciferę, cæteriſque ſocijs terrori fuiſſe, volẽs,nolens confeſſus eſt dæmon.

Piſanus.

D.Bonauẽt.

Cur Ioãnes in ſacra baptiſmatis vnda vocatus?

Bernardin. Senenſ.

Angelus à Ioanne præuiſus.

laritèr Angelus sexti signaculi, Apoc. 2, & quòd ad litteram de ipso, atq; illius statu, & ordine intellexit euangelista Ioannes, atque in spiritu eum vidit, quandò protulit talia verba. tom. 4. serm. 3. de sac. stigmat. B. Francisci. Nec tãdem si Angelum eum nũcupauero, & cum Mayrone dixero: *Verè Beatus Franciscus fuit confirmatus in opere bono in medio candelabrorum, ideſt, omnium sanctorum; quia habuit cum Angelis integritatẽ innocentiæ, cum Patriarchis felicitatem obedientiæ, cum Prophetis spiritum prædicentiæ, cum Apostolis copiam paupertatis, & indigentiæ, cum Martyribus soliditatem patientiæ, cum Confessoribus austeritatem pœnitentiæ, cum Virginibus sinceritatẽ pudicitiæ,* erit prolixa laudatio, quia adhuc eum nunc peculiarem Christi armigerũ, non contra Philisthæos, sed aduersùs principes, & potestates tenebrarũ harum ab eo assumptum nuncupauit Lyranus, qui locum ei accommodans illum: *Accidit quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* 1. Reg. 14. hunc ait in modum: *Per Ionathan, qui columbæ donũ interpretatur, Dominus Iesus Christus significatur, nam ad modum colũbæ caret amaritudinis felle. Per hoc autem quòd Ionathas ascendit per scopulos ad destruẽdam Philisthinorum stationem significatus fuit ascensus Christi in cruce per clauos, & sic destruxit stationem dæmonum, frangens infernum: & inde liberans collegium sanctorum patrum. Per armigerum autem eius intelligitur Beatus Franciscus, qui arma Christi non solum in mente per fidem, sed etiam in corpore per expressam similitudinẽ portauit, & per crucem pœnitentiæ post Christum incedens frequentèr dæmones fugauit, non solùm de corporibus obsessis, sed etiam de ciuitatibus, & locis.* Nunc eiusdẽ Saluatoris vexilliferũ appellauit Pisanus lib. 3. fruct. 6. pag. 318. hisce verbis: *Videns Christus Beatum Frãciscum sibi datum à Patre pro signifero, sibi sua stigmata impressit: & voluit suã vitam, & passionem mundo declarare.* Nũc totum per amoris vim in Christum ipsum trãsformatũ asserit Bernard. Senens. tom. 4. serm. 3. de stigm. B. Francisci art. 1. cap. 3. cùm dicit: *Amor habet vim figurariuam ad modum ceræ fluentis in sculpturam sigilli: Ideò B. Franciscus tali liquefactus ardore, mẽte, & carne totus defluxit intrà sculpturam vulneris apparentis Iesu, & amans in amatum per vim huius amoris transformatus est.* Nunc tandèm (si fas est dicere) ipsius Saluatoris plenipotentiarium dixit Petrus de Castro disc. 2. de S. Francisco uerbis illis: *De seraphico Francisco dixit quidam eius filius: In potestate, & in manu Francisci posuit Christus Redemptor noster dominium, & potestatem omnium rerum.* Et disc. 1. *Poterat enim seraphicus Franciscus suo modo dicere illud, quod de Christo Domino dicitur in Euangelio: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Correa serm. 1. de eod. *Omnia tradita sunt Patri meo Francisco, atque omnia dedit ei Pater in manus; nam cùm facta sunt ei vulnera in manibus, pedibus, ac latere, æterna diuitiæ tradita sunt Francisco.* Quapropter plenipotẽtiarij, vt ità dicã, vtẽs potẽtia, & ad Dei (ni temerarius videor sic dicẽdo) similitudinẽ magnam, proceramque suæ religionis structuram super nihilum struere contendit, vt ait Altozagir. *Seraphicus Franciscus adeò fuit similis Deo, quòd quandò fundauit religionem suam, quæ est mundus paruus, eam fundauit super nihilũ suæ humilitatis, & paupertatis.* serm. de S. Francisco; & ad illius instar uẽtis quandoque imperabat, & mari. Vndè de eo D. canit Bonauentura: *Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum Creatoris.* Quid igitur imparem semper tot, tantisq; præconijs agnoscens sermonẽ, silebo? Et quidẽ liceret; verùm quia nec id deuotio, nec præsens materia patitur, ex multis, immò innumeris, quæ in eius laudẽ dici posset, illud solũmodò haud quaquam silebo, quòd iure optimo in vtraque Ierusalem, cælesti scilicet, & terrestri peregrinus vocatur, non tãtùm quia in hac singulariſſimo est sacrorum Stigmatum priuilegio insignitus, sicuti Vital. existimat in Append. sanct. & puritat. S. Frãcisci: *Peregrinus ideſt singularis, ratione stigmatũ fuit Franciscus in Ierusalẽ militanti, de quo aptè. Tu solus peregrinus in Ierusalẽ, tu*

Mayron.

In omnibus sanctorum ordinibus collocãdus.

1. Reg. c. 14.

Lyranus.

Christi Domini armiger.

Pisanus.

Eiusdem signifer.

Bernardin. Senens.

Totus in eundẽ trãsformatus.

Petrus de Castro.

Franciscus stigmatũ ratione Christi plenipotentiarius.

Correa.

Altozagir.

Super nihilum religionem fundauit.

Bonauent.

Vital.

Digitized by Google

tu ſolus habes Chriſti ſtigmata; verùm quia in alia etiam ſocium fortè tanti muneris non habebit.

2 Si non vulgari honore arietem illum, quẽ profilio obtulit Abraham, affectum putat D. Zeno, quia eodem occiſus fuit gladio, quo filius fuerat iugulandus, vndè ſer. 2. de Abrahã ac ſi arietis illius dignitatem admiratus, hęc prorupit in verba: *Eo ferro mactauit victimam, quo filium percutere iam parabat.* Si illæ poſteriores Chriſti gloriæ, de quibus Petrus: *Prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, et poſteriores glorias.* 1. c. 1. aliæ non erant, niſi crux; dicente Euthymio ſuper Luc. 9. *Alijs crux, & paſſio probrũ erat, vtpotè magnorum pœna criminum: at uerò Chriſto gloria, magni uidelicet erga nos amoris præmium.* Si vulnerum cicatrices pretioſiſſimi ſunt lapides in Conditoris manibus reconditi, iuxtà illud: *Manus illius tornatiles; plenæ Hyacinthis.* Cant. c. 5. quis non Franciſcũ ſingularitèr à Deo honoratũ aſſeret, dũ etſi nõ eodẽ ferro, quo filius necatus, ijſdẽ tamen, quibus ille eſt ſtigmatibus inſignitus, ijſdẽ glorijs cumulatus, & ijſdem pretioſis ornatus lapidibus? Iure igitur optimo ei dici poteſt illud Ezechielis 28. *Omnis lapis pretioſus operimentum tuũ*, quia vt ait D. Bernardinus tom. 4. ſerm. 16. de S. Franciſco, non gemmarij, vel aurificis, ſed diuinæ Sapientiæ opus fuit uas hoc auri ſolidum Franciſci, omni lapide pretioſo ſacrarum plagarum ornatum: *Apparuit mirabilis ſapientia Dei mediante perſona S. Franciſci, quia intelligebat mirabilem theſaurum, quẽ poſuerat in ipſo: quem theſaurum voluit inuenire in corpore, ponendo in illo quandoque lapides pretioſos.* Si parua non eſt dignitas eodem panno cum rege veſtiri, meritò clamat Vbertinus de Caſali l. 5. c. 4. *O quanta dignitas ijſdem veſtibus cum Ieſu cæli rege veſtiri! Hæc eſt purpura regis iuncta canalibus, humanitas. ſ. Chriſti Ieſu fluens riuulis ſanguinis proprij, in quo quaſi in ſanguine piſcis virgineam ſuam carnem intinxit. Iſta purpura veſtiuit Ieſus rex militem Franciſcum, dum fecit illi pallium coccineũ, & carnem ſuam aſperſit ſanguine vulnerum ſtigmatum, hoc fuit maxima dignitatis faſtigium.* Si in ſacrorũ ſtigmatũ impreſſione nedũ tali fuit illuſtratus lumine, q̃ teſte Bernardino Senenſe in uetuſtiori editione tom. 4. ſerm. 16. extraordin. noctem in diem vertiſſe videbatur: *Dicunt illi, qui habitabant in illis partibus circumſtantibus Aluernã, quòd ille Seraphinus. ſ. Ieſus Chriſtus in forma ſeraphini venit cum tanto ſplẽdore, & ardore, quòd agaſones videntes illum ſplendorem, credentes eſſe crepuſculum, & ſolem oriri, cæperunt cũ aſinis ſuis ambulare, & ſic dũ proceſſerunt per aliquod ſpatium, diſparuit Seraphinus, & remanſerũt inter ſcopulos illos tenebroſos, quia non dum erat dies*; verùm pluribus etiã fuit priuilegijs cumulatus, eodem dicente Bernardino tom. 4. ſer. 3. de ſtigmat. B. Franciſci art. 1. c. 9. *Duodecim nempè ſunt priuilegia, quibus exornatus eſt beatus Franciſcus, cùm adeptus eſt hæc ſacra ſtigmata, etc.*

Primum fuit ſanctificatio, quia in hac ſtigmatizatione ità per Spiritum Sanctum ſanctificatus eſt, vt more Apoſtolorum vlteriùs mortalitèr non peccaret.

Secundum fuit multiplicatio. Credo, quòd tunc copioſior gratia ei multiplicata ſit, quàm antea haberet: eò quòd fortè gratia prævia ad talem, & tantam transformationem ſufficiens non fuiſſet.

Tertium fuit ſuppreſſio, quia per gratiam fomes peccati in eo ſuppreſſus eſt. Vndè deuotum, & probabile eſt credere, quòd ſeraphica manus Ieſu tunc illam carnem purgauit ab omni rebellione.

Quartum fuit conformatio: ſic ſcilicet, quòd à gratia numquã caderet, quod piè credi poteſt.

Quintum fuit aſſimilatio, ſiuè expreſſio. Per hanc quidem ſtigmatizationẽ facta eſt in eo ſimilitudo, & expreſſa forma crucifixi Ieſu.

Sextum fuit conſolatio, cùm enim meutalis, & corporalis crux Chriſti haberet longitudinem gaudij, & latitudinem doloris, quia dolebat, & gaudebat pro Dei voluntate, & pro noſtra redemptione, quæ erant quaſi duo ligna, & amor erat quaſi connectens clauus, vnde duo prima originem attrahebant: propterà hanc paſſionem, & crucem commu-

Vu ni-

D. Zeno.

1. Petri c. 1.

Euthymius.

Sacrorum ſtigmatum præconia.

Cant. c. 5.

Ezechiel c. 28.

Bernardin. Senen.

Aureũ vas Franciſcus omni lapide pretioſo ornatum.

Vbertinus.

Eodem cum Chriſto cultu ornatur.

Bernardin. Senenſ.

Noctem in diem vertit Chriſti ad Franciſcum aduentus.

Idem.

Duodecim ſacrorũ ſtigmatum priuilegia.

Digitized by Google

nicãdo glorioſo Franciſco, neceſſe fuit ei hæc tria ſentire.

Septimum fuit martyrizatio, quod ex præcedenti originem habet; nam acerbiſſimus fuit dolor mentalis, & pœna corporalis paſſionis Chriſti.

Octauum fuit perfectio: fuerunt nempè hæc ſtigmata ſigna ſummæ perfectionis in eius anima, & carne.

Nouum fuit canonizatio, & à Deo approbatio, nam hæc ſacra ſtigmatizatio beati Franciſci ſanctitatis eius approbatio, & autenticatio fuit per bullam Crucifixi viuentis.

Decimum fuit exaltatio, nam ex ſtigmatizatione factus eſt cancellarius Ieſu Chriſti, tenens ſigillum, ideſt, ſignum Dei viui.

Vndecimum fuit honoratio. Profectò ſtigmata hæc fuerunt in beato Franciſco inſignia ſublimiſſima dignitatis, atque honoris.

Duodecimum fuit glorificatio, nam ſicut beatus Franciſcus fuit vexillifer Ieſu Chriſti in Eccleſia militãte, ſic poſt reſurrectionem ſecundum Doctores, remanentibus in corpore ſuo prædictis ſignis, vexillifer erit in Eccleſia triumphante. Si igitur, vti dicebam, ſacrorum ſtigmatum ratione tot, tantiſque muneribus, ac donis cumulatus fuit, & auctus, maximo, optimoque iure

Pſal. 137. dicere cum Dauide poterat: *Magnificaſti ſuper omne nomen ſanctũ tuum* Pſal. 137. quia vt Lyranus in opuſc. de vita, & geſtis D. Franciſci ait, ſtigmatum ratione ſuper omne Sanctorum collegium ſe quodammodò exaltatũ

Lyranus agnoſcebat: *Iungatur ſic littera*, ait nuperrimè dictus Lyranus, *quoniã magnificaſti nomen ſanctum tuum, ſcilicet in me; quia Deus in ſe non magnificatur, cùm ſit infinitus: & hæc magnificatio fuit ſacrorum ſtigmatum impreſſio, quæ fuit occaſio fidelibus magnificandi nomen Domini deuotè. Sed quia hoc eſt priuilegium ſingulariter Beato Franciſco conceſſum, ideò dicitur ſuper omne ſcilicet collegium iuſtorum; ſicut de quolibet ſancto confeſſore canit Eccleſia: Non eſt inuentus ſimilis illi, pro aliqua eius ſingulari gratia, ſinè præiudicio aliorum ſanctorum.*

Sacrorum ſtigmatũ ratione ſuper omne sãctorũ collegiũ quodammodo exaltatus Franciſcus.

3 Præteruolo, vt pernotum ad ſacrorum ſtigmatum extollenda præconia, quòd eorum ratione nullus, ſi fas eſt dicere, ſic Chriſto factus eſt ſimilis, vt Franciſcus, quod ex verbis illis: *Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. cap. 1. colligere poſſem; quia ſi ipſa Patris verba erant ad Filium directa, vt ait Chryſoſtomus, qui extẽplò ſuæ petitioni: *Quis? ad quẽ loquitur?* reſpondet: *Pater ad Filium*, cùm de ipſo quidem, ſed de humanitatis ſimilitudine ſermo eſſet, eodem dicente Chryſoſtomo: *Voluit Deo humanam formam tribuere.* Et Origene: *Ad ſimilitudinem noſtram, ideſt Saluatoris*, non Verbi incarnationem præcedere, ſed ſequi ſimilitudo debebat; cùm hæc, iuxtà Ariſtotelis ſentẽtiam, relatio ſit vnius ad alterum; vndè priùs Adam productus deſcribitur, quàm Eua, quia cùm hæc ad viri eſſet ſimilitudinem producenda: *Faciamus adiutorium ſimile ſibi.* Gen. cap. 2. ſimilitudinis ſupponere debebat terminum, non præcedere. Ex quo mihi pro præſenti inſtituto liceat inferre, quòd de Franciſco præſertim propheticè, atq; ſymbolicè ſermo tũc eſſet, quia mòx dictæ ſimilitudinis terminum non tàm Adam, quàm ipſe ſupponere debebat. Hinc Bernardinus Senenſis tom. 4. ſerm. 3. de ſtigm. B Franciſci art. 1. cap. 9. *Per hanc quidem ſtigmatizationem facta eſt in beato Franciſco ſimilitudo, & expreſſiua forma Crucifixi Ieſu, cuius paſſio in ſuis membris fuit ab ipſo Ieſu impreſſa, quaſi tota Trinitas in hoc myſterio per Ieſum dixerit illud Geneſ. 1. Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, eò quòd imaginem paſſionis ſuæ impreſſit in eius corpore, & ſimilitudinem figuravit in mente.* Quod pium cogitatum confirmare etiam videtur Dauid verbis illis: *Deus, quis ſimilis erit tibi?* Pſal. 82. *Quis ſimilis erit Deo in filijs Dei?* 88. nam ſi iuxtà Auguſtini ſentẽtiã non de imagine in anima ſita, ſed de ſimilitudine, quæ in corpore cõſiſtere debebat, loquebatur: *Non ait, quis ſimilis eſt tibi? quod vtique ad Diuinitatẽ referretur, ſed dicit, quis ſimilis erit tibi, hoc ad formam ſerui referens.* Modò dictus Auguſtinus ſuper Pſal. 101. non in præſenti, ſed in futuro loqui debebat, quia illũ for-

Geneſ. c. 1.

Chryſoſt.

Origenes.

Gen. c. 2.

Bernardin. Senenſ.

Franciſcus homo ad Dei ſimilitudinem effectus.

Pſal. 82.

Pſal. 88.

Auguſtin.

Digitized by Google

ſortè, qui non Dei tantùm imaginem in anima vt cęteri, verùm ſimilitudinem etiam erat geſturus in corpore, videre cupiebat: *Vltra plures ſimilitudines* (ait S. Bernardinus) *fuit in Franciſco corporalis conſignationis ſingularitas, vt propter ſingularitatem primis tęmporibus inexpertam, poſſit de eo homo admiratiuè interrogare fideles, dicęs illud verbũ Prophetæ: Quis ſimilis erit Deo in filijs Dei?* tom. 4. ſer. 3. de ſacr. ſtigm. S. Franciſci art. 1. cap. 1. Hinc Deus de ſuæ ſimilitudinis ſignaculo loquens, in ſingulari, nõ in plurali loquitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis.* Ezechiel. 28. *Ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituũ.* Aggæi 2. quia fortè ſolus Franciſcus expreſſam, externamque crucifixi Domini geſtare debebat figuram.

4 Ex verbis illis: *Scyphum autem meũ argẽteũ, et pretiũ, quod dedit, pone in ore ſacci iuniorꝭ.* Gen. 44. ſubtilis pro præſenti materia oritur quæſtiuncula, quo animo, quemue ad finẽ id Ioſephus effecerit? Si calumnia, nõ myſteriũ primo videbatur intuitu, cur omiſſis reliquis, erga cariorem illam ſtruere voluit? Nũ quia, quẽ Dominus, per Ioſephũ in hoc importatus, diligit, corripit, & caſtigat? Et quidẽ, vndè Vgo Card. *Per Beniamin hic intelliguntur innocentes, quos Dominus teneriùs diligit, & idcò potiùs arguit hic, vt puriores ſint*; verùm Theodoretus quæſt. 105. in Gen. Philo, multique alij à litterali ſenſu non diſcedẽdo, ad fratrum animum erga Beniamin experiendum id factum autumant: *Experiri volens Ioſeph*, ait Theodoretus, *animum fratrum erga Beniamin, & liquidò noſſe, an Beniamin calumniam paſſum defenderent, ob id in eius ſacco abſcondi ſcyphum imperauit.* Hæc ipſe. Alij nihilominus ad myſticum sẽſum rem reducendo, per Beniamin Paulum ex hac tribu originem ducentem, vltimum ad apoſtolatum aſſumptum intelligentes, ſcyphum in eius ſacco poſitum aſſerunt, quia ipſe & electionis vas eſſe, & ſapientia non vulgari fulgere debebat. Quarè Iſidorus in Gloſſa relatus: *Quid ſibi vult, quòd inuentus eſt ſcyphus Ioſeph in ſacculo Beniamin, niſi quia in corde Pauli cęleſtis doctrinæ iam fulgebat eloquiũ, dum eſſet eruditus in lege? Sed quia ſubiectus non erat Deo, intrà ſaccum erat ſcyphus, doctrina intrà legem, lucerna intrà modium.* Et Gloſſa: *Allegoricè uerò per ſcyphum argenteum in ſacco Beniamin poſitum præfiguratus fuit Paulus apoſtolus ex tribu Beniamin naſciturus, qui fuit uas electionis ſapiẽtiæ Dei plenũ, & eloquentia bona.* Aſt ſi ſecũdum cõmuniorem (nè communiſſimam dicam) ſententiam, ſicuti per Ioſephum Chriſtus, & per ſcyphum eius paſſionis præfigurabatur calix, iuxtà illud: *Calicẽ, quem dedit mihi Pater, non uis ut bibam illum?* Ioan. 18. vbi poſt multos Vgo Card. *Ioſeph, ideſt Chriſtus in ſcypho bibit, quandò in lege calicem ſuæ paſſionis oſtendit*; ità per ſaccum corpus importabatur, & cæto, vt inter cęteros ſenſit Alẽſis ſuper illud Pſal. 29. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*, cùm ait: *Conſcidiſti ſaccum meum, ideſt corpus diuerſis pęnis afflixiſti. De hoc ſacco Eſther 4. Non erat licitum indutum ſacco aulã regis intrare, quia corpus impedit nos, quòd non poſſimus ad paradiſum intrare.* quis ſit iſte Beniamin, in cuius corpore Chriſti erat renouanda paſſio, ſubtiliori eſſet quærẽdũ indagine, niſi protinùs Frãciſcus verus Beniamin frater minor Chriſti ſtigmata in ſuo corpore portans, omnium ſe præſentaret obtutibus, dicendo: *Chriſto confixus ſum cruci.* ad Gal. 2. quæ verba Mayr. veluti prophetico ſpiritu in eius perſona à Paulo dicta fuiſſe aſſerit, cùm etiã corporalitèr id pertulerit Franciſcus, quod mentalitèr tantùm pertulit ipſe: *Idcircò pro illo tempore conuenit beato Franciſco illud Apoſtoli ad Galatas. 2. Chriſto confixus ſum cruci: ſed Apoſtolo ſolum mentalitèr, Franciſco corporalitèr.* in laud. ſanctorum ſerm. 1. ſacrorum ſtigm. Iure igitur optimo ſolus in hac militanti Ieruſalem peregrinus vocatur Franciſcus, quia eũdem prorsùs Chriſti calicẽ bibere, ijſdẽq; Domini characteribus inſigniri, ipſo excepto, vſq; modò nulli ex fratribus cõceſſũ videmus. Qua de cauſa S. Antoninus Archiepiſcopus Florẽt. hiſt. 1. 3. p. tit. 2. c. 1. §. 3. hunc ait in modum: *Quodam ſingulare conceſſum fuit*

Bernardin. Senenſ.

Eius aduentus à Dauide optatus

Ezechiel. c. 28.

Aggæus c. 2.

Gen. c. 44.

Vgo Card.

Theodoret.

Iſidorus.

Pauli electio multò antè præuiſa.

Gloſſa.

Ioan. 18.

Vgo Card.

Pſal. 29.

Alenſis.

Galat. c. 2.

Mayron.

S. Antonin.

Franciſci priuilegium fuit ſtigmatibus inſigniri, cùm nulli inter natos mulierum huiuſq; cõceſſũ videatur.

fuit B. Franciſco, quod nulli inter natos mulierum legatur fuiſſe donatum, & hoc eſt impreſſio ſtigmatum ſacrorum. Dicitur etiam de aliquibus denotis hominibus, quòd ſenſerint magnum dolorem in manibus, & pedibus, & latere, ac ſi habuiſſent ibi vulnera, ſed tamen non ità impreſſa corporaliter, vt B. Franciſco. Nec Pauli obſtant verba : *De cetero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* ad Galat. 6. quia pro Franciſco fuiſſe dicta aſſerit D. Bernardinus Senenſ. tom. 4. ſerm. 3. de ſtigmat. S. Franciſci art. 1. cap. 6. cùm ait: *Quod quidem verbum Papa Nicolaus tertius in declaratione regulæ noſtræ, vt habetur extra de verborum ſignificatione: Exiit, qui ſeminat lib. 6. de B. Frãciſco intelligit eſſe dictum, cùm nec Paulus, nec alius ſanctus auctoritate Eccleſiæ legatur in corpore ſuo portaſſe ſtigmata hæc ſacra.*

Galat. c. 6.

Bernardin. Senenſ.

5 Cæterùm à præfato Beniamin minimè diſcedẽdo, ſubtilitèr trutino; quid cauſæ eſt, quòd Ioſeph, qui in fratrum accubitu ſic ætatis ordinem ſeruari præceperat, vt primus iuxtà primogenita ſua, & minimus iuxtà ætatem ſuam ſedere præceperit; in partium poſteà diſtributione adeò cæteris minimum prætulit, vt quintuplo Beniamin pars aliorum partes excederet, ſacra dicente pagina : *Mirabantur nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq; pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet.* Gen. 43. Si cum Lyrano, aliiſque non paucis ad fratrum animum erga Beniamin probandũ hoc factum aſſeres? eſtò: verùm ad myſticum ſenſum hoc referendo, perſubtile detego myſterium, quòd ſcilicet iure optimo Beniamin fratris minoris pars cæterorum portiones quinque partibus excedebat, quia verus minor, minorumque pater Frãciſcus plagis quinque cæteros præcellere debebat. Quod ſanè ab Vbertino accepi de Caſali, qui lib. 5. cap. 1. ſic clamat: *O Franciſce veriſſimus Beniamin, Ioſeph primogenitus fecit te ſedere ad menſam euangelicæ vitæ cum fratribus tuis cæteris ſocijs, ibi pars tua exceſſit alias quinque partibus ſacrorum vulnerum, per quæ quinque ſtolam optimam recipies præmiorum in ſuo aduentu!* En quomodò ſacris ſtigmatibus inſigniri, ſolius Frãciſci futurum erat priuilegium; quod ſi & ſingulariſſimum quidem fuit, & vſque modò ipſius tantùm, vt in legenda eiuſdem ait S. Bonauent. cap. de mirac. ipſius poſt mortem, & de virtute ſacrorum ſtigm. *Nouus igitur homo Franciſcus nouo, & ſtupendo miraculo claruit, dum ſingulari priuilegio retroactis ſeculis non conceſſo inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis huius corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minùs erit laude condignum.* ergo ſolus ipſe huius militãtis Ieruſalẽ & nouus homo, & peregrinus cenſeri meritò poteſt.

Gen. c. 43.

Vbertinus.

Stigmatiſatione Franciſcus ſanctos cæteros ſpiritibus quinque exceſſit.

D. Bonauẽt.

Franciſcus homo nouus, quia nouo ſtigmatũ priuilegio auctus.

6 Neque in hac tantùm Ieruſalem, in qua peregrinamur à Domino, verùm in illa etiam, quæ ſurſum eſt, in ſplendoribus, inquam, ſanctorũ ſolus fortè peregrinus apparebit Frãciſcus, dixi fortè, quia etſi diuinæ ſapientiæ, potẽtiæ, ac pietati, & eadem, & multò maiora efficere non repugnet, quoniam nihilominùs iuxta Auguſtini ſententiam à creatione nõ diſſona, ſed ei conſona eſſe debebat reparatio: *Fuit ſimilis reparatio, quomodò fuit & hominis creatio* tom. 10. ſerm. 12. de Natiu. Domini, & in creatione vnicum ad Adę ſimilitudinem ædinatorium fuit productum: *Faciamus ei adiutorũ ſimile ſibi.* Gen. cap. 2. vnus fortè etiam in reparatione ſecundo Adæ dandus erat Frãciſcus, qui configuratus corpori paſſionis eius, labentem reparare haberet Eccleſiam. Quod quis ſcit, ſi prophetico ſpiritu præuidens Ieremias, ſignũ leuandũ in Sion, non ſigna leuãda aſſeruit: *Leuate ſignum in Sion* cap. 4. quia etſi Chriſto multi in multis conformari debebant, eidem tamen, vt in ſignum contradictionis poſito, fortaſſis vnicus interius, exteriuſque erat aſſimilandus Franciſcus: *Videns Chriſtus*, ait Piſanus, *B. Franciſcum ſibi datum pro ſignifero, ſua ſtigmata ei impreſſit, & voluit ſuam vitam, & paſſionem mundo declarare.* lib. 3. fruct. 6. pag. 388. Præterea ſi iuxtà Theologorum ſententiam in 4. diſt. 44. cum vulnerũ cicatricibus reſurgunt ſunt martyres,

Etiam in cęleſti Ieruſalem peregrinus apparebit Frãciſcus.

Auguſtin.

Gen. c. 2.

Ierem. c. 4.

Piſanus.

In eo Chriſti vita, & paſſio renouata.

Digitized by Google

res, vt per ipſas, veluti per feneſtras, interni ſplendoris radios emittant, negari haudquaquam debet, quòd cũ iiſdem plagis in gloria apparere debebit Franciſcus: immò ſi illę à cruẽtis perſecutorum manibus illatę perſiſtent, multò magis hæ à Chriſto inflictæ in perpetuas durabunt æternitates. Quod & teſtatur Franciſcus de Mayron. in laud. ſanct. ſerm. de ſtigm. S. Franc. cũ Bernardino Senen. tom. 2. de euang. ætern. art. 2. c. 13. & expreſſiſſimè hiſce verbis dixit Piſanus lib. 1. fruct. 9. B. *Franciſcus ſicut in eccleſia militanti fuit Ieſu Chriſti vexillifer: ſic & poſt reſurrectionem remanentibus in corpore ſignis ſtigmatum, erit princeps ſanctorum, & vexillifer in eccleſia triumphante. Et ſicut armiger, & vexillifer regis à ſubditis honoratur, ſic re vera* B. *Franciſcus ſignifer Chriſti ab Angelis, ſanctis, & electis venerabitur, & collaudabitur.* Igitur ſi forſan in cœlo etiã ſolus ipſe Saluatoris erit characteribus inſignitus, ſolus & ipſe in cœleſti Ieruſalem peregrini vocabulum ſortietur.

Idem.

Stigmatibus decoratus exurget Franciſcus, quorum ratione etiam in triũphanti Ieruſalem Chriſti vexillifer appellabitur.

7 Quis, & cuius eſſet ſimilitudo vir ille, de quo Eccli. 45. *Similem illum fecit in gloria ſanctorum.* excogitaui non ſemel, & quamuis poſt aliquantulam loci trutinationem Bernardinum Senenſem repererim dicẽtem, quòd de Franciſco, & Chriſto eſſe poterat ſermo, cùm huic ille per contemplationem, amorem, ſtigmata, & tandèm per miracula, atq; prodigia coaptatus inueniatur: *Proindè conuenit* B. *Franciſco illud Eccli.* 45. *Similem illum fecit in gloria ſanctorum. Gloria quidem ſanctorum in hac vita eſt claritas miraculorum, in quibus Franciſcus Ieſu ſimilis ſingulariter fuit.* tom. 4. ſerm. 3. de ſtigm. S. Franciſci art. 1. cap. 1. quia nihilominùs non in via, ſed in ſanctorum gloria ſimilis factus dicitur, propterea poſt reſurrectionẽ, in ſanctorum ſcilicet ſplẽdoribus, hoc maximè ei accomodandum exiſtimo; quia ſi iuxtà nuperrimè dicta plagis veluti rutilantibus ſtellis decoratus reſurget, corpori tunc configurabitur illi, cuius hic ſtigmata portauit in ſuo. Nec vacat myſterio, quòd non in plurali, ſed in ſingulari dicatur; *Similem illum fecit in gloria*, quia Frãciſco excepto, nullus fortaſſis interiùs, exteriuſque Saluatoris geſtabit figuram; quod ex eo vel maximè mihi ſuadeo, quia vbi reliqui ſancti in iudicio libri intus tantùm conſcripti dicentur, vndè apertione indigebunt, vt an fideliter ſuo archetypo reſpondeant, innoteſcat (Quod & Ioannem verbis illis dixiſſe opinor: *Libri aperti ſunt: et alius Liber apertus eſt qui eſt vitæ.* Apoc. 20. & Auguſtinum lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 14. confirmaſſe reperio: *Libros dixit eſſe apertos, & librum. Sed librum cuiuſmodi non vacuit: qui eſt, inquit, vitæ vniuſcuiuſque. Ergo illi libri, quos priori loco poſuit, intelligendi ſunt sãcti, & veteres, & noui, vt in illis oſtenderetur, quæ Deus fieri ſua mandata iuſſiſſet: in illo autem qui eſt vitæ vniuſcuiuſque, quid horum quiſque non feciſſet, ſiue feciſſet*) Franciſcus liber ſcriptus intus, & foris appellabitur, iuxtà illud: *Vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris.* Apoc. 5. quia ipſe forſan ſolummodò ex externa inſcriptione internos oſtẽdet animę characteres, & deforis etiã archetypo reſpondebit illi, qui amoris intus, & clauorum, & lanceæ calamo deforis ſcriptus fuit, dicente Hilario: *Liber fuit Chriſtus & apertus, & extenſus in cruce: ſcriptus erat intus, & foris, intus quidem per amorem, foris autem per vulnera.* Audi nunc Bernardinum Senenſ. ſuper citatum Apocalypſis locum: *Vidi in dextera ſedentis librum ſcriptum intus, & foris: Hic liber eſt* B. *Franciſcus, ſcriptus intus ſpiritualiter per incendium compaſſionis, & foris corporaliter per ſtigmata paſſionis:* Ecce tibi cur in cœleſti etiam Ieruſalem peregrinus, ni fallor, dicetur Frãciſcus; quia, vt mihi pro nunc excogitare licet, ſolus ipſe, deforis etiã exẽplaris characteres ſtylo ferreo exaratos portabit. Vndè Pelbartus ſer. 5. in huius libri laudem hunc dixit in modum: *Seraphicus Franciſcus fuit tranſumptum, & copia fideliter tranſcripta illius originalis Chriſti, & redemptionis noſtræ, quod habemus in ærario, ſeu gazophylacio eccleſiæ, ut Deus, Angeli, & homines in ipſo inſpiciant, & legant redemptionis, & liberationis noſtræ*

Eccli. cap. 45.

Bernardin. Senenſ.

Similem illũ ſibi Chriſtus effecit in gloria sãctorũ, quia in ea ſolus ſorte ſua portabit ſtigmata.

Apoc. cap. 20.

Auguſtin.

Apoc. c. 5.

Hilarius.

Chriſtus liber ſcriptus intus & foris, intus per amorem, foris per vulnera.

Bernardin. Senenſ.

Pelbar.

Tranſumptum fuit Franciſcus, & copia fideliter tranſcripta, dum ad archetypi inſtar intus & foris ſcriptus erat.

Digitized by Google

stra chirographum.

8 Cæterum ad archetypi instar deforis etiam scribi, quale, quantumque sit priuilegium, illud maximè declarare opinor, quòd ni cautè prouisum fuisset, facilè in errorem laberentur mortales, non purum hominem, sed quid supra hominem Frãciscum existimando, Sãctissimi huius Patris vitam describere volens Bonaventura, sic ipsum exorsum fuisse reperio: *Vir erat in ciuitate Assisij Frãciscus nomine, cuius memoria in benedictione est, &c.* At quid est hoc seraphice doctor, cur non ab auorum serie, maiorũque stemmate tui sãctissimi Patris vitam describere aggrederis, quòd ab ipso, ac si genitoribus experte exordiris, & inchoas? Cur non saltem à nomine proprio incipis, quòd inuerso ordine antè omnia alia virum illũ appellando, naturam describis? Subtilis equidem difficultas, verùm liquidò ex consimili Iobi vitæ descriptione patebit; nam si propterea, vt ait Chrysostomus hom. 2. de patientia Iob, antè eius natura prædicatur, quàm nomen, dum dicitur: *Vir erat in Terra Hus, nomine Iob*, cap. 1. quia aliàs innocentiæ claritas, animi magnitudo, agonis sublimitas, cæterarumq; virtutum eminentia si infra Deum, supra hominem illum credere effecissent: *Necessarium est omnium primò*, ait modò dictus Chrysostomus, *qualem vim proœmium ipsum habeat inquirere, cuiusque rei gratia historicus ab hac facit dictione principium, Vir erat, &c. Quoniam quidem vitam narraturus erat virtuosam, nostramque vim supra modũ vincentem: nè quis ad agonis sublimitatem respiciens, putaret non humanam, sed peregrinam esse naturam, naturam describit.* eadem (ni hallucinor) ex causa, nè scilicet ob Francisci merita, stigmatumque prærogatiuam in similem homines prolaberentur errorem, cum supra hominem existimando, homo in exordio prædicatur, & scribitur.

D. Bonauent.

Iob c. 1.

Chrysost.

Ne supra hominem Franciscus putaretur, ab hac dictione, Vir, eius exordiuntur historia.

9 Persubtilem pro conclusione quæstionem adduco; quid causæ est, quòd cùm nulla de Christi Domini plagis (saltem sub hoc nomine) agatur festiuitas, Francisci stigmata anniuersaria festiuitate celebrantur? Si inter ducem, & militem, seruum, & dominum modicũ nõ sit discrimen, nec parua extat differentia, cur non ducis, sed militis plagarũ celebratur solemnitas? An fortè Christi vulneribus honorabiliora sunt illa Francisci? Et quidẽ si hoc ratione efficientis tantùm assererem, non à vero me deuiare existimarem; nam vbi illa ad liuoris expletionem à satellitibus, ac hostibus inflicta fuere, hæc non ab homine siue amico, siue inimico; nec ab Angelo quoquam, sed ab ipsismet Christi manibus effecta sũt. Quod relictis Mayrone, Guillel. Vital. multisq; aliis dixit Bernardinus Senens. to. 4. serm. 3. de stigmatibus S. Francisci cap. 1. art. 1. *Sicut in sua persona non in alia carnem nostram assumpsit, & in carne sua passibili perfectionem euangelicam exemplauit: sic & per ipsum gloriosum Franciscum in sua acceptata perfectionis signaculum figurauit, & consignauit. Profectò nec per alium hoc fecit, quia nec alius, nec alia creatura potestatem habet transformandi animam in diuinum amorem, nec per consequens ipsũ corpus: igitur talis transformatio facta est non virtute Angeli, sed ipsius Dei.* Et loco mòx dicto cap. 8. ratione contactus Francisci stigmata extollens hæc habet: *Si quis haberet de vera veste Domini nostri Iesu Christi, qua scilicet sacrum illud fuit contectum corpus, atque de hac certus esset: aut haberet aliquid, quod manus Beatæ Virginis fabricauerunt, vel saltem contrectauerunt, vel haberet aliquid simile, magnum se habere thesaurum existimaret, atque multo veneraretur obsequio, ac deuotione, cùm sapiùs talia impendantur multis reliquijs, & Christi, & Beatæ Virginis, aliorumq; sanctorum, de quibus nulla certitudo habetur: Quantò igitur maior deuotio, atq; veneratio adhibenda est reliquijs, quæ non tãtùm tetigerunt sacratissimum corpus Christi, sed à sanctissimis manibus suis facta, seu creatæ sunt, quæ quidem fieri ex prædictis patet, fuerunt claui stigmatum Beati Francisci, quos ipsemet propijs manibus creauit, & fabricauit sicut attestatur Alexander IV. Papa prædictus. Nec recolo me legisse, nec reperisse aliquid immediatè fabricatum à manibus Iesu*

Bernardin. Senens.

Non hominum, nec Angelorũ, sed Christi manuũ opus Francisci stigmata.

Quãta propter hoc deuotione veneranda.

Nil forte, vt ipsa immediatè à Christi manibus fabricatum.

Digitized by Google

Ieſu Chriſti, quod ab Eccleſia fuerit approbatum, niſi hos clauos, & ſtigmata ſacra. Et D. Bonauentura in legend.
D.Bonauēt. mag.cap.13. *Deſcendit de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei viui.* Quam veritatem cuidam deuoto religioſo ſui ordinis ipſummet Franciſcum poſt obitum reuelaſſe hiſce verbis fatetur Piſanus:
Piſanus. *Scias, quòd ille, qui mihi tunc apparuit non fuit Angelus; ſed fuit Dominus meus Ieſus Chriſtus in ſpecie Seraphini, qui ſicut vulnera ipſa ſacra in cruce ſuſcepit corpore: ità manibus ſuis benedictis in corpore meo impreſſit.* lib.3. fruct. 3. Si igitur legis gratiæ characteres nō ſatellitum, nec hoſtium manibus, ſed ad illorum antiquorum inſtar Dei digito ſcriptorum, non in tabulis lapideis, ſed in carneis membris ſeraphici Patris exarati, & ſculpti fuere, ratione efficientis digniores appellare non erit incongruum. Et quidem ſi vt Philippus Diez 1.par.ſummæ prædicab.verb.Franciſcus §.pro ſacris ſtigmatibus ait, à pictoris eminentia dignitatem deſumit pictura: *Si pictura exiſtimatur propter manum pictoris, magnum diſcrimen inuenio inter vulnera Ieſu Chriſti, & vulnera P. N. Franciſci; nam vulnera Chriſti depicta fuerunt à crudeliſſimis carnificibus: at verò D. Franciſci vulnera ab ipſo Chriſto cæli, et terræ Domino in figura cuiuſdam ſeraph depicta, & impreſſa fuerunt: quapropter iure optimo poſſet ſeraphicus pater dicere verba illa, quæ de Ieſu Chriſto dicta fuerunt: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me;* ſāctiſſimi patris noſtri Frāciſci modica non erit plagarum dignitas, ratione cuius, vt ſcilicet pijſſimi efficientis (ſicuti piè excogitare fas mihi eſt) agatur memoria, anniuerſaria hæ celebritate veneran-
Philippus Diez. tur.

Inter ipſa, & illa Saluatoris diſcrimen.

Dixerūt, De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo, & omni populo: Et quomodò eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerūt eum. Luc. 24.

§. II.

Qui dignos deprimendo, extollit indignos: indigniſſimæ ſuæ electionis præbet indicium.

1 SI bonum principem legitimè electum ſupremum reipublicę bonū cēſendū aſſeruit Plinius Iunior in panegyr. Neruæ Traiano Auguſto dicto, cùm in ipſius Neruæ laudem hunc ait in modum: *Quod enim præſtabilius eſt, aut pulchrius munus deorum, quàm caſtus, & ſanctus, ac dijs ſimillimus princeps? At ſi adhuc dubium fuiſſet fortè, caſuque rectores terris, an aliquo numine darentur, principem tamen noſtrum liqueret diuinitùs conſtitutum. Non enim occulta poteſtate fatorum, ſed ab Ioue ipſo coram, ac palam repertus, electus eſt.* improbum prælatum, indebitè intruſum non vulgare, ſed maximum religionis cenſendum eſt malum. Quòd diſertè nimis ſequentibus verbis dixit Procopius: *Grande beneficium miſericors Deus illi confert, quem nouit indignum gradu aliquo, & dignitate, ſi illum obtenta tam honore ſpoliat, aut ne obtineat omninò impedit, &c. Quid enim infelicius, quàm prælatum tali munere indignum præſici?* Et non tam quidem malum hoc magnum cēſeo, quia hic multoties cū ſui fuerit voti compos, & ad prælationem, quam ambierat, aut

Plin. Iun. Supremum reipublicæ bonū, bonus princeps.

Procopius. Nil prælato ſuo munere indigno infelicius.

Digitized by Google

aut propria machinatione, aut aliorũ factione peruenerit, citò intumescit, & generis plerumque, ac instituti immemor factus, à cauponibus, & agasonibus quãdoque etsi originem ducat, vt alter tamen Lucifer se erigit, & sic in humilitatis schola, in qua honores à cæteris contemnuntur, superbit, ac tumet, vt etiam supremos illius titulos dedignetur, & renuat; ac vt regum primas (quem stultè se iactat) profanos, & seculares affectet: nec non vbi in seculo vix festiuis diebus plebeiè calceare se poterat, in religione posteà proprij instituti (vt dixi) immemor factus omninò, in curribus, & equis; in lecticis, & sellis gestatorijs cum comitatu, & fastu multo incedit, atque ad ciuitates adeò superbè comitatus accedit, vt innumerabiles videantur quadrigę illius, cui non professionis solùmmodò, sed generis etiã ratione vix asselli vsus liceret; quod non patres nostri narrauerũt nobis, opus, quod factum est in diebus eorum, & in diebus antiquis; sed audiuimus, & vidimus oculis nostris, & perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt. Vndè tactus dolore cordis intrinsecùs cum Hugone de Foilleto à Tilmanno relato dicere possum: *Ex tunc venale sacerdotium. Ex tunc, & nunc: adhuc enim in Ecclesia est Iason cum Onia: adhuc precibus, & pretio quorumdam celebratur electio. Qui hoc ordine in Ecclesia magistri fiunt, gymnasium, & ephebiam in Ierusalem, ideſt, in Ecclesia quandoque construunt. Gymnasium in Ierusalem, quia inter fratres secularia narrãt; Ephebiam verò in Ierusalem construunt, quia secum suspectas personas, & notabiles habere non erubescunt. Eos qui Ieroſolymis sunt: antiochenos volunt inscribi: quia diuites esse cupiunt, & videri: & qui antè conuersionem cum paucis ire consueuerant, nunc in multitudine magna, & apparatu copioso curias frequentant: Et per hoc simplicibus dant intelligi, quòd paupertas nõ cõueniat prælationi.* Nec cũ his omnibus propterea tàm quidem, vt dixi, malum hoc magnum censeo, quia scilicet facilè effrons indebitè voti compos effectus, intumescit, immò insolescit; quàm quoniam huiusce modi dignitatum intrusores, atque raptores magni improbos, probos flocci facere solent; & cùm omne simile sibi simile appetat, bonos supprimunt, eriguntq; malos. Quod quàm ingens malum sit, benè nouit, qui dixit: *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsũ. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.* Eccles. cap. 10. Vbi Vgo Card. *Vidi malum egrediens à facie Principis, ideſt diaboli hoc procurantis, vel cuiuslibet terreni principis, qui malos exaltat, & bonos humiliat. Et quod est istud? Ecce positum stultum falsa positione donec dicatur, cedat tempus. In dignitate sublimi, seculari, vel Ecclesiastica: Et diuites sapientia, virtutibus, & bonis operibus sedere deorsum quasi viles, & abiectos. Et ad maiorem detestationem repetit idem, vt magis confundantur, qui promouent indignos, & vilipendunt dignos. Vidi seruos vitiorum, vel honorum pro quibus diabolo se seruos constituunt, in equis, ideſt, in dignitate: & principes, ideſt, bonos, qui benè vitijs principantur ambulãtes quasi seruos, cùm tamen sint liberi.* Cuius mali, si aliud haudquaquam extaret exẽplum, satis esset impresentiarum dicere, quòd spiritu prophetiæ Vir pollens, qui dictis, factisque se mundo præbuerat mirabilem, ignominiosa multatus sit morte: *Dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo, & omni populo: Et quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* At nil mirum, nam principes nostri, nostræ inquam tempestatis, nostrorumque scelerum causa à Deo vindice permissi, vix precibus, pretio, vel malorum conspiratione Ecclesiæ, vel religionis arrepto principatu, nedum probos præ viribus opprimunt, verùm improbos nil à Barabba discordantes (nè peiores dicam) eleuant, & extollunt: quod quàm euidẽs sit ipsorum malæ electionis indiciũ, liquidò sequentia probabunt.

2 Ex illa Xenophontis sentẽtia: *Boni imperatores sunt, qui boni patres fa-*

Quãuis humillimi generis indebitè ad dignitatem intrusi, facillimè intumescunt, & fẽmaris sed duntur immemores.

Hugo de Foill.

Ecclc. 10.

Vgo Card.

Inter omnia præsulum mala illud maximum, improbos eleuare, & probos deprimere.

Luc.c. 24.

Euidẽs malę electionis indiciũ flocci bonos, magni verò malos facere.

Digitized by Google

Xenophon. *familias ſunt,& eorum officium eſt commune. Subditos ſibi obedientes facere ſciāt: bonos præmijs afficere,malos autem pœnis*;de dictis, & factis Socratis, facilè deduco, quòd non poteſt, non malus eſſe, maleque promotus, qui indignos eleuat; dignos verò deprimit, & humiliat. Hinc plùs impius Abſalom patris ſanguinem ſitiuit, & plùs genitoris cruorem appetijt, quā Saul; nam vbi iſte proprias innocentis ſanguine manus polluere timuiſſe videbatur, dū illas Philiſtinorū ad ſanctiſsimi Dauidis necē aduocabat:

Bonus imperator nullus, niſi qui bonus patrifamilias.

1.Reg.cap. 18. *Non ſit manus mea in eū,ſed ſit ſuper eū manus Philiſthinorum.* 1.Reg.c. 18.ille pietatis iura,quæ beſtiæ, mutæque pecudes ſeruant,contemnens,nouum facinus, quod natura non nouit, & quod irrationabilia horrēt,antè optauit complere,quàm gereret.Qua de cauſa Chryſoſtomus ſerm. de Abſalom perſequente patrem: *Plùs Abſalom, quàm Saul Dauid perſequitur: hic non ſit manus noſtra contra eum, ſed Philiſthinorum, ille ſtatim patrem occidere voluit.* Nec mirum,quia ſi non vt malè electus, ſed vt malus ſolummodò in bonum, vt ſibi contrarium, inuehebatur Saul; vtroq; capite crudeſcebat Abſalom,nā &,vt improbus in probū deſæuiebat, & vt regni arreptor collaterales ſibi ſimiles extollendo,innocentem perimere,patrē occidere, & prophetam iugulare ſatagebat. Ex hac etiam venenoſa radice, quia nempè non ſucceſſionis iure, nec electorum ſuffragijs, ſed vi regnū poſſidebat Herodes, omnia eius ſacrilegia, omneſque iuſtorum oppreſſiones, ſceleſtorumque exaltationes pullulaſſe aſſerit Chryſologus ſerm. 156.dū ex tyrannide,veluti ex cauſali, mòx dicta facinora ſequuta fuiſſe declarat, cùm ait: *Herodes refuga gentis alienæ, gentis Iudaicæ inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, prophanauit ſancta, quidquid erat cultus, quidquid ordinis aboleuit.* Nec mirū quia,ſi vt dixi, sēper ſimile non diſſimile, ſed ſibi ſimile appetit, non bonos eis diſcordes, ſed malos ſibi concordes extollere ſolent iniqui.

Chryſoſt.

Plùs Abſalom patris ſitiuit cruorem, quàm Saul,et quare?

Chryſolog.

Cur tyranni ſemper pietatis, religionisque exeſſores.

3 Ingentibus refertum myſterijs illud Caiphæ dictum reperio: *Vos neſcitis quidquam,nec cogitatis,quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioan. 11. quia etſi neſcius, illo tamen dictante,qui non infantium tātum, ſed aſinæ etiam linguam quādoque fecit diſertam,illud ſanè prophetādo eructauit, quod nec inflans mundi ſapientia, nec diabolica vnquam capere nequitia poterat, quòd vnius ſcilicet Mediatoris mors omnium vita futura eſſet,& quies; verùm quod me pro præſenti argumento maximè vexat,illud eſt: ſi conſiliarij adeò cōſilij erāt ignari,vt omninò nil ſcirent,nec cogitarent:*Vos neſcitis quicquā,nec cogitatis*, cur eos acciuit? Cur aduocauit? Cur conſuluit? Quis cæcus cæco manum dedit, vt incolumis per lubrica tranſiret? Quis vnquam in maioris ponderis difficultatibus ſtultorum eſt vſus cōſilio, quòd vnus ipſe illiteratis, ignaris, & funditùs omnis ſcientiæ, prudentiæque expertibus in tanto, talique negotio vtitur? Et poſteà,ſi Chriſti ſanctitas vndique percrebuerat,ſi eius gloriā cæli enarrabant, & firmamentum opera manuum eius annunciabat, & vnico vt dicam verbo, ſi cum cæteris ad cōcilium accerſitis ipſemet Chriſti miracula,prodigia, atque portenta ſilere haudquaquam potuerat, cùm vnico dixerint ore: *Quid facimus,quia hic homo multa ſigna facit?* ibid. cur contra iuſtum iniuſtè ſententiam profert, & Vitam morte multandam cenſuit? *Expedit vt vnus moriatur,&c.* An fortè vix non ad euidentiſſimum ſuæ infandæ electionis indicium ad conſiliarij dignitatem,ſicuti ad cæteros honoris gradus illiteratos, & prorsùs immeritos euehendo,ſanctū, iuſtum,pium, mundoque mirabilem morti addicere poterat,qui pretio ſacerdotium, poteſtatemq; redemerat? Prorsùs ità: nam ſatis iniquis nō eſt, prælationibus impares extollere,niſi probos etiam opprimāt, & iuſtos ad terram vſque proijciant: *Refert autem Ioſephus*, ait Alcuinus in catena relatus, *iſtum Caipham vnius anni ſacerdotium redemiſſe.Non ergo mirum,ſi iniquus pontifex iniquè iudicauerit: Sæpè enim,qui per auaritiam ad ſacerdotium acce-*

Ioan.c.11.

Ibidem.

Alcuinus.

Per iniuſtitiam in prælatione ſeruatur, qui per auaritiā ad eam acceſſerat.

acerdis, per iniuſtitiam in eo feruatur.

4 Expendo adhoc locum illum: *Matt.c.27.* *Perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, Ieſum verò perderent.* Matt. 27. curioſeque percontor, ſi liberationis tantùm erat eis conceſſa facultas, dicente Pilato: *Ibidem.* *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus?* ibid. cur illam etiam perdēdi aſſumunt? Cur vltra ſontis dimiſſionem, inſontis neci inuigilant? Cōmunem fuiſſe ſententiam non ignoro, quòd cùm non illius vtilitati, ſed iſtius perditioni cæca Iudæorum ſtuderet inuidia, ſilere haudquaquam poterat, quod inhiantèr appetebat. At ſi accuratè huius Chriſti necis perſuaſores perſpicies, rem facillimè percipies: nam non abſque conſilio multo ſacerdotum principes, qui venale effecerant ſacerdotium, fuiſſe dicuntur: *Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, &c.* quia ſatis apertè malæ, indebitæque electionis argumenta narrātur, cùm abſq; proborū humiliatione minimè indignè electis improborum exaltationē ſufficere dicimus. Quod meū quidē non eſt, ſed Brugenſis, qui ſuper prefatum Matthæi locū hūc ait in modū: *Brugenſ.* *Non ſatis eſt ipſis, vt populus petat Barabbæ liberationem, niſi etiam petat innocentis Ieſu mortem.* Eu quomodò ab effectu ad cauſam arguendo, non temerè indebitè exiſtimatur electus, qui magni impios, flocci verò iuſtos facit; dum ſacerdotij, dignitatumq; emptoribus niſi & Chriſtum damnent, ſat Barabbam liberare non eſt.

Satis non eſt indignè electis improbos exaltare, niſi probos etiam fundituſ deſeant.

5 Quòd adeò idem Magiſtrum tradi, & morti addici exiſtimaret Iudas, vt vix illum ad Pilatum adduci cernens, iam damnatum aſſereret, *Matt.c.27.* dicente Matt. cap. 27. *Vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi, tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, &c.* prorsùs obſtupet Origenes tract. 35. in Matt. & ſanè eò maximè ſtupere quis debet, quia apud Pilatum, penes quem vitæ, & mortis ius erat, non dum accuſatus fuerat, & tamen nulla peracta diſcuſſione, immò nulla delata querela, eum iam morti traditum Iudam vidiſſe narratur: *Videns Iudas, qui eum tradidit, quòd dānatus eſſet.* Occurrit difficultati mòx dictus Origenes dicendo, quòd propterea vix præſidi tradito innocente, non faciēdum, ſed factum, abſolutum, atque completum ſacrilegium cenſuit; quia quò erga impios mites, eò erga pios immites indebitè regentes agnoſcebat, cuius rei gratia certum Saluatoris inferebat exitium. Audi ipſum: *Origenes.* *Quomodò Iudas vidit, quia condemnatus eſt? Neque enim adhuc cōdemnatus fuerat Ieſus, neque à Pilato interrogatus. Forſitan ergo dicit aliquis vim faciens, quoniam conſideratione mentis ſuæ vidit exitum rei, quia condemnatus eſt, ex eo quòd traditum aſpexit à principibus ſacerdotum, & ſenioribus plebis.* Manifeſtiùs meo iudicio dicere volēs: quis non iuſtum delendum aſſeruiſſet, ſi Iudici Romanorum vi in Ieroſolymis regnantium vices gerenti tradebatur? Nullus ſanè, nam vix deſperanda non eſt iuſtorum vitæ ſub principibus potentia, dolo, vel pretio regnantibus. Hinc non immeritò per Iſaiam extinctis multotiès, ad nihilumque redactis principibus, ſpinas, vrticas, ac paliurū naſci, & excreſcere deſcribitur. *Iſai.c.34.* *Nobiles eius non erunt ibi: regem potiùs inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius.* cap. 34. quia radicitùs ex indebitè præſidentium aulis euulſis probis, improbi in eis proteguntur, & regnant: *Gregorius.* *Quod factum benè per Prophetam Dominus ſub Babylonis ſpecie redarguit, dicens: Oriuntur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in montibus eius. Quid namque per vrticas, niſi cogitationum prurigines? quid verò per ſpinas, niſi vitiorum punctiones accipimus? In domibus ergo Babylonis vrticæ, & ſpinæ pullulant; quia in confuſione mentis reprobæ, et deſideria cogitationum ſurgunt, quæ exaſperāt, et operum peccata, quæ pungunt. Sed hæc agentes habent nequiores alios defenſores ſuos. Vndè illic aptè ſubiungitur: Et paliurus in montibus eius. Paliurus quippè tanta ſpinarum circumdatione denſeſcit, vt præ aſperitate tangi vix poſſit. Intus igitur vrtica, & ſpina naſcitur, ſed vtrūq;* Pro dānato habendus eſt, qui iniquè iudici præſentatur.

Nunquam iniquis iniquiores deſunt defendentes.

Digitized by Google

hoc exteriùs per paliurum munitur: quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt, ſed ea nequiſſimi maiores tuętur. Gregorius lib.33.moral.cap.4.

6 Affectauerat quidem, obtinuerat autem nequaquam Sichimitarum regimen Abimelech, quandò vno, eodemque tempore, & mortis genere fratres cunctos Ierobaal filios peremit: *Venit in domũ patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta viros ſuper lapidem vnum*: Iudic.9. Quod etſi ad imperij firmitatem ipſum effeciſſe dixerim in fer. 6. Dominicæ paſſ. §.4 num.2. cùm ſanguine, & cædibus ſuum ambitionem conſtabilire imperium fusè probauerim; quia tamen fratricidiorum tempore regnum minimè erat aſſequutus, non illud firmare, ſed aliud certè per infandum hoc ſcelus inſinuabat, illud nempe, quòd non firmato, ſed vix ab imperij prędonibus acquiſito regimine, ſuæ indigniſſimæ electionis ſigna oſtendunt, dum bonos deijciunt, & perimunt, malos autem extollunt, & eleuant. Lyrani fuit cogitatum, qui optimè rem deſcripſit, dicendo: *Patet quòd eius promotio non fuit propter perſonæ bonitatem, ſed carnalitatem, etc.* Statimque vndè hoc pateat, ſubdit: *Et occidit omnes fratres ſuos, per quod ſignatur, quòd illi, qui malè ſunt promoti, deprimere, & annihilare bonos conantur.* Si in omni quiete relictis improbis, innoxios perimebat, iuſtos occidebat, & germanos trucidabat inſontes, quæ alia ſuæ iniquæ electionis deſideratur probatio? Nulla ſanè, nam ſatis indebitè euectus conuincitur ille, de quo ſimilia conſtant infanda.

Iudic.c.9.

Lyranus.

Clarè indignè euectus cõuincitur, qui virtute præditos deijciendo, immeritos eleuat, & extollit.

7 Inſuper quid impij Alcimi in pios indicabant doli? Quid ſęuitiæ in illos declarabant, atq; tyrannides? Et vnico vt dicã verbo, quid iuſtorũ ab eo patrata prędicabant excidia, dicẽte ſcriptura: *Locutus eſt cum eis verba pacifica: & iurauit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis veſtris. Et crediderunt ei: & comprehendit ex eis ſexaginta viros, & occidit eos in vna die, ſecũdùm verbum quod ſcriptum eſt: Carnes ſanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* 1. Machab.cap.7. niſi, ꝙ qui ad impiiſſimi viri iſtius inſtar ſimilia perpetrat, euidentiſſima, vt hic, ſuæ doloſæ, improbæq; euectionis indicia præbet? Adamuſſim nuperrimè dictus Lyranus ſuper præfatum Iudicum locum: *Per iſtum, qui ambiebat ſacerdotium, & per mendacia, et regiam poteſtatem obtinuit ipſum, ſignificatur quilibet ambitioſus Eccleſiaſticæ dignitatis per mendacia, et brachio ſeculari intruſus. Et ſicut dicitur infra, iſte Alcimus plura mala fecit Iſrael, quoniam occidit valentes viros, et promouit iniquos: ſic ſimiliter intruſus per modum prædictum bonos occidit, eos perſequendo, et à ſtatu honoris deijciendo, et ſic fecit in Eccleſia plagam magnam.* Si igitur quis vi, vel dolo ad dignitatem euectus, vt alter Alcimus, & valentes perimit, & ſceleſtos eleuat, atque exaltat, haud dubiè inferri poterit, quòd eius electio ab illa Alcimi non diſcordat, dum moribus cum illo concordat.

1. *Machab. cap.7.*

Idem.

Nunquam bonorũ cædibus ſaturantur mali, maleque ad regimen vocati.

8 Ex inurbanitate illa, quã erga ſanctiſſimũ, curialiſſimumq; Dauidẽ Nabal oſtẽdit Carmelus, quãdò ſcilicet illius nomine ſupplicitèr expetitus, vt ſibi, pauciſq; ſuis, qui nũquã ei moleſti fuere, quinimò proficui, quid alimẽti dignaretur concedere, ſuperbè, indignanterque reſpondit: *Quis eſt DD? et quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, et dabo viris, quos neſcio vndè ſint?* 1.Reg.25. mali ſuperioris extrahit conditionem Hugo de Foill. à Tilmanno relatus, dum & probis prælationis cibum denegare, & improbis, otioſis, ac effeminatis illum concedere ſemper mali ſuperioris proprium fuiſſe cenſet, cùm dicit: *Tollam ergo, etc. Nabal, cuius verba hæc ſunt, quoſdam doctores deſignat, qui pauperi Dauid cibum negant, tonſoribus verò ſuis cibum parant, quia vacantes otio, & adulantiũ cõfabulationes amant.* Verùm aptiùs pro re hac carpo ego myſterium, quòd ſcilicet ea propter Dauidem culpando, quòd dominum fugeret, Saulis partes aſſumat Nabal, quia iniqui ſe ſe, non iuſtos ab ini-

1.*Reg. cap.* 25.

Hugo de Foill.

Honores merentib us negare, non autem merentibus cõcedere iniqui regentis proprium,

Digitized by Google

quis exaltari agnoſcentes, præ viribus ſemper illorum firmare vellent imperium, nè ſi quem iuſtum ſuccedere contingat, à dignitate decidant, & honore. Eumdem adduco Hugonem de Foill. dictis immediatè addẽtem:

Idem. *Timent peruerſi, cùm vident Dauid, ideſt bonos ſubditos vngi in regem, et Saul deijci, ideſt peruerſos prælatos honore prælationis priuari. Sed quarè timent? Nè et ipſi priuẽtur honoribus, nè loco eorũ conſtituatur aliquis melior.*

Mali ſubditi malos defẽdunt ſuperiores, & quare?

Proh magnũ reipublicæ malũ! Prorsùs infãda regnorum clades! nam ſi mali malos eleuant, & hi illos in reginine fouent, quæ non poterit vereri iactura?

9 Mirabatur Richardus de S. Victore, q adeò ſuæ tempeſtatis prælati iuſtitiæ, æquitatiſque eſſent immemores, vt nulla omninò bonitatis habita ratione, præ viribus virtute pollentes deijcere, vitijſq; imbutos exaltare ſtuderẽt: vndè, q cõtra ordinẽ illius arboris ſtatura proceræ, ramorũ extenſione mirabilis, & fructuũ copia exuberantis à Nabuchodonoſor viſæ beſtias in ſublimi eleuent, & aues in imis coerceãt, prorsùs obſtupet, dum ait: *Per animalia et beſtias, homines intellige animales, mente carnales, & penitus ſeculares. Per volucres accipe ſpirituales ſtudiorum bonorum, & ſanctorum deſideriorum alis ad cæleſtia volantes. Rectè in ramis, & quaſi ſublimioribus conuerſabantur volucres cæli, quòd ſpirituales viri, & cæleſtibus deſideriis ſuccenſi meritò debeant, & in auctoritatem erigi, & digno honore ſublimari. Subter eam, inquit, habitabant, &c. Ergo in imis beſtias coercebat, ſpirituales verò ſublenabat in alta. Diſcant prælati noſtri, diſcant hic quid facere debeant. Diſcant, inquam, indiſciplinatos premere mores, honorare, & attollere bonos. Quid quæſo hoc genus monſtri eſt, quòd noſtri temporis arbores vrſos, & leones portant in ramis, volucres verò cæli, & qualibet animalia pennata cõtra cõditionis iura premunt in imis? Quid quæſo eſt, quod facitis, qui eiuſmodi bruta, & beſtialia corda in ſublime attollitis, & velut in acne ſuſpenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? Nam dum eos ad alta ſuſpenditis, eis ruinam vtique præparatis.*

Richard. de S. Vict.

Peſſimũ mõſtri genus cõtra æquitatis iura dignos in imis coercere, & indignos ad ſuperna eleuare.

Apud Tilmannum ſic ſuum declarante ſtuporem Richardo, nil penitùs mihi admiratione dignum apparet, ſi noſtri æui arbores beſtiales homines, per carnis appetitum pronum vultum habentes, attollunt, in imis verò, quos penna ſubleuat ſanctitatis, locum tenere efficiant; quia ſi iuxtà nuperrimè dictum, veluti ſpinæ ſe inuicem complectuntur ſceleſti, dum erigit quidẽ alter alterũ, ſed erectus ad Nabal inſtar erigentem fouet, atque defẽdit (vndè ſuper illud Iob 40. *Protegunt vmbræ vmbram eius*, ait Gloſſa, *Vmbra diaboli eſt vnuſquiſque peccator, ſed vmbræ vmbram protegunt, dum peccatores, in quo ſibi malè conſcij ſunt, in eo alium peccatorem defendunt*) iniquorum conſpiratione, non iuſtorum meritis ſuas hæ arbores radices agere, vel vt clariùs dicam, ſuam iniqui prælules conſtabilire tyrannidem ſatagunt; & neſciunt inſani, quòd iniuſtitia non firmandi, ſed infirmandi; nõ ſtabiliendi, ſed perdendi regimen cauſa eſt, & origo: quia ſi æquitas iuxtà Theophraſti ſententiam, reipublicæ eſt cenſenda firmitas (nam teſte Laertio lib. 6. qua nam re hominum poſſet conſeruari ſocietas percontatus, hunc in modũ ipſum reſpondiſſe refert mòx dictus Laertius: *Si pœna mali coerceantur à Republica, & boni honorum præmijs incitentur*) ergo iniuſtitia, quæ ſocietatem adimit, eiuſdẽ infirmitas erit, atque ruina? Nil ſanè aliter ſenſit Antiſthenes, qui huius conſequentiæ optimè conſcius, ſciſcitatus quandoque quid ciuitati afferre poſſet exitium, ſic ipſum reſpondiſſe ſubdit iam dictus Laertius lib. 6. *Quandò in hac nullum erit bonorum, & malorum diſcrimen*, additque ipſe Laertius: *Sentiens eam rempublicam non poſſe conſiſtere, vbi nec eſſet honos virtuti, nec pœna ſceleroſis.* Et quidem quis non ſeculi finem, & iudicij aduentaſſe putaret, ſi è cælo ſtellas cadere, & illud verſus ignitas tẽdere impreſſiones videret? Nullus ſanè, ſic cùm è ſublimi cadentibus iuſtorum ſtellis, malos ſurſum vehi conſpicis, in extremis imperium laborare exiſtimas. Hanc paritatem proſequutus Aſcanius in ſua Gloſſa magna ſuper illud Geneſ. 1. *Poſuit eas*

Laertius.

Pugnãt pro iniquo præſule iniqui.

Æquitas reipublicæ firmitas, iniuſtitia illius exitium.

Idem.

Gen. c. 1.

in

Digitized by Google

Aſcanius.

in firmamento cæli, vt lucerēt ſuper terrā, hæc habet, *Antiſtitibus, Regibus, & Imperatoribus maximum ſtatuit hoc loco documentum, vt ediſcant excelsos, ſublimioreſque viros, in excelſis, ſublimioribuſque dignitatibus collocare. Prognoſticum funeſtum, & exitiale eſt, quandò ignitæ impreſſiones, faceſque æthereæ volantes ad inſtar ſtellæ ad ſuperna efferuntur, vt ſunt cometæ; at certè indicium quoque eſt cladis humanæ maximè portentoſum, cùm in Eccleſia ſola carnis, vel mundi habita ratione, non digni, neque idonei ad purpuram, mitras, cæteraſq; eminentiores dignitates efferuntur.* Quid ſi his fieri incipientibus, capita ſua leuarent prælati, & prælationis exitium propè, & in ianuis eſſe intelligerent? Non ampliùs ſanè ad ſui regiminis firmitatem malos attollerent, ſed illum imitari ſtuderent, qui non priùs homini animātium præbuit dominatum, quàm virtute, & ſanctitate præditum illum videret: quare non otioſè iuxtà Philonis ſententiam, inter ipſius dominatus traditionem, & Dei ſimilitudinē coniunctio, *Et*, intercedit: *Faciamus Hominem ad imaginē et ſimilitudinē noſtrā, & præſit, &c.* Gen. 1. quia ni Dei præceſſiſſet imago, neutiquā ad tale fuiſſet euectus imperium: *Eximiam autem oportet fuiſſe in primo homine imperandi vim, quem accuratè formatum Deus ſecundo poſt honore dignatus ſubpræfectum ſibi, aliorumque rerum rectorem conſtituit.* Dictus Philo lib. de opif. mūd. Quod qui ſectari ſtuduerit, clauum certè ſuæ prælationi cōfiget.

Runinæ proximū eſt imperiū, in quo æquitas non ſeruatur.

Gen. c. 1.

Philo.

Nullus niſi virtute præditus ad dignitatem aſſumendus.

Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. O ſtulti, & tardi corde, &c. Luc. 24.

§. III.

Salutis æternæ negotium non alienum, ſed proprium requirit opus.

1 VTillima equidem fateor iuſtorum virorum officia, non ſibi tantùm, verùm alijs etiā, dicente Chryſoſt. hom. 24. in Geneſ. *Conſuetudo enim miſericordis Dei eſt, honorem hunc dare ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur & alij; quod & B. Paulo conceſſum eſt; cùm enim ille Romam nauigaret, orta in mari tempeſtate magna, aſtitit illi Angelus dicens: Nè timeas Paule, dedit tibi Deus omnes, qui tecum nauigant. Vidiſti quomodò virtus viri ſalutem illis cōciliauit.* At vaniſſima eſt illorum ſpes, & temeraria fiducia qui ſic aliorum meritis nituntur, vt nihil efficere à ſe ipſis conentur; cùm carnes ſanctæ non auferant malitias eorum, qui in eis gloriantur: vnde nō parua inſania principes illos laborare exiſtimo, qui aliorum orationibus, vigilijs, lacrymis, ac ieiunijs nimium fidentes, nil prorsùs efficiunt; nam eorum orationes, eorum fletus, eorū Deus requirit ieiuniū; aliàs certè infirma apud ipſum erunt mœnia, quæ ſuper alienam ſtruuntur virtutem, nec vnquam æternæ ſalutis brauium aliorum meritorum apprehensū eſt brachijs, ſed proprijs: nam & Moyſen cum Aaron rogauit Pharao, vt pro ſe orarent: *Vocauit Pharao Moyſen & Aaron, & ait eis: Orate pro me Dominū.* Exod. 8. Et Samuelem, vt peccatum ſuum portaret, obſecrauit Saul: *Peccaui. Sed nunc porta, quæſo peccatum meum.* Reg. 1. cap. 15. & neuter tamen miſericordiam eſt aſſequutus, nec gratiam; nam marinis ille obuolutus vorticibus in profundum deſcendit quaſi lapis; & plebeia iſte percuſſus manu, miſerrimè vitam concluſit; nec ob aliud ſanè ait Chryſoſtomus hom. 1. ad Theſſalon. niſi quia alienis, nō proprijs manibus, ſi fas eſt dicere, propriæ ſalutis committebāt negotiū: *Si deſides fuerimus*, ait modò dictus Chryſoſtomus, *nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Ieremias Iudæis? An non ter ad Deum acceſſit? & ter audiuit: Ne preceris, nec roges pro populo iſto, quoniam nō te exaudiam. Quid Sauli profuit Samuel? Non eum luxit, atque ad extremum vſque diem pro eo orauit? Quid profuit Iſraelitis? Nonnè dicebat, Abſit vt peccē intermittēs orare pro vobis? non omnes perierunt? Nihil proſūt, inquit, preces. Imò verò valdè proſūt, ſed quandò nos quoque aliquid agimus.*

Chryſoſt.

Non ſibi tātū, ſed alijs etiā iuſtorū officia vtilia.

Proprijs nō alienis manibus ſalutis apprehēditur brauium.

Exod. c. 8.

1. Reg. cap. 15.

Chryſoſt.

Proſunt iuſtorum preces, ſed omninò otioſis aut parum, aut nihil.

Nam

Digitized by Google

Nam simul agunt preces,& opem ferũt, Simul autem agit quispiam,& opem fert, ei qui ipse operatur : Sin autem maneas piger,& otiosus,ex eis non magnam accipies vtilitatem. Percipient hanc veritatem infelices peccatores,qui aliorũ precibus se commendando, satis pro sua salute effecisse se putant , quandò oculos, quos culpa clauserat,pœna aperiet: Tunc fiduciæ parietem non bonorum operum temperamento constructum, sed aliorum tantùm deuotione linitum corruisse animaduertentes, cum illis dicent, in quorum persona Isaias: *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* cap.28. quia mendax prorsùs est spes, quam propria non roborant opera,& merita comitãtur; quarè si sapiens Salomonis vocatur sententia,qui & à malo declinat,& bonũ operari non desinit , omninò ab eo existimatur insipiens , qui alijs confidens, benè ipse operari cõtemnit : *Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* Prouerb.14. Quod in præsenti insinuare volẽs Saluator, illos in horũ discipulorũ figura stultos appellat:*O stulti,et tardi corde,&c.* Luc.24.qui alijs propriam cõmittunt salutem : *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.* ibid. quia proprijs, non alienis viribus vim cælo inferre debemus,dicente Gregorio in moralibus: *De spe in cassum præsumit , qui temerè Deum in suis operibus contemnit.* Quam thesim, quòd scilicet nullius alterius manibus , nisi proprijs salutis apprehendi debeat brauium , satis sequentia declarabunt.

Isaias cap. 28.

Prouerb. c. 14.

Luc.c.24.

Gregorius.

Insipiẽs,qui totum alijs propriæ salutis committit negotium.

2 Nunquam satis fortem illam mulierem, de qua Prouerbiorum 31. *Mulierem fortem quis inueniet? &c.* cõmendatam reperio;nam post perlongum laudum panegyrim à Salomone decantatum, adhuc insurrexerunt filij eius , & præconijs eam extulere non paucis. Neque hic eius constiterunt laudes,quia etsi longè essent,lateque diffusæ , opera nihilominus ad eius extollenda præconia aduocantur : *Laudent eam in portis opera eius.* ibid. Nec sanè mirum,quòd tot aucta præconijs nunquam tamen satis laudata dicatur,quia iuxtà Bernardi sententiam , illa per fœminam hanc figurabatur mulier , quę calcibus fortitèr antiqui , veternosique serpentis caput triuit , atque confregit: *Quam verò aliam Salomon requirebat, cùm dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippè vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem : quia tamen & Deum legerat promisisse, & ità videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam,vinceretur per ipsam,vehementer admirans aiebat:Mulierem fortem quis inueniet? Quod est dicere : Si ita de manu fœminæ pendet, & nostri omnium salus, & innocentia restitutio, & de hoste victoria:fortis omninò necesse est, vt prouideatur,quæ ad tantum opus possit esse idonea. At nè hoc quæsisse putetur desperando,subdit prophetando : Procul , et de vltimis finibus pretiũ eius.* Homil. 2. super missus est. At si vltra hanc sapientissimam , fortissimamque mulierem alteri etiam esset hæc accommodanda laudatio,illi absque dubio accommodari deberet (immò vix sufficiens esset) quæ vltra fortitudinem in laborando , prudentiam in gubernando , & dexteritatem in agendo , non lanarios ad se vestiendum aduocat; sed colo, fusoquè assumpto,lanam manibus proprijs operatur,& linum: *Quæsiuit lanam et linum , et operata est consilio manuum suarum.* ibid.quia illa tantummodò prudens est censenda, & sapiens, quæ non alijs suæ salutis committit negotium, sed manuum suarum consilio inhęrendo, per seipsam , quod ad illam conducit , curat ,& perficit : quocirca non alienæ virtutes , nec aliorum merita, neque alterius opera , sed propria ad ipsam laudandam acciuntur: *Date ei de fructu manuum suarum , et laudent eam in portis opera eius .* Vbi Cornelius à Lapide : *Sensus ergo est, quasi dicat : Cùm virago hæc manibus strenuè tot opes sibi,et familiæ pepererit, digna est,vt ijs perfruatur. Date ei ergo bibere vinum delicatum , quod protulit vinea,quam ipsa plantauit. Date illi vestem byssinam,et purpuream. Vestite illam sindone, quam ipsa manibus suis nexuit , et texuit . Mensam opiperam illi stru-*

Prou.c.31.

Ibidem.

Bernardus.

Admodum Mariæ expectatus aduentus , & quare?

Ibidem.

Cornelius à Lapide.

Nostrarum manuũ fructus comedere debemus, non aliarum.

Digitized by Google

fruitio ex annona omnigena, et pretioſa, quam ipſa ſuo labore comparauit. Gaudeat ſuppellectile aurea, et argentea, qua ipſa domum ſuã induſtria adornauit. Scriptum eſt enim: labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, etc. Hæc ipſe, quibus ſatis liquidò tactum probat argumẽtũ, q̃ nulli ſit propriæ ſalutis committendum negotium, dum de manuum ſuarum fructu paſcenda, atque pro operibus proprijs mulier hæc laudanda deſcribitur.

3 Ad impijſſimi illius diuitis petitionem, qui ad ſuarum pœnarum cumulum illum ſurſum vidit, quem deorsũ proſpicere dedignabatur, ſermonem inflectens: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. quòd mendici expoſcat recreari laboribus, non miror, quia pauperum laboribus, ac ſudoribus illi nefaria eſt mundanorum nobilium conſuetudo, quæ adeò quidem apud eos inoleuit, vt nec poſt mortem ei renũciare agnoſcant. Nec quòd auarus aquæ guttam poſcat, non copiam, admirationẽ mihi ingerit aliquam, quia cùm iniquorum ſit alios ſuo pede metiri, vix à Lazaro guttam dandam exiſtimabat, qui micas negauerat; quòd poſteà non vini, ſed aquæ efflagitaret guttam, mirabile prorsùs mihi apparet; quia ſi inter quotidianas epulas vino iugitèr maduerat, cur nunc ad aquas confugit? *Quid eſt dives?* ait Chryſologus, *vbi ſunt torcularia? Quid eſt, quod dicis, vt intingat extremum digiti ſui in aquam?* ſer. 122. Noſco non deeſſe dicentes, quòd non totalitèr ab re aquę expoſtulet guttulã, quia ſi hæc ex fonte illo, qui apud Deũ eſt, de quo DD. *Apud te eſt fons vitæ.* Pſal. 35. in infernũ defluereț, omnẽ damnatorũ amaritudinẽ dulcoraret. Quod præ oculis Epulonem habuiſſe, cùm illam efflagitauit, Chryſologi fuit ſentẽtia, qui ſerm. 124. hæc habet: *Sitit itaque guttam, qui vini lacus, cùm pauper ſitiret, effudit: & ſtillam digiti extremi credit gehennæ flammas extinguere, qui menſuris per totum diem ebrietatis non extinxit incendia.* Sed ſi vino etiam, immò ipſi maximè cæleſtis comparatur beatitudo, iuxta illud: *Sapientia ædificauit ſibi domum, &c. Miſcuit vinum, &c.* Prouerb. 9. & ſi in cæleſti diſcubitu ſic vino hoc replebuntur electi, quòd veluti ebrij in perpetuas exultabunt æternitates; ad ſceleſtos per Iſaiam eodem dicente Deo: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſerui mei laudabũt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et vlulabitis.* cap. 65. cur ad ſuarum pœnarum leuamen aquæ potiùs guttam expoſtulauit, quàm vini? Implexa equidem quæſtio, at facilè ex præfatis diſſoluitur; nam ſi mulieri forti vinum quidem dandum præcipitur, ſed à vinea illa collectum, quam manus eius plantauerant, non alterius; vndè non otiosè de fructu manuum ſuarum pocula ei propinanda iniungũtur: *Date ei de fructu manuum ſuarum.* Prouerb. 31. quia his vineam paulò antè plantauerat: *De fructu manuum ſuarum plantauit vineam.* ibid. quod vinum dari poterat illi, qui vineã non plãtauerat? Quę ei propinari poterant pocula, qui Lazaro micas negando, vel palmitem ſerere renuerat? Nulla equidem, quod ipſemet noſcens, optimeque vinitores tantùm vino potari aduertens, ad aquã confugiendum putauit, vt ex communi ſaltem cum animãtibus potione ſtillam reciperet: *Dicis dives,* ait Chryſologus, *ego etſi vinum negaui, aquam peto, quam communem cunctis animantibus auctor ipſe omnium præſtitit, et natura.* ſer. 122. Verùm nec hanc recipere meruit, qui eam Lazaro negauerat: *Puto dives, quòd et aquam pauperi tu negaſti: cui nè ingrederetur ianuam tuam, nè ad tuum puteum peruenirẽt, canes quamplurimos obiecisti.* Modò dictus Chryſologus ſermone præfato. Quam infelicem diuitis huius cõditionem nos effugere docens Auguſtinus ſerm. 45. de diuerſis, ſic nobis ad mulieris illius (de qua paulò ſuperiùs) inſtar vineam plantare ſuaſit: *Modò tamen vt ad illius agri ſpeciem peruenias, compara tibi, vndè compares agrum ibi. Quid? Collige pretium. Hoc enim agit hæc mulier. Vide ſi tacitũ eſt, cui dictum eſt: Proſpiciens agrum mer-*

Luc. 16.

Chryſolog.

Pſal. 35.

Idem. Vna cęleſtis beatitudinis guttula omnes extingueret gehennæ flãmas, ſi in infernum defluęret.

Prouer. 8. 9.

Iſai. c. 65.

Prouer. c. 31.

Idem.

Vinum diues perere non eſt auſus, qui vinęam non plantauerat.

Auguſtin.

Digitized by Google

mercata est? De fructibus autem manuũ suarum plantauit possessionem. Ipsa erant opera, quæ dabat ancillis, vt de fructibus manuum suarum plantaret possessionem in æternum. Ac si diceret: si à cœlestis beatitudinis vino ieiunant, qui vineã proprio labore non plantant, tu vigila, in omnibus labora, opus fac tale, quod fructum tibi salutis producat.

4 In illo conuiuij apparatu, in quo vna laborante sorore, feriabatur altera, duo maximè libranda reperio, vnum est, quòd etsi Martha copiosa esset seruorum cincta familia, vbi tamen Dominum hospitio recepit, nil non per se ipsam perfecit, vndè non laborasse solummodò, sed sategisse etiam, hoc est, satis egisse narratur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Luc. 10. quia, quod vix multorũ auxilio perficere potuisset, sola compleuit: alterum verò, quod maiorem requirit indaginem est illud, *Vnum*, quod absolutè necessarium asseruit Christus, quandò Marthæ de Magdalenæ otio conquerenti respondit: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* ibid. Et quamuis primum haudquaquam trutinatione multa indigeat, quia si alijs non sunt credenda propriè salutis negotia, sed per se quisq; illa perficere debet, optimè, & non ad insipientiam sibi haùd ancillarum manibus conuiuij apparatum Martha commisit, sed per se cuncta perficere curauit; qua de causa S. Thomas in Catena: *Attende mulieris fidelitatem: non enim famulabus imponit ministerium, sed ipsamet suscipit,* quid tamen per illud vnum: *Porrò, vnum est necessarium,* intelligatur, assequi haùd facilè potest, vndè diuersimodè de eo loquuntur diuersi, nam aliqui ad fercula illud referri existimant, vt sit sensus: frustra erga plurima turbaris, cùm natura paucis contenta sit; ità Titus Bostrensis cum alijs non paucis. Alij non pro paucis illud vnum accipi putant, sed pro verè vno; vt referatur ad vitæ necessitatem, & idem sit ac: vnum enim solum necessarium est, nempè, vt vitæ necessitati fiat satis; sic Basilius in regul. fus. disp. interrog. 20. cui astipulantur Hieronymus epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis. Augustin. ser. 26. de verbis Domini. Greg. lib. 1. in lib. Reg. cap. 4. nonnullique alij breuitatis causa omissi. Alij denique (nè prolixus videar) ad finem vltimum, qui summum est, & vnicum bonum illud vnũ referendum putant, vt idem sit dicere, *Vnum est necessarium*, ac Deus solus est ens, quod necessariò est, ad quod nostra est dirigenda mens, & ab ipso non distrahenda; cætera verò entia sunt per participationem, & sic contingentia, vt sicuti esse cæperunt, sic desinere proculdubio possunt; quæ expositio etsi ad spiritum magis, quã ad literam spectet, Augustini præsertim, & Bedæ videtur interpretatio, quorum primus serm. 27. de varijs hunc fatur in modum: *Proponitur vnum multis, non enim à multis vnum, sed multa ab vno. Multa sunt, quæ facta sunt, vnus qui fecit cælum, et terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Ait si ad hunc sententiarum cætum meum liceret cogitatum adducere, dicerem certè, quòd operari vnum non plura necessarium censetur; quia si vnum, seu indiuiduum est indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio; à quolibet in salutis operè diuidi debet quilibet, cùm per se, non per alium illud tractare teneatur. Quare haùd otiosè non priùs de hoc vno facta est mentio, quàm de sorore conquereretur Martha, dicendo: *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare: dic ergo illi, vt me adiuuet,* quia cùm non sit alteri credendum salutis munus, sed per semet efficiẽdum, ab vno, non à pluribus perfici debet, cùm suum quilibet incipere, atque complere teneatur; quapropter vbi nostra vulgata habet: *Vnum est necessarium.* Græca magis explicat: *Vno opus est*, vt, meo iudicio, sit sensus: ab vno labore cuiuscunque pendere debet saluatio, cùm quilibet diuisim à quolibet eam sibi procurare debeat. Hinc sapientissimus Vates non in aliorum pietate, nec in piorum deuotione spem reponens, sed proprijs nixus operibus dicere consueuit: *In pace in idipsum dormiam, & requiescã.* Psal. 4. vel vt legit Chrysostomus: *In pace*

Luc. c. 10. *Ibidem.* *D. Thomas.* *Augustinus.* *Luc. ibid.* *Psal. 4.* *Chrysost.*

Non ancillarum manibus cõuiuij apparatum Martha cõmisit, sed tãtùm per se ipsam perfecit, & quare?

Verborum illorũ: *Porrò vnum est necessariũ.* Luc. 5. intellectus.

Quilibet indepẽdẽtèr à quolibet suam operari debet salutem.

Digitized by Google

pace per me ipſum, &c. hoc eſt, per memet, nō per aliū mea eſt quęrenda ſalus, & procuranda ſaluatio; nam fruſtra pacem, quietemque ſperat, qui non ex proprio, ſed ex alieno labore eam prouenturam expectat.

5 Mira equidē fuit Saluatoris dignatio, ſtupēdus ſanè humilitatis exceſſus, & ſeruili more maieſtatis Dominus, dominorūq; Conditor fædos diſcipulorum pedes lauaret: At quod peluim ipſe accipere, aquam in eam infundere, linteo ſe pręcingere, & cætera adhoc ſpectātia per ſe ſolummodò facere voluerit, dicente Ioanne: *Ioan. c. 13.* *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, prącinxit ſe. Deinde mittit aquā in peluim, et cœpit lauare pedes diſcipulorū, & extergere linteo, quo erat prącinctus.* c. 13. myſterio minimè vacat, & autē illud? Num per hæc ſedulitatem in benè operando nobis ſuadere intēdebat? Et quidem, dicente Chryſoſtomo hom. 69. in Ioannem: *Idem.* *Non ſimpliciter lauat, ſed ponit veſtimenta, linteo ſe prącingit, &c. Neque his contentus, ipſe peluim impleuit, ipſe nemine iuſſo omnia fecit: exemplo docens non remiſsè, ac frigidè bona opera, ſed quàm diligentiſſimè facienda;* verùm nō ob hoc ſolùm, ſed ob id maximè (ni decipior) vt ſuo inſinuaret exemplo, quòd vbi de ſalutis agitur cauſa, nullius eſt adhibenda manus, ſed omnia per ſe quilibet, & inchoare, & perficere tenetur: *Euthymius.* *Ipſe etiam aquam ferebat*, ait Euthymius, *& vniuerſa cum omni promptitudine propriis manibus faciebat, vt & nos miniſtrantes, cuncta cum omni promptitudine per nos ipſos faciamus in illum reſpicientes.* Sic cæleſtis Magiſter quonā modo circa ſalutis rem nos gerere debeamus, factis potiùs, quàm verbis edocuit.

Non remiſsè, ſed accuratè nimis virtutis opera perficiēda.

Per noſipſos cūcta ad ſalutem ſpectātia faciamus.

6 Præſcius huius cæleſtis doctrinæ fuit Abrahā, qui ab illo impulſus Spiritu, qui tarda ignorat molimina, vt prædam, quam venabatur, aduertit, vt ſcilicet viatores accedentes vidit: *Geneſ. c. 18.* *Cùmq; eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum.* Geneſ. 18. ætatis, infirmitatiſque immemor factus omninò, ad venationē (vt Chryſoſtomi vtar verbis) cucurrit, & cùm trecentos decem, & octo haberet vernaculos, nulli quicquam ad hoſpitalitatem neceſſarium committendum putauit; ſed iterùm, atque iterùm aſſurgit, feſtinat, anhelat; & nunc ad Saram in tabernaculo degentem, nunc ad armentum, nunc denuò ad hoſpites ſenio confectus currit, & properat. Neque hic ſiſtit, ſed ætate ſua factus ſuperior, butirum, lac, & vitulum apponit; & denique, ac ſi corporis victa imbecillitate repubuiſſet, per ſe quæcumque potuit, effecit; & non ob aliud equidem præfatus ait Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſim, niſi quia inuentus theſaurus haudquaquā ſeruulis erat credendus, ſed proprio labore in cælo illum collocandum cenſuit, atque ſeruandum. Preſtò eſt Chryſoſt. *Vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ habita ratione, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque ruſticitatis, neque deſidiæ præ ſe tulit, quaſi diceret: Magnus theſaurus eſt, magna negotiatio per memetipſum hanc mercedem inferre debeo, nè elabatur tantum lucrum.* En quomodò ac ſi eorum pręſcius, quæ exemplo docturus erat Saluator, omnia per ſe inchoat, omnia complet. *Chryſoſt.*

In propria abſconditur domo theſaurus, cùm peregrinus tecto ſuſcipitur.

7 Verùm ſi antè Saluatoris aduentum hac fuit præditus philoſophia Abraham, quàm eā Chriſti Domini calluiſſēt diſcipuli, inter cęteros docuit Paulus, qui nedū manibus laborabat proprijs, verùm alijs etiam id ipſum facere ſuadebat: *Epheſ. c. 4.* *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Ad Epheſ. 4. ac ſi diceret: nedum non ex malè partis (quod nefas quidem eſſet, & apud Deum abominabile multū) verùm nec ex ipſis ſucceſſionis iure acquiſitis, adeò grata Deo erit largitio (cùm hæc non tàm largientis, quā ipſā relinquentis manuum fructus eſſe videatur) vt illa, quæ ex proprio labore procedit: *Hieronym.* *Quāvis omnē cēſum tuum*, ait Hieronymus, *in pauperes diſtribuas; nihil apud Chriſtū erit pretioſius, niſi & manibus tuis ipſa confeceris.* Epiſt. 8. ad Demetriad. Nec cæleſtis huius philoſophię, nō tàm ſ. ex ſucceſſionis iure poſſeſſis, quàm

Nulla Deo carior in pauperes elargitio, quàm quæ ex proprijs rum manibus labore procedit.

Digitized by Google

ex manuum fructu vineã esse comparandã in cælis inscia fuit Tabitha, de qua Actor. 9. immò vt perdocta Christi discipula eius optimè conscia, haudquaquam sartores ad pauperum, viduarumque humeros vestiẽdos aduocabat, sed vt feraciorem fibi vineam plantaret in cælis, textricis, ac sarcinatricis ipsa fungebatur officio, sacra dicente pagina, quòd post eius occubitum, vt Petrum ad eã iuscitandam viduarum turba impelleret, vestes ab illa confectas ostendebat, vt vnius vitam multorum necessitas impetraret: *Circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* quocirca cecinit Arator.

Vitam Dorcadi reddidit eleemosyna.

Act. c. 9.

— Lugentia tecta petenti
Stant inopes, viduique greges, & brachia monstrant.
Exuuijs onerata suis, quas Dorcadis ipsa
Texuerant, dederãtq; manus. —

Arator.

Nec tandèm (vt cæteros, cæterasque fileã) huius cælestis doctrinæ, quòd .s. proprijs, non alienis manibus æternæ salutis sint peragenda negotia ignara diua Elisabeth Andreę regis Vngarię filia ordinis pœnitentiũ S.P.N. Frãcisci, nunc pauperis cuiusdã, quasi filij, curã gerẽs, capillos eius manu tondebat propria, nunc collectorum inopũ gregem corporali visitabat obsequio; nunc ad nudos egentium operiendos artus lanam propriis manibus operabatur, & linum. Qua de causa hæc inter alia in eius legenda habentur: *Sumptibus proprijs nobile hospitale construxit, ampla possessione dotatum, etc. In quo receptam multitudinem pauperum corporali visitabat obsequio, affluenter eis necessaria subministrans, pedes eorum, & capita incredibili humanitate lauando, & leprosorum vlcera, etiam aspectu horribilia, capitis sui velo mundando. Deindè propinquorum destituta suffragio, castris, & possessionibus spoliatur. Sed ipsa miserationis solita non oblita, lanam manibus operabatur, & linum: de sui laboris impendio nudos pauperum humeros vestitura.*

Proprijs manibus vineã sibi plãtabat in cœlo diua Elisabeth, dũ ad pauperes vestiẽdos, lanam operabatur, & linum.

8 At quid in salutis re proprias esse adhibendas manus asserui, si nec pedes ipsi huius muneris sunt immunes? Hinc Ionathas, qui Domini dõnum interpretatur, Philisthæos aggressurus, manibus, & pedibus reptasse dicitur: *Ascendit autem Ionathas manibus, et pedibus reptans.* 1. Reg. 14. quia si reptare est manus etiam ad gradiendũ adhibere, dicente Gregorio: *Quid est reptare manibus, nisi corpus omne curuare, nihil in se sublime relinquere, et superiora mẽbra ad inferiora officia peragenda inclinare?* pedibus cõcordare debent manus, & his illi, vt in montem, in quo beneplacitũ est Deo habitare, ascendere valeant. Quod nè gratis dictum existimes, locum quæso perpende illum: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite in tenebras exteriores.* Matt. 22. nam si subtilitèr illum trutinabis, ob id maximè dãnatorũ manus, pedesq; ligãdos reperies, quia tã hi, quã illæ à benè operando, & à salutis negotio defecerũt. Vndè Gregorius: *Ligatis manibus, et pedibus, etc. pedes qui visitare ægrotũ negligunt, manus quæ nihil indigẽtibus tribuũt, à bono opere iam ex uoluntate ligatę sũt. Qui ergo nũc sponte ligãtur in vitio, tunc in supplicio ligabũtur inuitè.* Quod adamussim Epuloni contigisse opinatur Chrysologus serm. 122. dum super verba illa: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, etc.* Luc. 16. hunc ait in modum: *Quid est autem, quòd dicis, mitte Lazarum vt intingat, et non deferat? Ergo iuxtà te est aqua: et si iuxtà te est aqua, quare de proximo non sumis? Quare? quia vinctæ sunt manus tuæ: meritò dines, quia solutis debilitate Lazari manibus subuenire renuisti.* Si propterea igitur non damnatorum manus solummodo, sed pedes etiam ligantur, quia ipsi nõ minùs, quàm illæ in salutis deliquerunt officio, non efficiendo, quæ efficere tenebãtur, ergo his, illisq; saluationis operari debemus negotia, aliàs enim non eandem pro desidia pœnã luerent pedes. Cuius veritatis quis scit, si conscius regius Vates non manus tantùm ad Dei mandata leuauit, iuxtà illud: *Leuaui manus meas ad mandata tua.* Psal. 118. verùm pedes etiam adeò alacres, & ad præceptorum viã currendam expeditos habebat, vt ad Deum ipsum dicere veracitèr posset:

1. Reg. cap. 14.

Gregorius.

Non manibus tantùm, sed pedibus etiam salutis sunt perficienda negotia.

Matt. c. 22.

Idem.

Cur in Inferno damnatorũ manus, pedesq; ligentur, expenditur.

Luc. c. 16.

Chrysol.

Psal. 118.

Manibus, pedibusque suam DD. operabatur salutem.

Viam

Digitized by Google

Ibid. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ibidem. Quod si nostræ tempestatis præpotentes perpenderent, haudquaquam alienis officijs propriæ committerent salutis opus, sed illud ambabus manibus, & vtroque pede expedire niterentur: verùm quia hæc minimè percipiunt, vanissima ducti vanitate se, familiam, & rem aliorum committendo orationibus, satis egisse putãt, & non capiunt insani, quòd sinè comparatione damnabilior est Dei offensa, quàm commendabilis exhibita in seruos eius reuerẽtia. Hinc si insanum Hieronymus existimauit Baltassar, quia Dei sententia monitus non ad fletus, atque lamenta confugit, sed horum vice Danieli honorem impẽdendo, sat se fecisse putabat. Vndè super illud Danielis c. 5. *Tunc iubente rege indutus est Daniel, etc.* hũc ait in modum: *Nec mirum si Baltassar audiens tristia, soluerit præmium, quod pollicitus est. Dum enim Dei prophetam honorat, sperat se veniam consequuturũ, quam si non impetrauit, maius fuisse credendum est sacrilegium in Deum, quàm honorem in hominem.* Si insaniorem æstimarunt sacrę scripturę expositores Simonem, eò quia totam proprij sceleris pœnitentiam in Apostolos refundebat, dicendo: *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil ueniat super me horum, quæ dixistis.* Act. cap. 8. insanissimi absque dubio censendi sunt illi, qui non Apostolis, nec prophetis, sed viris plùs vulgi multoties opinione probis, quàm re, totum propriæ salutis committunt negotium.

Daniel. c. 5.

Hieronym.

Incassum de aliorum operibus præsumit, qui temerè Deũ in suis contemnit.

Act. c. 8.

O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ! Nonnè hęc oportuit pati Christũ, & ità intrare in gloriã suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Luc. 24.

§. IV.

Sic Deo de sua Omnipotentia nostra est ingrata dubitatio, quòd ad hanc prorsùs abigendam, de quibus hæsitamus, vt eam ostentet, irrogatus etiam quandoque mirabilia præstet.

1 INcrebruit apud DD. mòs ex omnibus Dei attributis misericordiã præsertim, & iustitiam decantãdi: *Misericordiã, & iudicium cantabo tibi Domine.* Psal. 100. Quarè nunc eas indiuiduas socias, amicasque contubernales: *Misericordia, & ueritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.* 84. Nunc præcipuas Dei dilectas: *Diligit misericordiam, & iudicium.* 32. Nunc nubium, cælique aulicas: *Domine in cælo misericordia tua: et ueritas tua usque ad nubes.* 35. Nunc venturi iudicis prænuncias: *Misericordia et ueritas præcedent faciam tuam.* 88. Nunc denique (cætera vt omittam) firmas bases appellat, & prædicat, dum totius diuini nominis gloriæ structuram super has fundatam asserit verbis illis: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua, & ueritate tua.* Psal. 113. Nec vacat mysterio, q inter omnia Dei attributa hæc præcipuè extollat, & prædicet; quia hæc

Psal. 100.

Misericordiam, & iudicium inter cætera attributa exaltat Dauid, & quare?

Psal. 113.

Digitized by Google

maximè Deum zelari opinabatur: & non ab re quidem, nam & ob misericordiæ zelum (qui iuxta Bonauenturæ sententiam est amor nolens habere cõsortium in amato lib. 1. dist. 1.) Saulem regno, vitaque priuatum aduertit, tunc scilicet, cùm stultè Agag Amalecitarũ regi parcẽdo, sibi pietatẽ arrogare præsumsit; nã morti addictũ dum liberat, temerè quid de suo diuinæ clementiæ se adijcere posse existimauit. Quapropter Theodoretus quæst. 34. super Reg. 1. *Sufficit autẽ vel sola transgressio præcepti Samuelis ad ei vltimum inferendum supplicium. Oportebat enim stultum intelligere, quòd vna gutta diuinæ benignitatis, et clementiæ vincit omnem hominum bonitatem. Sed infelix cùm Deus iussisset punire, misertus est, et cùm Deus morte damnasset, ipse (vt existimauit) vitam tribuit. Non fuit ergo parum eius peccatum, sed maximum.* Et propter similem etiam zelum sibi iustitiam Deum reseruasse agnoscebat, cùm per Moysis os eũ dixisse haberet: *Mea est vltio, et ego retribuam.* Deutor. 32. quod haùd dubiè ad excludendum in punitione consortium dictum existimat Tostatus, qui quæst. 5. super mòx dictũ scripturæ locum sic in Dei fatur persona: *Mea est vltio, ideſt, punitio, quæ debetur pro peccatis, ad me pertinet.* Ac si diceret: manus à iustitia subtrahat quilibet, cùm Dei solius sit suam ad illam extendere. Cuius rei haùdquaquam omninò ignari Ethnicorum sapientes, iuxtà Iouem iustitiam pingebãt, significãtes (ni decipior) q̃ sibi Iuppiter illam reseruabat. Nec immeritò quidẽ misericordiã præsertim sibi Deus, ac iustitiam seruat; dicente Hectore Pincto super Ezech. 28. *Duo sunt, quæ Deus sibi retinet, vltio, et gloria*, quia, vt putat Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 13. art. 3. cap. 3. incompleta, vt ità dicam, sua videretur gloria, nisi hæc duo sibi reseruaret; *Non esset completa laus, nec gloria Dei, quæ nihil aliud est, quàm sublimis, clara, et lata illius fama, si non esset ei perpetua laus, et gloria de iustitia, quemadmodum de bonitate, et misericordia.* Præfatus Bernardinus. Verùm mea sententia plùs omnipotentiam Deum zelare existimo, quàm clementiam, atque iustitiam, quia si zelus, iuxtà præallati Bonauenturæ sententiam, consortium in amato non patitur, cũ Deus iustitiam per Sapientis os diligẽdam iniungat: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* c. 1. Et misericordiã ipse præcipiat: *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Luc. cap. 6. potentiam autem nunquam æmulandam, nec affectandam suadeat, ergo hanc magis zelatur, quàm illas, dum consortium, quod in illis pro vniuscuiusque modulo admittit, negat in ista. Hac veluti balteo cingitur, dicente Dauide: *Accinctus potentia.* Psal. 64. Hanc sonet, vndè Ecclesiastici 32. potentiæ patronus vocatur: *Protector potentiæ.* Hanc nè alij sibi ascribant, in manu eã abscondit, & claudit, iuxtà illud: *In manu tua virtus, et potentia.* 1. Paralip. 29. De hac dubitantes minimè incorreptos relinquit; qua de causa non vna in præsenti, sed dupliciter discipulos de eius potentia ambigentes correctione carpit, & increpat: *O stulti, et tardi corde ad credendum.* Luc. 24. vbi S. Thomas in catena *Fere enim eadem dixerunt, quæ astantes cruci: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*, quia nunquam sinè indignatione de sua potentia dubitari quem patitur, nè impotens iudicetur; quã apud quemquã vt effugiat notã, neue vllum vmquã dubitationi locũ linquat, ad fortia omnipotentiæ manũ mittere consuecuit, de qua re audi.

2 Inter omnes illius Israelitici populi ingratitudines postrema non fuit, quòd post tot, tantorumq; beneficiorum receptionem adeò potentiæ inopem Omnipotentem iudicarent, vt eis cibum parare non posse asserrent, qui manum aperiendo omne animal benedictione implet; quam ingratitudinis summam regius describens Vates, hunc ait in modum: *Malè locuti sunt de Deo: dixerũt: Numquid poterit Deus parare mẽsam in deserto? Numquid & panem poterit dare, aut parare mẽsam populo suo?* Psal. 77. & tamen his nõ obstantibus obloquutionibus, atque blasphemijs, supplicium Deum distulisse reperio: *Idcò audiuit Dominus, & distulit.* ibid.

Theodoret.

Saul Agag Amalecitarũ regi parcẽdo, vita, & regno priuatur, quia Dei benignitati, cuius gutta vna omnium vincit hominum bonitatẽ, stultè se quid addere posse existimauit.

Deutor. cap. 32.

Tostatus.

Pinctus.

Bernardin. Senens.

Sapient. c. 1.

Luc. c. 6.

Super omnia sua attributa potentiam zelatur Altissimus.

Psal. 64.

Eccl. c. 32.

1. Paralip. cap. 29.

Luc. c. 24.

D. Thomas.

Summè Deo inuisum de eius potẽtia dubitare.

Psal. 77.

Ibidem.

Digitized by Google

ibid. quòd ſi quouſque illud protulerit, inquires, illicò, donec eſcis explerentur, idem reſpondebit Vates: *Pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes: & ſicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum circa tabernacula eorum. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis, &c. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* ibid. Nec talis dilationis rationem ſubticuit, dum ait, quòd nè eorum fruſtraretur cupiditas, tamdiù fuit protractum ſupplicium: *Deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo*: ibid. At quid eſt bone Deus, quòd tàm affatim exaudiuntur iniqui, quandò iuſtorum multotiès fraudantur petitiones? An plùs obloquentium, quàm obſequentium; plùs inimicorum, quã amicorum voluntati ſatisfacere cupis? Nequaquã ſanè, cur igitur adeò exactè blaſphemorũ deſideria cõples, vt niſi pro voto expletis pœnã minimè inferas, atq; ſupplicia? An fortè nè quid minùs, quàm par eſt, de tua omnipotentia ſentiretur, priùs optata cõcedis, quàm plectis? Nil ſanè aliter, ait Vgo Card. nam vix non infirmà duræ ceruicis populo diuina exiſtimata fuiſſet potentia, ſi quid murmurantium deſiderijs defuiſſet; quam falſam vt effugeret notam, peſſimãq; blaſphemiam, priùs pro voto ſaturitas immittenda erat, quàm ira: *Dicitur, quòd Deus differens vindictam priùs dedit eis, quæ petebant, nè non poſſe dare videretur.* Ait mòx dictus Vgo ſuper præfatum Pſalmi locum. Quod & ipſum Dauidem apertiſſimè tunc inſinuaſſe exiſtimo, cùm non ſimplicitèr Deum diſtuliſſe, ſed ideò ſupplicium protraxiſſe aſſeruit, quia obloquuti de omnipotentia fuerant: *Numquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Ideò audiuit Deus, & diſtulit*, nam dum murmurationem pro dilationis cauſali aſſignat, omnipotentiæ zelo id factum declarat; vt ſcilicet eius priùs clareret virtus, quã iuſtitię dignoſcerentur rigores. Vndè ſuper illud: *Ideò audiuit Deus, & diſtulit*, ſic habet Alenſis: *Ideò diſtulit, nè impotens videretur.* Sic ꝙ non ad obloquentium ſatisfactionem, ſed ad omnipotentiæ oſtenſionem ſit vindicta protracta, deſcribitur.

Vgo Card.

Alenſis.

Vt omnipotẽtię demõſtrationes clarefeãt, iuſtitiæ Deus differt effectus.

3 Quòd ille, qui humilitatis cauſa in ſignorum oſtenſione, miraculorũq; operatione nunc Patri ea aſcribendo, nunc imperſonalitèr loquendo, sẽper proprium ſubticuerat nomen, celaratq; potẽtiã, in illius poſteà energumeni liberatione, qui à muto ſpiritu ab infantia obſeſſus in ignẽ, aquamque crebrò cadebat, omni prorsùs amoto velamine, liquidò illum propria ſe virtute liberare declararet, dicendo: *Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Marc. 9. miror non parum, nec myſterium facilè aſſequi poſſem, cur qui in maiorum portentorum oſtenſione proprium tacuerat vocabulum, hic illud proferat, atque proclamet; niſi infirmam parẽtum fidem legiſſem, qui etſi ſupplices ad ipſum veniſſent, de eius tamen potentia ambigentes dixerant: *Si quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri.* ibid. quia cùm eam præ cæteris attributis Deum zelare agnoſcam, facilè ad illius oſtenſionem id factum percipio, vt potẽs illa dignoſceretur virtus, quę infirma æſtimabatur ab infirmis: *Quod dicitur, ego præcipio tibi*, ait Victor Antiochenus, *diuinæ virtutis energiam, etiam ſi humana fides nõ adſit, arguit.* En quare, quod alibi ſubticuit, hic declarat, quia hic maximè deficiente humana fide, de eius dubitabatur potentia.

Marc. c. 9.

Ibidem.

Publicè ad Omnipotẽtiam, quam sẽper abſcõderat, manum mittit Saluator, cùm de eius virtute dubitatur.

Victor Antiochenus.

4 Mirabilis ſemper mihi viſa res eſt, quòd Lazarum ſuſcitaturus Saluator, non eum ſimplicitèr vocaſſet, ſed voce magna, vt è mortis habitaculo egrederetur, clamaſſet, dicente Ioan. cap. 11. *Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit: Lazare veni foras.* Et quidem ſi vix primo Verbi verbulo dæmones obediebant, mors parebat, & inferi obtemperabant, haudquaquam ſuæ vocationi Lazarus reſtitiſſet, cur igitur non ſimplici verbo, ſed cum clamore valido illum vocat, & ſuſcitat? Si in iuſſu, in voce Archãgeli, & in tuba Dei penè infinita mortuorum reſurget caterua, quomodo ipſius Dei iuſſioni vnus obſiſtere potuiſſet Lazarus, quòd non ſimplicitèr vocatur, ſed vociferando ad vitam re-

Ioan. c. 11.

Digitized by Google

reuocatur? Nec difficultati Gloſſæ occurrit ſolutio, quòd non ad inſinuandam virtutis infirmitatem (cùm eius omnipotentiæ non minùs ea, quę non ſunt, quàm ea quæ ſunt obediãt) ſed ad declaranda prauæ conſuetudinis damna voce magna quatriduanũ vocauit: *Voce magna clamauit, quia difficilè ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis præmit*, quia cùm hæc myſtica, ſpiritualiſque ſit expoſitio, literalis eſſet quærenda ſolutio, cur clamando Lazarum vocat, qui cuncta de nihilo vnico verbulo produxit, niſi difficultati lucem facerent præfata; nam ſi ideò in ſurdi, & muti ſpiritus expulſione propriam virtutem, propriumque declarauit nomen (quod an aliàs ſic apertè declaraſſe inueniatur, ignoro) quia de eius ambigebatur potẽtia, nutante hic Martha, deque eius virtute obloquentibus Iudæis, vt videre eſt in textu, non ſubmiſſa voce vocando, ſed vociferando Lazarum ſuſcitare debebat, vt tàm eminùs, quàm cominùs ſpectantibus cuius virtute vita defuncto tribueretur, innoteſceret. Toleti fuit cogitatus, qui clamoris rationem aſſignans, hæc habet: *Clamat, vt omnibus innoteſcat ſe eſſe, qui mortuum ſuſcitat.* Ac ſi diceret, etſi humilitatis cauſa ſemper propriam ſubticeat virtutem, infirmitatis tamen ſuſpiciones cùm ferre non valeat, ſe eſſe, qui ad fortia manum mittit, declarat, & prædicat.

Gloſſa.

Malæ cõſuetudinis mole qui premitur, difficilè ſurgit.

Toletus.

Voce magna Lazarũ ad vitam reuocat Saluator, & quare?

5 Multus eſt Victor Antiochenus in quærenda ratione, cur turbam poſt ſpiritalẽ corpórali etiam cibo in deſerto paſcens ille, qui maioribus eius opiperam in alio deſerto mẽſam parauerat, non neceſſaria tantùm, ſed affluentia etiam ſuppeditauit cibaria, dicẽtibus Euangeliſtis, quòd poſt omnium ſaturitatẽ quiſquiliarũ cophini ſint ſublati duodecim, vndè inter cæteros Marc. c. 6. *Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos.* cap 6. Et quidem exuberantiæ cauſam, non abſque ratione inquirit, quia ſi ſat neceſſaria ſolummodò miniſtrare fuiſſet, ad quid ſuperflua ſuppeditantur? Si miracula minimè abſque neceſſitate patrantur, cur ſupereffluentia producũtur fercula? Verùm ſi à ſeruis Dominus, & à creaturis in infinitum diſtabat Creator, aliter ab illis hominũ neceſſitatibus conſulere debebat ipſe; nam vbi illi neceſſaria ſolummodò miniſtrabant, vt patet de Moyſe, Elia, multiſque alijs; exuberantia ſuppeditare voluit ipſe, vt quantùm eius ab illorum diſtaret potentia, declararet. Præſtò eſt nuperrimè dictus Antiochenus: *Tantam reliquiarum vim facere viſũ fuit, quò publicè hinc conſtaret, tantam rerum affluentiam magis prouenisſe, ad oſtendendam facientis virtutem, quàm ad explendam præſentem populi neceſſitatem. Moyſes quondã Exod. 16. manna Iſraelitis ſuppeditauit, verùm id tantùm ad neceſſarium vitæ vſum: ſiquidẽ, quod plùs eo colligebatur, hoc ſtatim in putredinem vertebatur. Elias 3. Reg. 17. viduæ farinam, & oleum multiplicauit; verùm tantiſper hoc ſolùm, dũ pluuia terrã irrigatur, deſcenderent: Vbi enim ea deſcendere cæpere, ſtatim quoq; farinæ multiplicatio ceſſauit. Quò ergo diſcrimen inter hos, & illum appareat, magnam reſiduorum copiam reliquam fecit; ità vt illi etiam, qui ſaturati fuerant, reliquiarum vim admirarentur.* Sic non neceſſitatis cauſa, ſed potentiæ zelo tantam ciborum exuberantiam factam fuiſſe opinatur Victor Antiochenus, quæ & Chryſoſtomi fuit sẽtentia, qui hom. 50. in Matt. affluentiæ rationem aſſignans, omnipotentiæ zelum in cauſa fuiſſe aſſerit, dum dicit: *Potuiſſet facere, vt extincta fame nihil ſuperflui remaneret: verùm quoniã & ſub Elia ſimile quid factum eſt, non ità omnipotentiam eius diſcipuli agnouiſſent.* Crediderim præterea ego, quòd non tàm, vt apoſtolicis manibus condecoratis cophinis in honorẽ verterentur humiliationis media (quę ſentire videtur Origenes ſuper Matt. 14. cùm hunc ait in modum: *De Ioſeph quidem ſcriptum eſt in Pſal. Manus eius in cophino ſeruierunt. De Ieſu verò diſcipulis, quòd cùm eſſent nimirum duodecim, ſuſtulerint ex eo, quod ſuperfuerat, duodecim cophinos non dimidiatos, ſed plenos. Et ſunt, ni fallor, ad hunc vſque diem, & erunt vſque ad conſummationem ſęculi duodecim cophini pleni frag-*

Marc. c. 6.

Victor Antiochenus.

Vt quã à ſeruis Domini diſtaret potentia, innoteſceret, non ad ſatietatẽ tantùm turbas in deſerto pauit Saluator, verũ reliquiarum etiam cophinos ſubleuari fecit duodecim.

Chryſoſt.

Origenes.

In honorem tranſeũt humiliationis media.

Digitized by Google

fragmentorum panis viui apud Ieſu diſcipulos, de qua re fusè in §.3.fer.6. in Paraſc. diſſeruimus) quã vt rata apud diſcipulos Chriſti omnipotentia fieret, reliquiarum cophini ſuperfuere duodecim, vt ſcilicet eorum quilibet proprio prægrauatus pondere, omnẽ à ſe de Magiſtri potentia hæſitationẽ arcere, atque abdicare addiſceret.

6 Nullus quamuis rudis, imperitus, ſtupidus, atque hebes omninò, quo Chriſtus ſuæ potẽtiæ teneretur zelo, non apertè percipiet, ſi illum Marci luſtrauerit locum, in quo habetur, quòd blaſphemiam exiſtimãtibus ſcribis, paralytico illũ peccata dimittere, qui omnibus ſcelera dimiſsurus aduenerat: *Erãt autẽ illic quidã de Scribis ſedentes, et cogitantes in cordibus ſuis: Quid hic ſic loquitur? blaſphemat: Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* c.2. vt quis eſſet, quaue polleret poteſtate illis oſtẽderet, hæc ipsũ ſubdidiſse fertur: *Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt faciliùs dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere ſurge, & tolle grabatum tuum, et ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittẽdi peccata (ait paralytico) tibi dico: Surge.* ibid. nam dum ad ſuæ occultæ ſuffragandum virtuti euidentiſſimo ſe miraculo dedit, ſtultis etiam quàm de ſua potentia dubitari ægrè ferret, inſinuauit. Quarè ſubtiliſſimus ille Chryſologus ſerm. 50. *Scrutator animarum præuenit mentium maligna conſilia, & Deitatis ſuæ potentiam operis atteſtatione monſtrauit, dum diſſipati corporis membra componit, neruos ſtringit, iungit oſſa, complet viſcera, firmat artus, & greſſus ad curſum ſuſcitat in viuo cadauere iam ſepultos.* Sic ſignis, miraculis, atque portentis veluti ſuæ poteſtatis euidentiſſimis argumentis, & malignorum deſtruebat conſilia, & amentibus etiam, quàm illius afficeretur zelo, ſuadebat, atque monſtrabat.

Marc. c. 2.

Chryſolog.

Deitatis ſuę potentiam, quam carnis infirmitate ſemper contexerat Chriſtus, in paralytici curatione operis atteſtatione mõſtrauit, & quare?

7 Deſineret me ſanè dies, ſi quæ ad ſuæ diuinæ virtutis, potentiæque oſtenſionem effecit Altiſſimus, enumerare tentarem; nam & huc procelloſa illa tendebat tempeſtas, dum vndique furente, ac pernicioſo ſe ingerente vẽtorum turbine, nedũ à marinis vorticibus abſorberi apoſtolica periclitabatur nauis, verùm mugiente mari, & triſti ſonitu littoribus reſonantibus cunctis, ipſe quoque inſulæ funditùs ſubrui videbantur: *Aſcendẽte eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: et ecce motus magnus factus eſt in mari, ità ut nauicula operiretur fluctibus.* Matt.8. vt ſcilicet ſequentibus elementis reſiſtere minimè valentes diſcipuli, Magiſtri dexteram implorarent; & ſic illius eis innoteſceret virtus, cuius nutui inſenſibilia non minùs, quàm ſenſibilia parebant. Vndè Origenes in catena relatus: *Cùm multa magna, & miranda oſtendiſſet Chriſtus in terra, transijt ad mare, vt ibidem excellentiora opera demonſtraret, quatenùs terræ, mariſque Dominum cunctis ſe eſſe oſtenderet. Ingreſſus ergo in nauiculã fecit turbari mare, vndè ſequitur: Et ecce motus magnus factus eſt in mare, ità ut nauicula operietur fluctibus. Hæc tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, qui educit ventos de theſauris ſuis. Facta eſt autem tempeſtas magna, vt magnum opus oſtenderetur, quia quantò magis fluctus nauiculæ irruebant, tantò magis diſcipulos timor cõturbabat, vt plus deſiderarẽt ſe liberari per mirabilia Saluatoris.* Et ad hoc etiã luctuoſa illa Nabuchodonoſoris dirigebatur mutatio; quando in ſolitudinem, feritatemque damnatus, nedum à ſe, verùm à ſenſibus exulaſſe videbatur humanis, dum corporis etiam ſpecie in beluam tranſiſſe videbatur, vt nempè in ſe tandèm reuerſus illius confiteretur potentiã, cuius virtuti ſtultè ſe obſiſtere poſſe putauerat. Quod apertè nimis dixit Theodoretus in Gloſſa relatus, ſuper illa eiuſdem Nabuchodonoſoris verba: *Nonnè hæc eſt Babylon magna, quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Daniel. 4. *Intuere mentis faſtum, inſpice arrogantiæ exuperantiam: ego enim ipſam, inquit, regiam vrbem feci in honorem gloriæ meæ, & hæc feci potentia maxima præditus, omniumq; potitus. Verùm hæc glorians, & fremens locutus eſt: At Dominus ſtatim ſupplicium intulit. Nam qui in cælum aſcendere ſe ſomnia-*

Matt. c. 8.

Origenes.

Nauigantibus diſcipulis, de theſauris ſuis ventos educt Saluator, vt ſequẽtem ſedãdo tempeſtatẽ, cuius potẽtiæ eſſet, oſtenderet.

Daniel. c. 4.

Theodoret.

Digitized by Google

Cur Nabuchodonosor in solitudinem, feritatemq; damnatus?

niauit, illius sententiam de se latam sensit. Et quia nõ satis ei fuere ædes regiæ in terris deorsùm, sed simul etiam superiores dementèr appetijt; ijs etiam priuatur, quas deorsum obtinebat, & qui cælũ rapere voluerat, è terra expellitur. Et post ipsum Pererius: *Putant quidam, nec temerè, verba illa: Nonnè hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui, protulisse regem non solùm magna cum iactantia, & superbia, sed etiam cum Dei contemptu, quasi paruipẽdẽs somnium sibi à Deo missum, eiusque interpretationem à Daniele datam, nec fieri posse existimans, & sibi tàm potenti, & glorioso regi, prædicta ipsi tanta rerum conuersio, & calamitas posset contingere.* Et ob hoc denique (nè singula, quæ de hac re afferre possem, recenseam) Assyriorum exercitus talẽ, tantamq; diuinitùs immissam expertus est plagam, vt nocte vna, vnicoq; mortis genere ex eo centũ octoginta quinq; millia interirent, sicuti in Isaia 36. habetur, quia de Dei potentia obloquendo impudẽtissimus Rabsaces, infirmam illam, ad Dei populum liberandum proclamauerat verbis illis: *Non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorũ, &c. Numquid liberauerunt dij gentium vnusquisque terram suam de manu regis Assyriorũ? Quis est ex omnibus dijs terrarum istarum, qui eruit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea?* Quocirca maximo, optimoque iurè, & propter Dauid quidem, sed propter se maximè ex hostium manibus ciuitatem seruaturum dixit Omnipotens: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4. Reg. 19. quia aliàs à superbis blasphemis ad liberandum Israel impotens illa habita fuisset potentia, à qua in infinitum omnis humana superatur, & vincitur: *Merebantur enim impiæ gentes, & infructuosæ arbores, vt per te quasi per securim, & serram meam succiderentur, & caderent, tamen ponam circulum in naribus tuis, & blasphemãtia ora constringam, nè vnquam alius hæc loqui audeas,* ait Rabbanus in Glossa, ac si diceret: etsi hanc iniquorum scelera mererentur vindictam, vt tuis sæuissimis manibus eos traderem; nè tamen ad eos liberandos me impotentem existimes, te priùs meã agnoscere potentiam, & experiri iustitiam facio, vt nullus in posterum me infirmum opinetur, ac debilem.

Pererius.

Rabbanus.

8 Cæterum omnipotentiã Christum tantopere zelare, vt nil sic ægrè, molesteque ferat, quàm vel tantillum de ipsa dubitari, quis crederet? & nihilominùs plusquàm verum est; nam cùm ipse mitissimus ille esset Agnus, qui nec in maledictis balare, nec inter luporũ dẽtes os aperire nouit, de suæ tamen virtutis potentia addubitantes absq; externis doloris indicijs videre haudquaquam poterat, vt patet ex Matt. c. 17. in quo habetur, & sic ægrè de sua virtute quem ambigentẽ ferebat, vt penè hominũ fastidiret contuberniũ, propter quod plusquã libẽtèr, in mundũ aduenerat; vndè sic eũ dubitãti cuidã respõdisse habemus: *O generatio incredula, & peruersa, quousq; ero vobiscum? usquequò patiar vos? Afferte huc illum ad me.* Super quæ verbà Chrysostomus hom. 58. *Cùm autem dixit: quousque vobiscum ero? quàm morti sitiat, quantumque ad Patrem ire desideret: & quia non sit sibi molesta passio, sed cum huiusmodi hominibus conuersatio ostendit.* Quod etiam ex illo Ioan. 11. *Lacrymatus est Iesus*, patet; nam etsi Basilius in oratione de gratiarum actione non Lazari mortem, quam in vitam citò esse conuertendam agnoscebat, sed vt modestiam in similibus casibus edoceret, verum Isaac lacrymatum asseruit. Cuius sententiæ videtur etiam Augustinus tract. 49. & Hilarius lib. 10. de Trinitate. Et quãuis ob Magdalenæ lacrymas, quasi ex quodam affectu, ac pietate cæli fleuisse Gaudium cum Ambrosio lib. 2. de pœnitentia sentiat Chrysost. hom. 62. Et licèt denique propter Iudæorum duritiem, atque perfidiam Christum plorasse asserat Hilarius super psal. 68. & Epiphanius in Anchorato; cùm tamen sinè lacrymis pluriès esset hanc expertus duritiem, & absque fletu flẽtẽ aliàs Magdalenã viderit, & dictę modestiæ exemplum in adolescẽtis vnici matris viduæ filij suscitatione

Matt. c. 17.

Chrysostom.

Super cunctas blasphemias Deo inuisum de sua potentia ad dubitare.

Ioan. c. 11.

Christi fletus in Lazari resurrectione rationes plures.

Digitized by Google

tione non offenderit, aliam nobis lacrymarum cauſam inueſtigandam reliquit; certum cùm ſit (vt benè obſeruat Toletus annot. 10.) quòd fletus obiectum aliquod interfuiſſe oportebat; nã ſicuti nec abſq; cibo comedit, nec ſinè loco, in quẽ tenderet, ambulauit: ità nec ſinè obiecto aliquo, vel re propoſita, circa quam eſt triſtitia, triſtabatur, & flebat; quæ autem illa fuit, ſi non Lazari mortem, nec Magdalenæ planctum, neq; Iudæorũ perfidiam præcisè fuiſſe teneamus, niſi Iudæorum de eius omnipotentia obloc. ibid. locutiones, dicẽte Euangeliſta: *Quidã autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* ibid. Ità prorsus inquit Euthymius. Euthymius: *Impotentiam ei exprobabant, & ironicè dicebant, qui cæci oculos aperuit, numquid, &c.* Idem proſecutus eſt argumentum Origenes hom. 35. in Matt. ſuper illud: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* cap. 27. vbi ait, quòd duos exceſſus in cruce oſtendit Saluator, amoris vnum cum .ſ. latronum non reſpuit comitatum, doloris alterum, dum à Patre ſe in doloribus derelictum dicit: verùm hunc ex alio non proueniſſe fatetur; niſi ex infirmitatis opinione, quam ei impij obijciebant blaſphemi, dicentes: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* ibid. Verba autem eius ſunt: *Extremum autem dilectionis eius erat illud, quòd inter latrones eſt crucifixus, & quòd prætereuntes blaſphemabant eum mouentes ſuper eum capita ſua, & quòd principes cum ſcribis dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum autem ſaluum facere nõ poteſt. Ergo manifeſtè colligere poteris, quid ſit, quòd dicit: Quare me dereliquiſti?* Sole igitur clarius quàm ægrè de ſua virtute addubitari tulerit, innoteſcit, dum ſuper mortem ipſam de potentia obloc. ibid. Origenes. Doloris Chriſti extremũ erat, inbecillem à blaſphemis vocari. Morte ipſa Chriſto acerbius de eius potẽtia dubitare. Matt. c. 27. cutiones lamentatur, & dolet. Hinc fit vt infidelitatis peccatum, per antonomaſiam peccatum in ſcripturis vocetur, dicente Alenſe ſuper illud: *Apoſuerunt adhuc peccare ei.* Pſal. 77. *Apoſuerunt adhuc peccare peccato infidelitatis, quod antonomaſticè dicitur peccatũ*; quia infenſum adeò eſt ei de ſua hæſitare virtute, vt offenſam nullam ſicuti blaſphemiam hanc ſentire (vt ità dicam) videatur. Pſal. 77. Alenſis. Infidelitatis peccatum peccatum per antonomaſiam nũcupatum, & quare?

FERIA TERTIA POST PASCHA.

Stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis. Luc. 24.

§. I.

Dirimit societatis ius Principis inæqualitas.

SI prudentiam regna firmare, respublicas constabilire, & incōcussa reddere imperia dixit (vt cæteros omittam) Antisthenes, dum, sicuti refert Laertius lib. 6. cap. 2. ait, quòd deficientibus exercitibus, cadentibus muris, collabentibus castris, vna ipsa inuicta semper, & inconcussa vrbes protegit, atque defendit: *Dicere satagebat Antisthenes* (ait mox dictus Laertius) *tutissimum esse murum prudentiam, qui nec collabitur, nec proditur. Nulla quippe mœnia sunt tàm munita, quin machinis, aut suffossionibus, aut vallorum proditione capiantur. Prudentis autem decreta sunt inexpugnabilia.* quid igitur est, quòd Salomonis ore omissa prudentia, iustitia nedum legalis, quę vno vocabulo virtutum omnium coæruationem indicat, sed etiam particularis, quæ distributiua dicitur, vt sentiunt non pauci, principibus commendatur: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram?* Sap. 1. *Est hic dubium,* ait Rupertus Holcoth, *quare principibus, & prælatis potiùs dicitur: Diligite iustitiam, quàm diligite prudentiam, vel aliquam aliam virtutem moralem?* lect. 2. An fortè, quia iustitiam seruare summa est censenda prudentia? Prorsùs ità; nā qui in subditorum medio adequè, veluti centrum, se collocat, & in nullam circumferentiæ partem deflectit, hic (sicuti terra propterea immobilis, quia in medio ac si centrum constituta) aliorum elementorum motum, vel, vt clariùs dicam, cæterorum principū clades, ac iacturas immobilis spectat, atq; irridet. Quod ni agnouisset Lycurgus, nequaquā petitioni sibi factę, quomodo hostiū esset fugiēdi incursus, teste Plutarcho, respondisset: *Si nec alius alio plus requirat,* cui solertissimo dicto addit ipse Plutarchus: *Quo dicto docuit tutiores esse eos ab hostium incursu, inter quos est æqualitas, & in æqualitate concordia.* Nec mirum, quòd reliquorum labentibus principatibus, ille semper æqui principis immobilis, stabilisque permaneat, quia sicuti Arist. 5. Ethic. c. 8. ait, in quadam proportione ciuitates permanēt, quę si negligatur, & in partē aliquam procubuerit, qui regit, statim discordiæ exurgēt, & lites. Quod disertè nimis nauis similitudine, quæ non propter pondus, sed ob ponderis inęqualitatē periclitatur, docuit Seneca Epist. 28. verbis illis: *In naui onera inæqualitèr conuoluta, citiùs in eam partem, in quā incubuere, demergunt.* Apertè insinuans, quòd gubernatoris sit scelus, qui partes non librat, sed plus vnum grauat, quàm alterum, quòd communitatis nauigium transuersū, & pessum it, ad profundum. Quod adeò frequentèr ex pauperum, humilium, ac abiectorum oppressione accidere solet, vt (omisso Osorio lib. 7. de Reipub. instit. *Omnes, qui boni rerum æstimatores extiterunt, facilè conijcient, rempublicā illā, in qua peruersa iudicia fiunt, diu stare non posse*) dicere soleret Hieronymus de dignit. Reipubl. lib. 2. sic subuersioni, seu, vt clariùs dicā, ruinæ proximam esse rempublicam illam, in qua æqualitate neglecta pars prægrauatur vna, vt nec reipublicæ sortiri possit vocabulum, cùm iam pro labefacta habeatur: *Respublica sive sit institutio ciuitatis, sive res populi, nisi iustè gubernetur, non habenda est,*

Laertius.

Principis prudentia arx inexpugnabilior.

Sapiēt. c. 1.

Rupertus Holcoth.

Plutarchus.

Fortissimus ciuitatū murus æqualitas.

Seneca.

Osorius.

Vigēte inæqualitate, diu stare nequit respublica.

Hieronym.

ne-

Digitized by Google

Hieronym. *neque respublica, neque ciuitas, neque populus.* Hinc Rex ille pacificus, in cuius diebus iustitia esse debebat, & abundantia pacis, vt formam præsulibus subditos sedatos habendi tribueret, non tantùm in medio semper, vbi æqualitas, atque iustitia consistit, stare voluit, vt magnus dixit Baptista: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ioan. cap. 1. & vt prædixit Isaias cap. 12. *Exulta, & laude habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.* verùm non priùs in præsentia pacem discipulis intimare voluit, quã in medio stare: *Stetit Iesus in medio discipulorum, & dicit eis: Pax vobis.* Luc. 24. quia frustrà præsules illi pacem subditis prædicant, qui in partem aliquam se inflectendo, dissensiones seminant, atque tumultus. Pro qua re audiendus est Pinctus super Isaiæ 32. *Princeps, aut præsul, qui voluerit subditos in pace gubernare sit iustus, & æqualis, & in medio constitutus. Nam Christus Deus noster dicens discipulis suis: Pax vobis: stetit in medio, vt D. Ioannes testatur. Si præsul steterit in medio, si seruauerit æqualitatem, in qua iustitia consistit, si non odium, aut amorem, cæterosque affectus iudicium corrũpentes; sed rectam rationem fuerit secutus, præclarè administrabit, & florebit in diebus eius abundantia pacis. Ex quo colliges ridiculum esse præsulem, qui cùm ipse non sit in medio, cùm affectus sequatur, cùm denique sit iniustus, ad pacem subditos hortatur. Est enim hoc idem, quod ait Ieremias, dicens: Pax pax & non erat pax. Sit præsul in medio, tribuat vnicuique, quod suum est, & tunc dicat: Pax vobis.*

Adeò rũinæ proxima est respublica, in qua iustitia non seruatur, vt nec reipublicæ nomen habere mereatur.

Ioan. c. 1.

Isaias c. 12.

Luc. c. 24.

Pinctus.

Immedio stare debet, qui præest, vt præsit.

2 *Tempus est*, ait Valerius Maximus, *iustitiæ sanctæ penetralia adire, in quibus semper æqui, ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione versatur: et vbi studiũ verecundiæ est, cupiditas rationi cedit: nihilq; vtile, quod parũ honestum videri possit, dicitur.* Sic ipse lib. 6. c. 5. iustitiæ extollit præconia, quam in sua ciuitate adeò floruisse adijcit, vt omnibus gentibus præcipuum, euidẽtissimumque fuerit iustitiæ exemplũ. Quod & lib. 8. c. 2. de priuatis iũdicijs sequenti confirmat historia: *Multus sermo eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus est, quòd equo, cuius vsus illi vsque Ariciam à Roma decem millibus passuum distantem commodatus fuerat, vlteriore eius municipij clino nectus esset.* Quo quidẽ facto id, q̃ supra dixerat, Romanã .s. rempublicam iustitia maximè effloruisse satis declarat, dum tàm exiguum furtum tantum iudicum excitauit rigorem. Et satis iustè quidem tanta à Romanis iustitia seruabatur, & æquitas; quia ex harum defectu, nec ciues sedati, nec respublicæ stare diu possunt. Vndè teste Plutarcho Leo Eurycratidis filius in qua vrbe commodiùs vitam quis ducere posset, interrogatus, respondit: *In ea, quam qui incolunt, neque plus possident, neque minùs, et vbi iustitia viget.* Subditque mòx dictus Plutarchus, quòd etsi breuiter, sapienter tamen quid æquitas, quidue inæqualitas efficiant, declarauit: *Grauiter admonuit*, inquit ipse, *æqualitatem esse pacis, & tranquillitatis altricem; inæqualitatem seditionis esse seminarium; nec ibi locum esse iustitiæ, vbi quisque potentior est, & ita licentiùs opprimit imbecilliorem.* Hactenùs ipse, quibus cur tàm rigidi iustitiæ obseruatores essent Romani, satis patet; quia nè tranquillitatem, quæ ex æqualitate oritur, inæqualitas turbaret, æquè magnos plectebant, ac paruos.

Valer. Max

Iustitiæ æquitas etiã in paruis seruanda.

Plutarchus.

Securè degitur, vbi æquitas viget.

Idem.

Æqualitas pacis altrix, inæqualitas verò iurgiorum seminarium.

3 Disputant sacræ scripturæ expositores, de qua pace loqueretur Isaias, cùm ait: *Erit opus iustitiæ pax.* c. 32. & iuxtà communiorẽ sententiã de interna conscientiæ pace sermonẽ fuisse fateor quidem: quia si bello, quod quis culpæ, vitiorumque causa in conscientiæ palestra sustinet, maius est malum nullũ; Vndè Arrian. lib. 2. cap. 26. *Omne peccatum pugnam complectitur. Cùm enim is, qui peccat, non peccare, sed rem benè agere velit; perspicuũ est, eũ id, quod nolit facere;* cùm per iustificationem culpa, & per virtutes vitia pellãtur, vel opus legalis iustitiæ, vel iustificationis pax erit censenda, & conscientiæ tranquillitas, de qua re plura in §. 4. fer. 5. Passionis me dixisse recordor. Diuo tamen Thomæ in 2. 2. quæst. 29. art. 3. & quæst. 181. art. 2. ad secundum dicere non dis-

Isaia c. 32

Arrian.

Pugnã magnã peccatũ cõplectitur, & quare?

Digitized by Google

displicuit, quòd etiam de pace externa Prophetæ possit esse loquutio, quia, quòd quietus sit populus, quòd societatis teneantur iura, & quòd vnitatis in subditis seruetur vinculum, Præsulis iustitiæ, quæ omni semota passione vnicuique, quod suum est, tribuit, dici possunt effectus. Adsit Augustinus, qui lib. 1. de duodecim abusionum gradibus rem mirabiliter confirmat, dum dicit: *Quantùm iustitia regis seculo valeat, intuentibus perspicere patet. Est enim pax populorũ, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimen gentis, cura languorum, Letitia hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibi metipsi spes futuræ beatitudinis.* Optima equidem omnia, at illa maximè (*Iustitia regis, &c. est pax populorum*) cuius opus sit subditorum pax, probant, atque declarant.

Augustin.

Populorum pax principis iustitiæ opus cẽsendum est.

4 Possem pro hoc instituto fratrum odium erga Ioseph adducere, quod ex eo maximè originem duxit, quia patrem erga illum specialis beneuolentiæ signa ostendisse videbant, sacra dicente pagina: *Videntes autem fratres eius quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Genes. 37. vbi Chrysostomus miratur multùm, quòd non Iosephi mores, qui amori inuidebant, imitarentur, ac si diceret: si bonitas beneuolentiam attrahit, cur non Iosephi sectamini bonitatẽ, ꝙ eius beneuolẽtiæ æmulamini? At cæca inuidia non pueri merita, sed patris erga eum amorem attendens, insidias illi moliri non desistebat: *Oportebat illos imitari fratrem, & æmulari mores, vt sic, & ipsi patrem sibi conciliarent. At hoc ne in mentem quidem acceperunt, sed communi odio filium à patre dilectum prosequebantur.* Modò dictus Chrysost. hom. 61. in Genes. Hoc tamen, vt cõmune, prælibato tantùm, persubtilitèr difficultates trutino istas: quid est, quòd Elcana, qui ardentiori amore Annam prosequebatur, quàm Phennam, in partium distributione adeò æquum se præbuit, vt nullo priuato affectu duci potuerit, vt ab æquitatis norma deflectendo, non partem vnam, sed plures ei daret, sacra dicẽte pagina: *Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat?* 1. Reg. 1. Et posteà, quòd maiori stupore dignum censeo, qua de re Annę æmulabatur Phenenna, quòd æmulæ sortiabatur vocabulũ, *Affligebat quoque eam æmula eius?* ibid. Quæ inuidiæ, quæ dissensionis, & quæ iurgij erat origo, quòd sacra dicit pagina: *Sicque faciebat per singulos annos?* At ò mysterium! licèt iustitiæ limites seruaret Elcana, et in partium distributione dissimulato amore non plures partes, sed vnam Annæ tribueret, vt seruata æquitate nullam in altera vxore inuidiã excitaret; quia tamen amor celari sic nequit, quin nõ nihil effulgeat, dicente Ouidio in Phędra: *Quis enim benè celat amorẽ?* nõ adeò illũ erga Annã celare sic potuit Elcana, Phenennæ quin innotesceret: quo vix agnito, quãuis in effectus nõ prodiisset affectus, inuidiæ tamen, iurgij, dissensionisque causa seminarium extitit, & origo: *Inuidebat enim Phenennæ Annæ*, ait Vgo Card. *quia plus diligebatur à viro: Sicut Agar Sarę, & Ioseph fratres eius.* En quarè intrà æquitatis limites se continente Elcana, Annæ inuidebat Phenenna; quia vt viri amorem in illam propẽsiorem vidit, cum ea ampliùs pacem habere non potuit.

1. Reg. c. 1.

Ibidem.

Ouidius.

Vgo Card.

Iurgij causa inter domesticos amoris inæqualitas.

Gen c. 37.

Chrysost.

Peculiaris genitorum amor, etiam iustè alicui ex genitis impẽsus cæterorum excitat liuorẽ.

5 Nõ cupediis, nec pretiosis ferculis, neque vt cęteri pueri opiparè, sed leguminibus tantùm, vilibusque cibarijs ali poscebat Daniel cum socijs, renuebat tamen eunuchorum princeps; cui horum erat demandata cura puerorum, rationemq; addebat; quia regis verebatur imperiũ, nè scilicet regi innotesceret, quòd alijs à cæteris nutrirentur ferculis: *Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coætis vestris, condemnabitis caput meũ regi.* Daniel. 1. Et quid bone Deus, timere poterat, si sic ipsi secũ agi poscebant? Quid dicere potuisset rex, si talis erat puerorum voluntas? Cui fiebat iniuria, ꝙ plecti timebat, si nedum volentibus, & con-

Daniel. c. 1.

sen-

ſentientibus, verùm enixè etiam rogantibus ſatisfaciebat? An fortè iniuſtitiæ notam apud regem incurrere verebatur, eò ꝙ inæqualitèr cibaria miniſtrando, odij, iurgijque ſeminariũ eſſet? Theodoreti hęc videtur ſententia, qui principis eunuchorum mentem exponens, eiuſque timoris rationem aſsignans, hæc habet: *Veritus eſt, nè cùm illi opiparè alerentur; hi autem parcè, & continenter victitarent, in eorum vultu diſcrimen aliquod appareret, & extremum ſubire ſupplicium à rege, qui contra iuſſerat, cogeretur.* Optimũ ſanè verę oeconomię magiſterium, quæ æquè omnibus prouideri iubet, nè dum alij alijs præferuntur, pacis, ſocietatiſque vincula dirimantur.

Theodoret.

Vera oeconomia nec pacis dirimatius, vnũ alteri non præfert.

6 Quo amoris vinculo à natura ipſa vinciantur germani, nullus eſt, qui ignoret; attamen ſi pater, qui inter filiorum cætum, veluti centrum intrà circumferentiam, medius ſtare debet, naturali aliqua inclinatione, vel priuato aliquo amore vix tantillum in aliquem procubuerit, ſtatim amoris, & ſanguinis nexus diſſoluuntur, & vincula. Quod & egregiè dixit Ambroſ. lib. de Ioſeph Patriarcha cap. 2. verbis illis: *Amor patris, niſi moderationem teneat, nocet liberis: ſi aut nimia indulgentia dilectum reſoluat, aut prælatio vnus cæteros ab effectu germanitatis auertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum: hęc ditior hæreditas filiorum. Ligat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura.* & ſuper parabolam illam de filio prodigo ſubtilitèr obſeruauit Chryſologus ſer. 4. cùm dixit, ꝙ vbi primũ pro filio prodigo in domum redeunte vitulum occidit pijſsimus parens, adeò zeli liuore illius ardere cępit germanus, vt nec domum introire, nec fratrem, quẽ cum patre lætantèr exceperant omnes, videre pateretur: *Fratri inuidus animus*, ait nuperrimè dictus Chryſologus, *gratus eſse non poteſt patri: paternæ largitatis memor non eſt, qui eſt fraternæ immemor charitatis. Hædũ ſibi datum negat, qui ſubſtantiæ partem totam tempore diuiſionis accepit.* Quod ſi verum, vt veriſsimum eſt, nec inter illos concordiam ſeruari poſſe, quos arctiſsimis dilectionis vinculis natura ipſa deuinciit, quandò parumper in eorum aliquem pater deflectit; quæ inter ſubditos vigere dilectio poterit, ſi princeps æquitate neglecta, centrum deſerit, & in partem aliquam ſe inclinat, & mergit?

Ambroſ.

Germanitatis perdit affectũ vnius prælatio.

Chryſolog.

7 Perfectam Rebeccæ ſolertiam, quam in Iacob diligendo oſtendit, vix ſatis laudari poſſe exiſtimo; quia cùm omnia pro Eſau, cuius venatione veſcebatur, patrem parare videret, minorem maternis gaudere fecit amplexibus: non quòd affectus, iudicia, honores, fauores ſubſtantiam, & vnico, vt dicam verbo, omnia in priori cõglomerata, in minori (vt alijs accidere ſolet) excitarẽt inuidiã, cùm ſatis ei illius innoteſceret lenitas, & pateret ſanctitas; ſed vt veræ, perfectęque oeconomię traderet normã, in Eſau amoris dexterã tendente patre, alteri dilectionis vbera porrigẽda cẽſuit; ut principes addiſcerent, & prælati, quòd ſi pacatos ſubditorum animos exoptant, pacificèque rempublicam regere cupiunt, non omnia uni tribuere, ſed æqua lance libratis partibus unicuique, quod ſuum eſt, tribuant. Audi Ambroſ. lib. 2. de Iacob cap. 2. *Accipite bonum certamen inter parentes, mater deferat affectum, pater iudicium; mater circa iuniorem tenera pietate protendat, pater circa ſeniorem naturam honorificentię ſeruet. Hic magis honoret; illa plus diligat, vt dũ ſinguli ſingulos fouent, non in vnum vterque conſpiret.* Quod perfectum oeconomiæ magiſterium ſi noſtri principes, prælatique ſeruarent, nulla ſanè inter ſubditos contentio eſſet, & lis; nam ſi æquitas, ut Antonius Boniſin. ait, etiam inter latrones ſocietatis iura conſeruat: *Iuſtitia ſola non modò rẽpublicam, & imperia ad ſocietatem omnem munit, & ſeruat: quin etiam facinoroſiſſimam quamque multitudinem (veluti in latronibus videmus, qui partam æque prædam partiuntur) æquitas ipſa nè ſolui quidem facilè patitur;* quæ in congregationibus, ciuitatibus, regnis, atq; imperijs floreret pax, & aleretur tranquillitas, ſi à præſulibus iuſtitia ſeruaretur, & æquitas?

Ambroſ.

Pacem inter liberos ſeruat, ſeruata à genitoribus æqualitas.

Antonius Boniſin.

Nec latronũ cõcordia dirimi facilè poteſt, ſi ſeruetur æqualitas.

8 Stupet Theodoretus, quòd cũ

Deus

Deus promissionis terram per partes proportionales sic duodecim tribubus partiri præceperit, vt vnicuiq; ad proportionem pars responderet, videlicet, vt maiori tribui maior, minori autem minor cõcederetur: *Pluribus maiorẽ partẽ dabis, & paucioribus minorẽ* Num. 26. partiũ posteà distributionem sorti committẽdã iusserit: *Ità dumtaxat vt sors terrã tribubus diuidat & familiis*. Si partes, quæ ad tribuum proportionem æquales erant, æqualitatem inter se minimè seruabant, cùm ad familiarum correspondentiam vna esset maior, alia minor, fieri quomodo poterat, vt per sortem vnicuique sibi proportionata contingeret? Si ad miraculum confugies, dicẽdo, quòd in sortitione Deus erat peculiaris illarum sortium moderator, vt opinantur multi, ex quibus vnũ affero Lyranum: *Sic cadebat sors ordinatione diuina, quòd sors cuiuslibet tribus cadebat super partem terræ sibi proportionatam, secundùm pluralitatem, vel paucitatem familiarum, & domorum in ea contentarum, secundùm quòd dicitur Proucrb. 16. Sortes mittuntur, sed à Deo temperantur.* adhuc maxima extat difficultas, si Deus absque necessitate miracula minimè operatur, cur hic, quod naturaliter fieri poterat, supernaturaliter, siue miraculosè effici volebat? At ò magnam Dei prouidentiam! Sapientiam ò verè magnam! etenim vt populi consuleret, quieti per sortem distributionẽ fieri præcepit, nè scilicet diuidentium passioni, amori, vel naturali inclinationi ascripta distributione, rixę insurgerẽt, & simultates. Audiẽdus est Theodoretus quæst. 47. rem mirabiliter describens: *Deus sorte diuidi terram mandauit, vt litem, & controuersiam omnem tolleret, tamquam Deo per sortem terram diuidente.* Proh quantùm exceptionis periculum, quòd etiam suspicata quærelas suscitare valebat, & rixas.

Num. c. 26. *Lyranus.* *Theodoret.* Vix suspicata exceptio pacem diri mere valet.

9 Præterea quòd non nisi de communi omnium consensu, vt asserunt multi, duos pro Iudæ loco statuerint Apostoli: *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus: & Matthiam.* Act. 1. non tàm ob publicam, notamque horum præsertim virorum sãctitatem id factum fuisse (vt cõmuniter sentitur) sed ad cæterorũ quoq; consulendum quieti asserunt nonnulli, ex quibus Chrysostomus hom. 3. *Multitudini permittit iudicium, simul eos, qui eligebantur reddens reuerendos: & seipsum liberans ab inuidia, simultateque, quæ poterat à cæteris oboriri* (Quod salua tãti doctoris reuerẽtia, de similibus viris excogitari haùd poterat) quid aliud indicat, nisi delicatissimam esse rempublicam, & facilè ex aliorum officijs, alios offendi; dum non deest, qui dubitat, quòd etiam inter primos Christi discipulos ob consimilem rationem oriri potuisset contentio? Et præterea si extiterunt & alij asserentes, quòd non tàm ex prorsùs æquali sufficiendorum sanctitate, quę Deum cordium inspectorem requirebat, vt maiorem à minori distingueret, sicuti ait Glossa interlin. *Exemplis æqualibus duos pares esse cognouerunt, quos cæteris præferendos esse non dubitauerunt. Alterum verò præferre alteri, non hominum erat, sed Dei*; quam ad qualemqualem partialitatis notam effugiendam non proprio marte vnum ex duobus Petrus elegerit, sed per sortitionem Deum electorem aduocarit (vti cum aliquibus opinatur Theodoretus, qui verbis nuperrimè allatis: *Deus sorte diuidi terram mandauit, vt litem, & controuersiam omnem tolleret, tamquã Deo per sortem diuidente.* ad Apostolos immediatè sermonem inflectit: *Hoc ipsum fecerũt etiam diuini Apostoli antequam Spiritus Sanctus aduenisset, mittentes enim sortes, Deum omnia agnoscentem deprecati sũt, vt demonstraret vter esset dignior*) nõnè, quacumque ex leui partialitate ad tumultuandũ arguit propensionem, dũ secundùm horum opinionem (quam quidem non approbo) etiam inter sanctos peculiaris alicuius affectionis notam incurrere metuens Petrus, nõ ipse ex duobus vnum eligere audet, sed Deum vt eligat, precatur, & inuocat?

Act. c. 1. *Chrysost.* *Gloss. interl.* *Theodoret.*

10 Adeò verum est, quòd vbi primum à iustitiæ tramite modicum quid princeps aut declinat, aut declinare existimatur, rixarum inter subditos

Digitized by Google

ditos inſurgit pelagus, vt Deus ipſe, qui ſumma regula, & prima iuſtitia eſt, ad omnium contemptionum extirpandas radices in bonorum, gratiarumque partitione magna vtatur cautela. Hinc cùm Abrahamũ (vt magis quàm Loth ſibi dilectum) ſpecialibus gratijs, fauoribuſque proſequi vellet, Loth oculos declinandos cenſuit; vndè non priùs munificam manum, vt illum benedictione impleret, aperuit, quàm iſtius declinaſſet obtutus: nam vt hunc ab illo ſeiunctum perſpexit, gratiarum ſtatim ſuper ipſum imbres effudit, quod ſignificare volens ſcriptura, hæc habet: *Et Dominus dixit ad Abraham, poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth: Leua oculos tuos, &c.* Gen. 13. Nec ſanè myſterio vacat, quòd peculiaria beneficia non palàm, nec coram Loth, ſed clàm, & poſt ipſius diſceſsũ Abraham cõtulerit; quia fieri vix poterat, quin ex ſpecialibus Abrahæ fauoribus, ſi non in Loth quia iuſto, in eius familia ſaltẽ, quæ non beneficentiæ cauſam, ſed beneficentiam tantùm attendere potuiſſet, zeli accenderetur flammula, quam vt vitaret, clanculùm Patriarchę peculiaris amoris ſigna oſtendẽda iudicauit: *Eſt aliud, quod hic aduertas* (ait Oleaſter) *videlicet, quàm occultè principes, & ij qui ſeruos habent, debeant oſtendere alicui ſuam dilectionem, & quàm occultè, nè ſcilicet alios ad inuidiam prouocent.* Quod ſi effeciſſet Coriolanus, nequaquam in totius populi odium incurriſſet; nam excepta beneuolentia, qua ſenatores iugitèr proſequebatur, aliam ob cauſam illud erga ſe minimè excitaſſet, dicente Plutarcho: *Quæ res multitudinis beneuolentiam in odium, inuidiamque conuertit.*

Gen. c. 13.

Oleaſter.

Semper vni ingrata eſt gratia, quę alteri cõceditur.

Plutarchus

Quibus omnibus cùm ſatis noſtrum probatum remaneat inſtitutum, ad alia ſermonem inflecto.

Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Luc. 24.

§. II.

Humani cordis penetrare conſilia, illaque pro libito mutare, quale ſit diuinitatis argumentum, expenditur.

1 INcomprehenſibilis Dei celſitudinis hauſtum ex creaturis eſſe ſumendum cõmunis fuit Ethnicorum, Chriſtianorumque ſententia; nam antiquorum ſapientum nonnulli mũdialem machinam rerum inuiſibilium ſpeculum, alij rerum diuinarum librum, alij verò vtrumque appellabant. Triſmegiſtus enim in tertio Pymandræ hæc prorupit in verba: *Tota mundi conſpiratio, & rerum pulcherrimus ordo contemplandi Deum ſuggerit materiam, eſt enim natura veluti liber vnus diuinitate plenus, ſpeculumq; diuinorum.* Quam metaphoram libri, & ſpeculi Tullius proſequutus videtur, cùm lib. 1. de nat. deorum cælum veluti ſpeculum contemplans, hæc habuit: *Quid enim poteſt eſſe tàm apertum, tamque perſpicuum, cùm cęlũ ſuſpexerimus, cęleſtiaque cõtẽplati fuerimus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimę mentis, quo hæc regantur?* Illicoque ad cætera cuncta, ac ſi ad quemdam diuinitatis librum oculos vertens, has emiſit voces: *Vndique omni ratione concluditur, mente, conſilioque diuino omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium, conſeruationemque admirabilitèr adminiſtrari.* Nec Ethnicorum ſolummodò hæc fuit ſententia, ſed Chriſtianorum etiam; nam Baſilius hom. 11. in Hexaemeron hæc ſcripta reliquit: *Vniuerſa hæc mundi moles perinde eſt, ac liber literis exaratus, palam conteſtans, atque prædicans Dei gloriam, illiuſque auguſtiſſimam maieſtatem.* Et Auguſtinus in explicat. pſal. 34. *Duo ſunt, quę in Dei cognitionem adducunt, ſcriptura ſcilicet, & creatura.* Cuius rei haudquaquam ignarus ægyptius ille Diuus Pater

Triſmegiſtus.

Mundus liber eſt, in quo Dei legantur mirabilia.

Tullius.

Baſilius.

Auguſtin.

An-

Antonius, qui à docto quodam viro quonam pacto ab hominum cętu, frequentiaque semotus finè libris vitam ducere posset, interrogatus; librum suum mundum esse, rerum scilicet creatarum naturam, vbi quandò erat opus, Dei oracula legebat, ibique Dei sapientiam, potentiam, & virtutem admirabatur; respondit, vti in historia ecclesiastica refert Nicephorus. Quod tàm ipsum, quàm cæteros fidei lumine præditos à Paulo accepisse existimo, dicente: *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* ad Rom. cap. 1. Ast etsi hactenùs dicta verissima sint, ex huius nempè magni mundi cognitione fieri minimè posse, quin ad Creatoris, Cōseruatorisque cognitionem ascendatur; Dauidis tamen fuit sententia, quòd ex hominis (qui microcosmus, seu paruus mundus à philosophis nūcupatur) structura admirabilis Dei hauriatur cognitio, cùm in Psal. 138. ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; quæ verba etsi de mirabili humani corporis opificio interpretari videatur Gregorius Nyssenus orat. 1. in verba illa: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. c. 1. verbis istis in Vatis persona prolatis: *Mirabilis facta est scientia tua ex me; Vndenam cognitionem tui ratione mirifica licet intueri? Ex me mirabilis facta est scientia tua. Artificium sapientiæ tuę, quo corpus meum constructum est, agnoscens, ex parua fabrica magnum opificē animaduerto: Faciamus hominē, etc.* Et quamuis de toto compositō, seu homine, id explicet August. lib. 15. de Trinit. cap. 7. dum in Vatis persona hunc ad Deum fatur in modum: *Ex me quippè intelligo, quàm sit incomprehēsibilis scientia tua; quia me fecisti, quādò nec me ipsum comprehendere valeo, quem fecisti,* Ambros. nihilominùs lib. 6. in Hexaemer. c. 8. de humanę mētis comprehensione præsertim verba esse interpretanda autumat, vt sit sensus; etsi ex hominis opificio, veluti ex paruo mundo Dei eluceat sapientia, potentia, & bonitas; ex mentis tamen, consiliorumque deprehensione, illorumque facili mutatione maximè ipsius clarent magnalia: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me, hoc est, in meo opere tua mirabilis est facta Maiestas. In consilio hominis tua sapientia prædicatur, dum me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis, & internis affectibus deprehendis.* Mòx dictus Ambrosius. Nec vacat mysterio, quòd in hoc maximè diuinam dicat clarere virtutē; quia cordis penetrare consilia, illaque pro libito mutare, Dei solius est opus; quare si aliundè eius non perciperetur diuinitas, ex hoc solummodò nota fieret, & euidens. Vndè Toletus super verba illa Ioan. 16. *Nūc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget: In hoc credimus quia à Deo existi.* in discipulorum persona sic fatur: *In hoc certè credimus te à Deo exisse, & ipsius filium esse, idest, vel hoc argumēto, etiam si nunquā credidissemus, nunc crederemus te exisse à Deo: nosse enim omnia, & mentium dubitationes, ac voluntates occultas scire, Dei est.* Hinc fit, vt Christus ipse, qui de sua vera humanitate, & resurrectione plurima impresentiarum argumenta præbere studebat, vnicum solummodò, efficax verò non parum de sua diuinitate proponit, illud est cordiū scrutatio cōsiliorū, dum ait: *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Luc. 24. nā satis per hoc, vt inquit Titus Bostrorū Episcopus, suam declarauit virtutem: *Ostendit se tamquam verum Deum, huic enim soli occulta cordium sensa patent.* Quæ res, quòd scilicet mentium deprehendere consilia, illaque pro libito mutare, euidens sit diuinitatis argumentum, liquidò ex sequentibus clarebit.

Rom. c. 1.

Psal. 138.

Gen. c. 1.

Greg. Nyss.

Humani corporis opificiū mirabile.

Augustin.

Sui cognitio ad Dei cognitionem adducit.

Ambrosius.

Ioan. c. 16.

Toletus.

Dei solius est cordium penetrare consilia.

Luc. 24.

Titus Bostr. Episc.

2 Ex varijs argumētis diuinitatis cognitiunculā Ethnicorū desumpsit solertia. Ex productione ad primam causam deuenit Arist. dum inquit, quòd cùm processus in infinitum in essentialitèr ordinatis dari nequeat, in aliquo vno mouente, & non moto sistēdum sit; quare 11. Methaphisices Deum actionem vocat æternam: *Deus actio est, illa porrò actio, quæ per se est, & optima, & æterna.* Ex motu Deum esse inferrē videtur Virgilius, dum canit:

Arist.

Prin-

Virgilius. *Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ex hominum vita Seneca: *Quis dubitare potest mi Lucili, quin deorum immortalium munus sit, quòd viuimus?* Et ex eorum quorumnam præstantia *Tullius.* Tullius: *Nemo vnquam vir magnus sinè aliquo afflatu diuino fuit.* lib. 1. de nat. deorum. Sic ad aliquem Deitatis haustum per diuersa peruenerunt diuersi; verùm nec præfatis, nec alijs non paucis breuitatis causa omissis, perfectum veritatis lumen illuxit; quia etsi independenter producere, iugiter cõseruare, immobiliter mouere, & rationalem corporibus animam infundere diuinum sit, non humanum; humani tamen cordis scrutari latebras, illiusque intueri arcana nequaquam diuinum solummodò, sed diuinissimũ quid censendum existimat Chrysostom. hom. 22. in Ioann. super illud: *Ioan. c. 2.* *Ipse enim sciebat quid esset in homine.* cap. 2. cùm ait: *Humanorum autem cordium cognitio solius Dei est, qui ea formauit. Tu enim, inquit, cognoscis corda solus.* Hinc visionis cognomine in sacris paginis gloriari videtur, nam vbi nostra vulgata habet: *Tu Deus, qui vidisti me.* Gen. 18. cùm in Hebræo Roi, quod visionem sonat, habeatur, legunt alij: *Tu Deus visionis.* Nec aliter illud Reg. 1. c. 2. *Deus scientiarũ Dominus,* vertit Theodoretus, dum habet: *Deus cogitationum, &c.* quia diuinum adeò est humani cordis intueri consilia, vt ipse Deus alio non videatur se cognomine gloriari, nisi cogitationis, ac visionis. Quod Ethnicis si illuxisset, non ad productionem, conseruationem, motum, aut prouidentiam pro Dei cognitione confugissent, sed illicò eum ex mentium comprehẽsione intellexissent, sicuti Nathanaelẽ effecisse reperio, qui vt sui animi arcana Christo patere aduertit, extemplò eũ Dei filium nuncupauit: *Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Ioan. 1. *Ioan. c. 1.* *Idest,* ait Carthusianus, *ex istis signis agnosco, quòd sis Christus rex Israelitica plebis. Nam cordium secreta, & absentium verba nullo narrante cognoscere, eos quoque, & facta eorum spiritualiter cernere tàm perfectè, Dei est proprium. Idcò profiteor te filium Dei, & regem Israel, idest, Deum, et hominem.* *Carthusian.*

Gen. c. 18. *Reg. 1. c. 2.* *Theodoret.*

Illicò Dei filiũ Christũ prædicauit Nathanael, & quare?

3 Verùm quoniam hanc Nathanaelis confessionem tetigimus, strictim minimè prætereundum censeo, quòd non sinè mysterio haudquaquam pro ea sic à Christo laudatus perhibetur, sicuti pro cõsimili Petrus; nam vbi Christi Diuinitatem vix intonante isto: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matt. cap. 16. vicem statim pro testimonio accepit, dum & beatus, & firma Ecclesiæ petra, & terræ, cælique clauiger, & æterni Patris discipulus, & Spiritus sancti filius appellatur: *Beatus es Simon Bar. Iona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum.* ibid. vndè Hilarius in catena relatus: *Dignum autem confessio Petri præmium consequuta est, quia Dei filium in homine vidisset, vndè sequitur: Beatus es Simon Bar Iona, &c.* nullam ille pro consimili confessione mercedem accepit. Quapropter Vgo Card. *Quærit autem Chrysost. hom. 55. quare Nathanael nõ beatificetur à Christo pro hac confessione, sicut Petrus Matt. 16. & videtur, quòd iste potiùs deberet beatificari, quàm Petrus, qui post multa miracula visa confessus est filium Dei esse Christum; iste verò nullo viso miraculo.* Quod etsi perfectæ vnius, imperfectæque alterius cognitioni Chrysostomum ascribere dicat, quòd scilicet vbi Petrus veram Christi Diuinitatẽ, veramque Dei confessus est filiationem; adoptiuam solummodò prædicauit Nathanael: *Respondet Chrysostomus, & dicit, quòd licèt eadem verba dixerit vterque, idest Petrus, & Nathanael, non tamen eodem intellectu. Petrus enim intellexit ipsum esse Dei filium naturalem; Nathanael verò non, nisi per gratiam specialem.* aliam nihilominùs statim pro re nostra rationem ipse adducit, eam nempè, quia

Matt. c. 16. *Ibidem.* *Hilarius.* *Vgo Card.* *Idem.*

Concludens diuinitatis argumentũ, meotium rimari cogitationes.

nulli humanæ rationi nixus, nulloque victus argumento id confessus est Petrus, ad quod irrefragabili probatione ductus uidetur Nathanael. Quòd si quænã fuerit hæc sic cõuincens Diuinitatis probatio, expostulas, audi ipsum: *Potest aliter resolui, quòd licèt eadem fuerit Petri, & Nathanaelis confessio, non tamen idem mouens ad confessionem, sicut patet ex circumstantia literæ. Hic certa signa Diuinitatis exhibita fuerunt Nathanaeli, scilicet cognitio secretorum: In Matthæo verò magis fuit oppositum, quia cùm quidam dicerent ipsum esse Ieremiam, alij Ioannem Baptistam, aut unum ex prophetis, Petrus nullo horum persuasus, simpliciter confessus est Christum esse filium Dei; & ideò dictum est ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, id est homo, vel ratio humana, sed Pater meus, qui est in cælis.* Hactenùs ipse, tu autem si illa præsertim, *Hic certa signa Diuinitatis exhibita fuerunt Nathanaeli, scilicet cognitio secretorum*, perpẽdes, irrefragabile Diuinitatis argumentum esse percipies, mentium cognoscere cogitatus. Quod apertissimè insinuare volẽs Saluator, nedùm Nathanaelem pro tali testatione non laudat, verùm attestanti etiam dicit: *Quia dixi tibi: Vidisti sub ficu, credis: maius his videbis.* ibid. manifestius, vt arbitror, dicere volens: etsi alio ex capite vt verũ Israelitam omnis doli expertem te laudem, atque extollam, præconijs tamen pro hac confessione non effero; quia non vt Petrus Patre reuelante, atque dictante, sed argumẽto irrefragabiliter cõuincente me declaras, & prædicas.

Pro testimonio de Christo perhibito, vicẽ recepit Petrus, non autem Nathanael, & quare?

Ioan. c. 1.

4 Transuolo, vt parùm à modò dictis differentem, illam Ioannis Feri obseruationem, quòd idcircò præclarissima illa Thomæ confessio, quæ vtramque Christi declarabat naturã: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioan. 20. illaudata remãsit, quia ex præcordium suorũ comprehensione (à qua facillimè Diuinitatis in comprehendente infertur cõsequẽtia) procedebat: *Quia audiebat eum non latere, quę ipse priùs dubitando dixerat, ideò eum & Dominũ, & Deum cõfitetur. Dominum, quòd mortem vicerit: Deũ, quòd occulta sciret, & prænosset.* Nec multùm in persubtili illa Chrysologi obseruatione immoror, quòd idcircò Pharisæi mentem aperuit, illiusque arcana detexit Christus, dicendo: *Simon habeo tibi aliquid dicere: Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c.* Luc. 7. quia de se illum malè sentientem videbat: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est,* vt experimentum igitur de se redderet, cordis patefacit consilia. Vndè Chrysologus serm. 94. *Pharisæus Christum prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Quid putas creditura erit, cùm mox eum mentis suæ arbitrum, cordis sui iudicem, testem conscientiæ suæ, cogitationum suarum didicerit cognitorem? Putasne, nel tunc fatebitur Deum, quem modò post uirtutes tantas iudicat nec Magistrum?* Nec deniq; (vt multa de re hac omittam) diù in verbis illis sisto: *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* Ierem. 17. cùm propterea se cordium scrutatorem vocare optimè noscam, quia ipsius solius est hæc efficere, non alterius. Quarè Vgo Card. *Ego Deus scrutans cor, id est, sciens cogitationes, et examinans affectiones. Prouerb. 16. Spirituũ ponderator est Dominus. Tantæ enim tenebræ sunt positæ super faciem abyssi, id est, cordis humani, ut nec etiam homo possit propriam conscientiam uiuere. Vndè 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum. Sed de Domino dicitur Ecclesiast. 23. Oculi eius lucidiores sole circumspicientes omnes vias hominum*; & moram aliquam facio in verbis illis: *Verè Deus uester Deus deorum est, & Dominus regum, et reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire mihi hoc sacramentum* etc. Daniel. 2. vndeque accidit, quòd Nabuchodonosor sui cordis detectis arcanis, non Danielem, nec Danielis sapientiam laudat; sed totus in veri Dei confessione, atque præconiis occupatur, perlibenter audirem; nam si somnia, quæ à sua mente euolarant, sic à Daniele didicerat, vt omnem solicitudinem, hæsitationemque deponeret, ipsum etiam commendare debebat: cur igitur in Deum solummodò extollendo occupatur? At prudentissimè quidem,

Ioan. Ferus.

Chrysolog.

Ierem. c. 17.

Vgo Card.

Diuini sunt oculi, nõ humani, qui hominum circumspectiõ via.

Daniel. c. 2.

non

Digitized by Google

non Danielem, nec Danielis ſapientiam commendat, ſed in Deo cognoſcendo, atque laudando totus eſt babylonius rex; nam cordis inſpicere intima, illaque propalare diuinum, nō humanum eſt opus. Audiatur Richard. Vict. lib. 1. de eruditione interioris hominis par. 1. c. 41. *Ex eo enim quòd ſibi ſecreta cordis ſui, & ex eo itē quòd ſibi arcana conſilij diuini reuelauit, mira ingenij viuacitate ſummæ diuinitatis reuelationem perpendit. Ex eo autem quòd de ſecreto ſui cordis audiuit, & verum probauit, verum & illud eſſe collegit, quod de diuinitatis conſilio, & propoſito interim per experientiam probare non potuit. Prudenter igitur animaduertit ſummam ſapientiam eſſe, quæ Danieli potuit in tàm tenebroſo humani cordis abyſſo alienæ conſcientiæ ſecreta aperire.* Vides itaque, quòd nil ſic euidenter diuinam pandit virtutem, ſicuti arcanorum comprehenſio, dum veri Dei alioqui gnarus, ex hoc ſolūmodò illū extollit, & prædicat. Hinc D. Bonauentura in S. P. N. Franciſci officij cōſcriptione miratur quidem, quòd confeſſor ſimul eſſet, & martyr. Vndè clamat: *O martyr deſiderio!* Demiratur etiam, quòd fide tali polleret, vt nunc irrationabilibus, ac ſi ratione præditis, imperaret, nunc elementa mutaret, nunc vt alter Moyſes miraculis clareret, atque portētis. Quarè ſubdit: *O virum mirabilem inſignis, & prodigijs!* At quòd cordium rimaretur ſecreta, & latentes in eis cogitationes introſpiceret, vt (omiſſis alijs de hac re ſcribentibus) fruct. 15. cap. 2. pluriès acciditſſe refert Piſanus, cùm ait: *Septuageſimum primum exemplum ad hoc eſt de fratre Maſſæo, cuius B. F. vidit cordis arcana, cùm intra ſe murmuraret, quòd B. Franciſcus fecerat eum circumuolui velut pilam coram multis, quod ipſe prænidens dixit fratri Maſſæo, qui ipſum præcedebat: Ad ea quæ nunc cogitas, te teneas, quia illa bona, & vtilia ſunt tibi, & à Domino inſpirata: murmuratio verò prima, quam faciebas, eſt cæca, & mala, & à diabolo tibi in anima ſeminata.* Et paulò ſuperiùs: *Quidam frater de Marſicana cuſtodia cùm grauem pateretur tentationem, in cor eius aſcendit, quòd ſi haberet de vnguibus B. Franciſci à tentatione, quam patiebatur, illicò liberaretur. Et vt obtineret, quod cogitauerat, acceſſit ad locum vbi B. Franciſcus reſidebat, & cū à ſocijs B. P. de vnguibus peteret, & illi dicerent, quòd hoc fieri non poſſet, quia ſtatim vngues præciſas B. P. iubebat ignidari B. Franciſcus cognoſcens præfata Spiritu Sancto reuelante fratrem prædictum ad ſe vocari faciens, dixit: Quæras mihi forcipes fili, quod & fecit. Et beatus Franciſcus vngues precidens fratri dedit, vt optabat, & illicò frater fuit ab omni tentatione liberatus.* Et antè: *Quādò figuratus eſt in curru igneo, & apparuit fratribus, tunc conſcientię fratrum ad inuicem nudę factę ſunt, & B. Franciſcus ad fratres reuerſus cæpit ſecreta cordium rimari, & futura prædicere.* Non eſt miratus ſolummodò, ſed obſtupuit etiam D. Bonauentura, quapropter veluti extra ſe factus, hunc proclamare cæpit in modum: *O ſtupor, & gaudium, ò iudex homo mentium!* patentiùs ac ſi diceret: quòd doctrina quis fulgeat, miraculis quis ſplendeat, virtutibus quis clareat, quòd denique in terris quis degens angelicum viuendi ritum æmuletur, non miror, cùm diuina homines adiuti gratia, hęc, aliaque operari queant; at quòd humanitatis homo transgreſſis (vt ità dicam) limitibus, hominum intueatur præcordia, admirari prorsùs debeo, ac ſtupere, cùm diuinum ſit opus hoc, non humanum. Sic quàm proprium Dei ſit hominum rimari conſcientias, ipſa ſua admiratione declarat Bonauentura, dum ſpeciali etiam Dei priuilegio aliorum quem intueri præcordia miratur, ac ſtupet.

Richar. Victor.

Cur detectis ſui cordis arcanis, Deum, non Danielē babylonius rex laudat, & prædicat?

D. Bonauēt.

Piſanus.

Cordium Frāciſco patebāt ſecreta.

Stupendus ob hoc à D. exiſtimatur Bonauentura.

5 Cœterùm ſi cordiū penetrare conſilia diuinum, non humanum eſt opus, illa pro libito mutare, minorē certè non prætendet virtutem. Hinc Chryſologus ſer. 156. ex duobus illis præclaris filij Dei facinoribus, quòd ſcilicet in eius ortu ſplendidioris luminis oriretur ſidus; & quòd ad ſe adorandum Magos aduocaret, ſatis priore poſterius præſtantiùs aſſerit; quia fortior ad corda emollienda, atque mutanda requiritur manus, quàm ad ſidera producenda: *Plùs cęleſte*

Chryſolog.

leſte de magis, quàm de ſtella ſignum eſt: quòd Iudæi Regem, quòd legis auctorem magus ſcit. Mòx dictus Chryſologus. Origenes prætereà in catena relatus, aquæ in vinum conuerſionem, ac iudaici tumoris, furoriſque compreſſionem conſiderans, ſuper verba illa:

Ioan. 2. *Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Ioan. 2. longè maiorem virtutem in cordium edomatione, quàm in miraculorum patratione Saluatorem

Origenes. oſtendiſſe, hiſce declarat verbis: *Præſens autem hiſtoria in nullo minorem poteſtatem prætendit his quæ ab eo miraculoſius edita ſunt: quinimò conſtat hanc maiorem demonſtrare potentiam miraculo, quo aqua conuerſa eſt in vinũ; eò quòd illic inanimata ſubſiſtit materia, hic verò tot millium hominum domantur ingenia.* Gregorius poſteà lib. 3. dialog. nec ex ipſa mortuorum ſuſcitatione ſic deitatis potentiam inferri poſſe opinatur, ſicuti ex mentium mutatione. Vndè de Sauli conuerſione, & Lazari reſurrectione ſic fatur:

Miraculorũ miraculum cordiũ mutare cõſilia.

Gregorius. *Maius eſt miraculum peccatorẽ conuertere, quàm carne mortuum ſuſcitare. Lazarum quippè carne Dominus ſuſcitauit, Saulũ mente.* Et hęc (ni hallucinor) vna eſt ex potiſſimis cauſis, cur Paulus pręciſè pro trophæo ſit à Chriſto aſſumptus: *Vas electionis eſt mihi iſte, &c.* Act. 5. quia nullum adeò (vt ità dicã) Excelſi opus apparuit, vt rabidæ voluntatis actus frenare, illiuſque mutare decreta. Quarè Auguſtin. lib. 2. de ſimplic. quæſt. 2. *Quàm rabida voluntas, quàm furioſa, quàm cæca in Saulo! tamen vna deſuper voce raptus eſt: occurrente vtique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.* Ac ſi diceret: hæc cantatiſſima ſunt Chriſti Domini miracula, hęc excelſæ dexteræ facinora, hæc mutationes illæ, de quibus regius cecinit Vates: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Pſal. 76. ex improbo probum; ex perſequente obſequentem; & ex Saulo Paulum efficere. Nec ab re opus Altiſſimi cordium emollitionem, illorumque edomationem aſſerui, quãdoquidem quaſi impotens (vt ità dicam) ad humanæ mẽtis mutanda conſilia ea ſola vis, qua miracula patrantur, validiſſima Dei ad hoc miraculorum miraculum requiritur manus. Quod ad vnguem Deum ipſum dixiſſe comperio, cùm de Pharaonis ſoquens duritie, hæc habuit: *Multiplicabo ſigna, et oſtẽta mea in Terra Ægypti, & non audiet vos.* Exod. 7. patentiùs, meo iudicio, ac ſi dixiſſet: ecce ad ægyptij regis emolliendam duritiem, eiuſque mutanda conſilia, & compeſcendum furorem ea applicabitur manus, quæ elementa mutabit, quæ cælum, terramque miraculis replebit, quæ irrationabilia ipſa (vt ſic inquam) in ſtuporem adducet; Pharaonem tamen meliorem non faciet, vndè ad illum à propoſito remouendum fortior erit adhibenda manus. Diſertè nimis in lib. de panibus Abbas Cellenſis cap. 17.

Exod. c. 7.

Abbas Cellenſ. *O quàm ponderoſum, quàm graue ad leuandum, ſeu relenandum cor hominis! Laborat manus omnipotentis eripere, nec liberat; verbis præmonet, & verberibus vrget, nec tamen de foſſa ſua beſtiam ſæuientem extrahere poteſt.* Sic ipſe, tu verò dum ad hominum mutanda conſilia non ordinariam, ſed extraordinariam potentiam requiri aduertis, quale diuinitatis ſit argumentum hæc efficere, percipere haudquaquam difficilè poteris.

Laborare in hoc, ſi fas eſt dicere, Omnipotẽtis videtur manus.

6 Demirabar multotiès, & iuſtè quidem, quòd Chriſtus, qui dominatus ſemper ſubticuerat vocabula, in aſinæ illius ſolutione, quam ad ſe adduci imperauit: *Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi.* Matt. 21. liquidò ſe Dominũ nuncupauerit: *Si quis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet.* ibid. *Sed cur humilis Ieſus ſeipſum ſublimi nomine exprimit, quod Deo eſt proprium: ſicut per Iſaiam teſtatur: Ego Dominus hoc eſt nomen meum?* ait Carthuſianus art. 27. qui antè me difficultatem inſpexit, quam etſi ſoluat: *Dicendũ quòd Chriſtus hac die voluit maieſtatem ſuam verbis, ac factis multipliciter demõſtrare,* antè ipſum tamen, quæ hæc eſſent mirabilia, declarauit Chryſoſtomus hom. 71. in Matt. dum dicit, quòd adeò pauperculorum corda mutare, vt ſua, ac ſi non ſua, perlibentèr dimitterent, non vulgare, ſed admirabile Altiſſimi opus fuit: *Non fuit*

Matt. c. 21.

Carthuſian.

Chryſoſt.

res

Cur discipulis asinam soluentibus, & pullũ illorũ non restiterũt Domini?

res ipsæ paruæ, quis enim illis persuasit, præsertim pauperibus, ac forsan agricolis nullo modo aduersari? Cur dixi non aduersari, sed nec interrogare quidem, aut interrogantes responso audito tacere, atq; cedere? Nam vtraque ista paritèr mihi mirabilia, & inaudita videntur. Non enim parum est, cùm tractarentur immensa nihil dixisse: & si dixerunt, cùm audissent, quia Dominus illis indigeret, cessisse, maximè cùm non ipsum, sed discipulos eius viderent. Et hom. 37. operis imperfecti: *Quoniam euntes Apostoli soluerunt asinam alienam, ministerium quidem fuit eorum, virtus autem, & auctoritas Christi. Nec enim potuissent tollere iumentum alienum ab illo Domino, qui eos non cognoscebat vadè essent, nisi præueniens spiritus Christi cor Domini eius præparasset ad dandum.* Hactenùs ipse, tu verò dum cordium mutare consilia non hominis, sed Dei opus esse agnoscis, cur dominatus vocabulum, quod alibi subticuit, hic declaret, colligere haudquaquam difficile poteris.

Sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati. Luc. c. 24.

§. III.

Æquæ dignitatis magnitudini sit humilitatis mensura.

1 MVltũ quidẽ per omnem modũ humani eloquij superat facultatẽ breue hoc Saluatoris epithalamium: *Sic oportebat Christum pati.* Luc. 24. quia si asseretur, quòd non necessitate simpliciter, sed secundum quid; non consequentis, sed consequẽtiæ; non coactionis, sed suppositionis, hoc est, stante diuinæ voluntatis decreto sic oportebat Christum pati. Si dicetur, quòd vt scripturæ adimplerentur prophetarum, vt possemus dicere, quòd sicut audiuimus à Vatibus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius, & mortem, & sic eam subire debebat Redẽptor. Si propter sui nominis exaltationem, humani generis saluationem, sanctorum de limbo eductionem, cælestis patriæ aperitionem, & supernę Ierusalem reędificationem ipsum sic pati oportuisse asseuerabitur; adhuc, & quòd ad insinuandam iustorum callis angustiam, quæ vtriusque pedis diuisim vestigia non admittit, vt fer. 4. Dom. 2. §. 1. partis 1. diximus: ad significandam cæli ianuę exiguitatem, quæ inclinatos tantùm, curuosque capit, non tumoris vento inflatos; & quòd ad tolerantiæ necessitatem exprimendam sic Dei filium nostræ humanitatis tegmine indutum calicem bibere oportuisse dici posset: & sic impar semper paruis hisce verbunculis: *Sic oportebat Christum pati.* humanum se ostendit eloquium. Verùm hoc non obstante sermonis defectu, stricte minimè prætereundum puto, quòd non simpliciter Christum pati, sed sic ipsum pati oportuisse dicatur: *Sic oportebat Christum pati.* quia non qualisqualis Christiani debet esse humilitas, sed sicut se exaltatũ intelligit, sic humiliare se debet, vt exaltationis modus humiliationis metrũ sit, & mensura; dicente Eccles. c. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et post ipsum Augustino: *Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est.* Quod Ethnicos haudquaquam latens, canere nouit Seneca Tragæd. 6.

Quo fortuna altiùs
Euexit, ac leuauit humanas opes.
Hoc se supprimere magis felicem decet.

Et Propertius l. 3. eleg. 3. sub nautæ metaphora ad proportionem, æqualitatẽq; magnitudini humilitatẽ respondere debere carmine edoucit illo:

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Et denique, cæteros vt omittam, mirabili spicarum exemplo, quæ iuxtà plenitudinis se inclinant mensuram, idipsum insinuauit Plutarchus, cùm ait: *Spicæ inanes eriguntur quidem, plenæ verò cùm fuerint, ad terram se pronæ demittunt.* Quæ doctrina vt tibi fidei lumine prædito magis, magisq; illuceat, audi.

Cur Christũ pati, & sic pati oportuit, explicatur,

Luc. c. 24.

Eccles. c. 3.

Augustin.

Seneca.

Exaltationis modus humiliationis debet esse mensura.

Propert.

Plutarchus

2 Tot,

Digitized by Google

2 Tot,tantaq; ſanctiſſimi Dauidis erant præconia, vt cùm nec cælũ illa facilè enarrare poſſet, nec firmamentum expeditè opera manuum eius nunciare valeret,diuino,vt ità dicam, laudari ore oportuit;his tamen non obſtantibus, quòd ſemel choreas ante Domini arcam duxiſſet: *Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominũ.* 1. Reg. 6.ſuper omnia eius opera extollendũ cenſuit Angelomus monachus,qui in præfatum ſcripturæ locum hæc inter cætera habet : *Quid de eius factis ab aliis ſentiatur, ignoro : ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo,quàm pugnantem.* Ac ſi diceret : laudo equidem tanti viri integritatis decus, æquanimitatis prærogatiuam,humilitatis inſigne,charitatis fauum , miſericordiæ viſcera, & gratiæ plenitudinem . Extollo certè, quòd nunc leonum fregerit ora,vrſorum diſſipauerit brachia , cum ipſis, veluti cum agnis,luſerit,Goliam ſtrauerit , numeroſa præputia reportauerit,& quòd hoſtes innumeros fugauerit, atque peremerit. Commendo ſanè quòd ſqualido corpore,& indumento virtute ſola floreret,quòd corpus penè ſinè cibo, velut materiæ expers, retineret, quòd noctes inſomnes in oratione duceret, quòd vt in exultatione meteret, lacrymarum ſeminauerit fontes; at quòd poteſtatis oblitus,dignitatiſque immemor ante Dominum ludendo, alternis ſaltibus loca colluſtraret diuerſa,prorsùs obſtupeo. At cur hoc bone Deus ? Cur virtutum eminentiã , agonis ſublimitatem, & donorum non miratur ſuperabundantiam, quòd ſaltus maximè commendat,ac ſtupet ? An fortè quia ſic ab humanis mentibus humiliatis abierant veſtigia, vt humilem quem,& dignitate præſertim tali pollentem videre,admirationem incuteret,atque ſtuporem? Ità prorsùs præfatus ſentit Angelomus, dum ſubdit: *Pugnando quippè hoſtes ſubdidit : ſaltãdo autem coram Domino ſemetipſum.* Nec futilis certè ſententia, nam poſt ipſum Thomas de Kempis ſerm. 27. ad nouitios adeò priſcis præſertim temporibus humilitatem deperditã fuiſſe aſſerit,vt nil ſic mundum in Saluatore admiraſſe fateatur, quàm ipſam;vndè admirandum illud Chriſti opus , quod mundum totum in ſtuporem adduxit, eodem dicente Saluatore: *Vnum opus feci,& omnes miramini.* Ioan.7.non tàm paralitici curationem,vt ſentiunt multi, nec panum multiplicationem, debilium conſolidationem, leproſorum mundationẽ, dæmonum eiectionem;neq; mortuorum reſurrectionem ; ſed humilitatis oſtenſionem fuiſſe opinatur, cùm dicit : *O quàm ſtupendum ſignum fecit Ieſus , cùm ſeipſum præbuit omnibus verę humilitatis exemplum ! omnium ſuper omne mirum , quòd omnium ſanctorum Sanctiſſimus , & omnium dominator altiſſimus ſit omnium ſeruorum ſeruus infimus : quòd ſumma Maieſtas inclinauit ſe ſponte infra homines ſimplices , & pauperes,dicens: Ego in medio veſtri ſum,ſicut qui miniſtrat : non enim veni miniſtrari,ſed miniſtrare.* Solertèr igitur humilitatem præcipuè in Dauide admiratur Angelomus, dum hanc maximè obſtupuit mundus in Chriſto. At his ego minimè contentus, etſi à præfata non diſſentiam opinione, quòd miranda nimirum Dauidis fuit humilitas ; tamen non tàm quia tunc in multis deperdita nec quia in regio aſſeruaretur corde,in quo aſcenſiones alij diſponere ſolent,non deiectiones, quàm quoniã in ſaltãdo præſertim illã oſtendere voluit,mirãdum prorsùs exiſtimo ; nam ſi humilitatẽ prætenderat ſemper , cur in ſaltando illam maximè oſtẽdere ſtuduit? *Cùm arcam Dei in Ieruſalem reuocaret* , ait præfatus Angelomus , *quaſi oblitus prælatum ſe eſſe, omnibus admixtus populis ante arcam ſaltabat: Et quia coram arca ſaltare (vt creditur) vulgi mos fuerat, rex ſe in diuino obſequio per ſaltũ rotat. Non poteſtas ad memoriam reducitur, nec ſubiectorum oculis ſaltando uileſcere metuit ; neq; ſe honore prælatum cæteris recognoſcit . Coram Deo egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret , quæ coram hominibus geſſerat fortia* . Verũ myſterio minimè caret, quòd in ſaltando præcipuè ſuam præferre humilitatẽ ſtuduerit, quia ſi is,qui corporaliter ſaltat , ſic iuxtà aſcenſus menſuram deſcendit , vt vna,eademque aſcenſus,deſcenſuſque eſſe

2.Reg. c.6.

Angelom.

Idem.

Ioan. c.7.

Thomas de Kempis.

Angelom.

Miraculorũ miraculum cum principatu humilitas.

eſſe videatur, cùm tantum ipſe per mentis deſcenderet deiectionem, per dignitatem quantum aſcenderat, ſaltibus præſertim ſuam oſtendere humilitatem debebat. Meum nō eſt hoc, quod dico, ſed Gualfridii, qui apud Tilmannum hæc habet: *In ſaltu nunc ſumma petimus, nunc ad ima redimus. Sic agit, qui contemplatur diuina, et humiliatur iterum ad intuenda, vel agenda humana. Aſcendat homo, vt Deus ei dulceſcat. Deſcendat, vt ſibi ipſi vileſcat, &c. Magnus eſt, quem humiliat exaltatio, malus, quem nec humiliato. Sapiens in utroque humilis eſt, & deuotus: in quibus duobus eſt deſcenſus ſaltationis, et aſcenſus.* Saltet igitur, & in ſaltibus ſuā oſtētet humilitatem humillimus rex, quia his maximè ad vnguem dignitati reſpondere humilitatem, declaratur.

Gualfridius

Saltibus Da uid ſuā oſtēdere humilitatem ſudeba., & quare

3 Feſtinum illum Zachæi è ſycomoro deſcenſum: *Zachæe feſtinans deſcende.* Luc. 19. ad hoſpitalitatis vtilitatem reducit Ambroſius lib. 8. in Lucam. Ad crucis zelum Chryſologus ſerm. 54. Ad ſummam Chriſti dignationem S. Bonauentura ſuper præfatum Lucæ locum. Ad temporis opportunitatem, & Zachæi vtilitatem Brugenſis. Ad vitæ actiuæ, & contemplatiuæ conditionem Vgo Card. Ad feruorem, & animi promptitudinem, qua bona opera ſunt peragenda Carthuſianus. Ad vitiorum, & præcipuè ſuperbiæ fugam Gorranus. Ego verò Gualfridium ſuper verba illa: *Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes.* Gen. 28. dicentem audiens: *Deſcendunt, dum ſectatores Angelicæ puritatis quanto magis proficiunt, tanto humiliores exiſtunt*; aliam de feſtino deſcendendi præcepto rationem reperio, illam dico in dignitate, & humilitate; in exaltatione, ac depreſſione, vt ex magnitudine ſ. humilitatis quiſq; ſibi deſumat menſuram. Theophylactum ad hoc cogitatum adduco, qui ſuper citatum Lucæ locum hunc fatur in modum: *Sic excelſior ſe factus, aſcenſione ſque in corde ſuo ponens, videtur à Ieſu, dicitur que ei: deſcende, hoc eſt, aſcendens per pœnitentiam in ſublimiorem vitam, deſcende per humilitatem. Ne se ſupplantet ſuperbus ſenſus, feſtina, humiliare.* Hinc Sponſus Sponſę commendans pulchritudinem, cogitationum præcipuè per capillos figuratarum formoſitatem exaltat: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcendunt de monte Galaad.* Cant. 4. & non ob aliud has præſertim extuliſſe arbitror, & prædicaſſe, niſi quia dum hæ aſcendunt quidem, ſed de monte, non ad montem, duos ſanè motus, vnum ad locum, & de loco alterum ſic nectunt, & copulant, vt nec tempore, nec magnitudine deſcenſui præcellat aſcenſus: quinimò inſeparabilitèr, atque ad vnguem huic ille reſpondere, atq; cōcordare videatur: de quo eximio Sponſæ preconio quia fusè in §. 4. fer. 3. Dom. 2. partis primæ diſſeruimus, ad illam te mitto.

Luc. c. 19.

Gualfridius

Theophyl.

Deſcendere debet, qui aſcendit.

Cant. c. 4.

Cū motu ad locum illum de loco copulare debet humilitatis ſectator.

4 Inflecto nunc calamum ad Cēturionem illum, qui vltra fidem, (qua adeò pollebat, vt diuino commendari meruerit eloquio, non humano) in regendo ſolertia, in ſubueniendo pietate, in largiendo liberalitate, in perferendo fortitudine, aliiſq; multis etſi clareret virtutibus, pro re tamen, quam præ manibus habemus, eius ſtrictim non eſt prætereunda humilitas; nàm non muneris dignitate elatus, ſed naturæ conditione factus humillimus, non vt Pilatus poteſtatem ſe habere iactabat, ſed ſub poteſtate ſe eſſe fatebatur: *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus.* Matt. cap. 8. At cur bone Deus, hoc improprio vtitur loquendi modo, & Cui non vocandi, ac mittendi, gerendi, atque imperandi facultatem habere ſe dixit, quòd ſub poteſtate declarat? An fortè vt æqualem dignitati humilitatem prætenderet, ſic poteſtatem præpoſitione illa, *ſub*, temperabat, vt quantum per hanc aſcendebat, tantum per præpoſitionem deſcenderet illam? Bernardi hæc videtur ſententia, qui apud Tilmannum virum iſtum, omni laude dignum extollens, hunc ait in modum: *Non iactabat Centurio poteſtatem, quam nec ſolam protulit, nec priorem. Dicturus quippe habens ſub me milites, præmiſit, homo, ſine poteſtate, prius ſe agnouit hominem, quàm poteſtatem. Homo, inquit, ſum, & homo ſub poteſtate. Iam quidquid inferas, ſuſpectam non habet*

Matt. c. 8.

Bernardus.

Dignitati reſpondit Centurionis humilitas.

Digitized by Google

bet iactantiam. En quomodò prælla-tum elucet Sponsæ prœconium, dum fide plurima Deo sponsata Centurionis anima donorum, virtutumque gressibus ascendit sanè, sed de monte, non ad mõtem; nam dũ se sub potestate fatetur, *Nec potestatẽ solam protulit, nec priorem*, sed sic duos inter se motus illos, ad locũ nempè, & de loco cõiunxit, vt vna, & eadem dignitatis videretur, & humilitatis mensura.

5 Verùm si contrarios hosce motus ad locum scilicet, & de loco nectere nouerunt seruuli, quid virtutum Dominum effecisse putabimus? Quæ lingua dicere, quisque capere poterit intellectus, quàm benè, & non ad insipientiam nobis ille, qui quò ascenderet, non habebat, ascensum, quo ad nos, cum descensu copularet, & necteret? At audi amabò supremum illud humilitatis exemplum, quod in discipulorum pedum lotione ostendere non est dedignatus Saluator, scribere volens Ioan. sic ipsum exorsum

Ioan. c. 13. fuisse reperio: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &c. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum.* cap. 13. quæ verba mente quotiès reuoluo, quin totiès clamem, cohibere me nequeo: Quæ potestatis ad humilitatem, dignationis ad summissionem esse potest cõuentio? Quæ inter à Deo exire, & vestes exuere; inter omnia possidere, & seruulorum pedes lauare poterit reperiri connexio, quòd sinè primo posterius neutiquam describendum existimat Ioannes? Ast ò mysterium ingens equidem, atque diuinum! quonam efficaciori modo præfatos motus Magistrum copulasse exprimere potuisset discipulus, quàm sublimibus infima connectendo? Nullo prorsùs, vt igitur scientiarum Dominum ad proportionem ascensui (quoad nos inquam) descensum nexisse ostenderet, à præclaris, atque sublimibus humilia exorditur, & inchoat, ac si diceret: sub discipulorum plantis manus in quibus omnium erat sita potestas, cælestis supposuit Magister, vt quonam modo se discipuli demittere debent, addiscant, dũ propterea ipse (ni hallucinor) sic humiliter manus submittit, quia super omnia eas exaltatas videbat. Astipulatur huic meo cogitatui Greg. hom. 40. *Loquuturus de maxima humilitate assumptę humanitatis, prius commemorat aternitatẽ diuinæ potestatis, vt & ipsum verum Deũ, hominemq; demonstraret: & vt nos illius præcepti admoneret, vt quantò magni sumus, humiliemur in omnibus.* Clariusque post ipsum Vgo Card. *Sciens quia omnia, &c. Per hoc dans exemplum, quòd quantò maior est homo in potestate, quia omnia data sunt ei, & auctoritate, quia à Deo exit, & in sanctitate, quia ad Deum vadit, tantò debet se humiliare.* En quomodo exemplis magis, quàm verbis humilitatis Magister nedum Spõsam ascendere, & descendere simul; sed iuxtà ascensus mensuram descensum etiã docet, & præcipit, dum sub omnibus illas collocat manus, quas super omnia à Patre exaltatas videbat.

Gregorius.

Vt exaltatio humilitatis respõderet mensura, sub discipulorũ plantis manus in quibus omnũ erat sita potestas, sub mittit Saluator.

Vgo Card.

6 Faciat pro modò dictis de Saluatoris humilitate subtilis illa Richardi de S. Vict. obseruatio, quòd ob id nempè in solemni illo triũpho, in quo à communi puerorum, turbarumq; voce Rex proclamatus fuit, & Dominus, nõ super equum, sed super asinam sedere voluit, & pullum; quia iumentorum vilitate ima summis, & infima præclaris nectere intendebat: *Christus cùm appropinquasset Ierosolymis, asinum sibi adduci fecit, & super ipsum sedit. Scimus autem omnes asinum animal esse sordidum, & vile, mansuetum sanè, sed penè præ cæteris contemptibile: humilitatis itaque, vt arbitror, formam gerit, per quam animus sibi ipsi vilescit, & in cõtemptum venit, etc. Quis obsecro non dignè miretur choris præcedentium, & sequentium, & hinc indè psallẽtium asinum interesse, & inter tàm glorioſos, solemnesque apparatus animal tàm sordidũ apparere? Nã nec nouũ, nec mirum de virtutibus gloriari, sed illud magnum, atque mirandum, vnum, eumdemque hominem omnibus alijs mirabilem, sibi soli contemptibilem apparere.* Præfatus Richardus à Tilmãno allatus. Verùm hoc, vt vulgare, cursim transacto, moram aliquam facio in difficultate illa, vndè accidit,

Richard. à S. Victore.

Ima summis copulare exoptans, in solemni palmarũ die super asinam sedet, & pullum.

quòd

Digitized by Google

quòd cùm matri Chriſtus iuge præſtaret obſequium, nunquam tamen id apertè, diſtinctèque deſcribitur, niſi cùm de eius agitur incremento, quod non abſque obedientia illi, Ioſephoque exhibita deſcribendum cẽſuit Lucas: *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis, &c. Et Ieſus proficiebat ſapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* c. 2. Si, vt diuus ait Bonauentura, ad trigeſimum vſq; ætatis ſuæ annum illis obſequens conuixit, atque obediens, cur tunc præcipuè eius exprimitur obſeruantia? An fortè quia tunc præſertim, quoad manifeſtationem dumtaxat, eius ætatis, ſapientiæ, & gratiæ deſcribebatur incrementũ? Non certè aliter, nam ſecus ſi Euangeliſta effeciſſet, aſcenſum quidem enarraſſet, deſcenſum autem nequaquam; vt igitur aſcendere, & deſcendere ſic vnum in Chriſto fuiſſe oſtenderet, vt humiliatio in eo gloriæ videretur eſſe germana, vnum ſinè altero haudquaquã deſcribendum exiſtimauit. Sic rem D. attingit Bonauentura: *Loquitur hic Euangeliſta de priuata Ieſu vita in domo parentum: nam hoc ſolum narrat de Ieſu ab anno ætatis duodecimo vſque ad trigeſimum, quòd quemadmodum proficiebat corporis ſtatura, viribus, & acceſſu: ità vberiùs ſuper eo ſe promeret cæleſtis ſapientia, & reliquæ diuinæ dotes, &c. Si ergo quæres ab Euangeliſta, quid egerit Ieſus totis triginta annis antequam baptiſmum ſuſciperet: hoc ſolum reſpondet, quòd parentibus conuixit ſubditus illis, & profecerit, vt ætate, ità omni genere exercitiorum, actionumq; virtutis, quibus & Dei, & hominum gratiam ſibi cõciliauit.* Sanè vides, quòd deiectionis debet eleuatio eſſe menſura, dum quò egregior apparebat, eò ſe parentibus ſubdendo, de grege apparere non dedignabatur Saluator.

Luc. c. 2.

D. Bonauẽt.

Adeò ſe deſcẽdẽdo deſcẽdebat Saluator, vt vnũ, & idẽ aſcẽſus, atq; deſcẽſus in eo videretur.

7 *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* verba ſunt Iſaiæ cap. 2. quæ difficultatem ſemper mihi ingeſſere non modicam, fieri nimirũ quomodò poterit, quòd ad montem, qui ſuas radices ſuper montium fundabat cacumina, fluere poſſent populi, cùm deorſum fluuidæ tendere ſoleant, non ſurſum: *Sed quomodò fluent ad montem? Non enim ſolent ſurſum vergere fluuida, ſed deorſum. Inter medium montium pertranſibunt aquæ*, ait Gualfridius à Tilmanno allatus, qui antè me difficultatem inſpexit: quam neutiquam ſe ſoluiſſe exiſtimet, qui de Chriſto Domino, qui ſupra patriarcharum, & prophetarum montes ſuam ſtruxit altitudinem, cùm illos ſublimitate, & excellẽtia incõparabiliter præcelluerit, prophetiam fuiſſe aſſerit; nam eſtò quòd de ipſo (vti communiter ſentit expoſitorum caterua, à qua diſcrepare nõ licet) loquatur propheta, adhuc prima viget difficultas, ſi præcelſus erat mons, quomodò ad eum fluere debebant populi, non aſcendere? Si aurea illa tempeſtate, de qua hæc prædicuntur ſe ſe inuicem ad aſcendendum, non ad deſcendẽdum cohortaturi erant populi, vt immediatè ipſemet ſubdit: *Et ibunt multi, & dicent: Venite et aſcendamus ad mõtẽ Domini, & ad domũ Dei Iacob.* ibid. cur aſcendendi relicto vocabulo, deſcẽſuras tãtũ ipſe gentes prædicit? *Et fluẽt ad eum omnes gentes.* At ò myſterium! O Sacramentum! quia cum altitudine deiectio; cum eleuatione demiſſio; & cum ſumma conſpicuitate ſumma in hoc monte, in Chriſto inquam Domino, futura erat humilitas, mons quidem vocatur; ſed vallis non amittit vocabulum, vt ſole clariùs etiam cæci perſpiciant, quòd non ad ſublimia tantùm, verùm ad ima etiam tendere debẽbat ille, qui ad noſtram eruditionem ab aſcenſu deſcenſus ſumpturus erat menſuram. Viuat Gualfridij memoria, qui præallatis immediatè ſubdit: *Sed mons iſte præparatus in vertice montiũ omnibus quoq; vallibus humilior erat. Alioquin quomodo aſcendentes Angeli, & deſcendentes ſuper filium hominis viderentur? Erat quippè mõs præparatus, mons domus Domini in vertice montium, iuxtà illud: Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; ſed nihilominùs oportebat humilitatis Doctorẽ docendis omnibus humiliorem eſſe.* Sileat nunc Priſciani ſectatorum garrulitas, obmuteſcat prorsùs grammaticorum

Iſaias c. 2.

Gualfrid.

Ibid.

Idem.

Mons ſimul, & vallis Meſſias. & quare?

Digitized by Google

multiloquētia, quę motum ad locum cū motu de loco mordicùs necti posse negat; nam & Sponsæ (vt suprà diximus) ascendere de monte suadetur, & Sponsus sic ascendendo descendit, vt vallis simul, & montis rem sortiatur, & nomen.

8 Huc spectat subtilis illa Chrysologi obseruatio, quòd propterea omnium Dominus in cælis etiam seruis seruire minimè indignatur: *Beati serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Luc. 12. quia vt in ipsa etiā Patris gloria æquā suæ exaltationi humilitatis ostendat mensuram, cum ascensu descēsum nectere, & copulare studebit. Quarè præfatus clamat Chrysologus serm. 24. *Discumbenti homini Deus astat, & astat in cælestibus: Epulanti seruo seruit Dominus, et seruit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus: & facit in Patris iam gloria constitutus.* Quod argumētum prosequutus est etiam Vbertinus de Casali deuotissimus nostri seraphici ordinis alumnus super verba illa: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.* Luc. cap. 24. dum hunc fatur in modum: *Attende quanta dignationis fuit, quòd sic in specie peregrini in terras cum ipsis vadit, loquitur, confortat, arguit, inflammat, & scripturas exponit. Nonnè tibi videtur bonus Iesus ad primordia suæ humilitatis rediisse? Attende anima mea, misera, & in nullo tuo statu humilitatis tibi præbita virtutem relinque: quia Dei filius Iesus, cuius humilitas est sola dignatio, pietatis noluit actum omittere, propter gloriam resurrectionis assumpta.* Quæ si de Christo, & in ipsa Patris gloria constituto dicta intelligis, quàm demissè de te sentire, quamque coram Deo, & hominibus humiliare te debeas, percipere haùd difficilè poteris.

Luc. c. 12.

Chrysolog.

Etiam post resurrectionem iuxta gloriæ magnitudinem humilitatis Christus ostēdet mēsuram.

Luc. c. 24.

Vbertinus.

Tunc aperuit illis sensū vt intelligerēt Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Luc. 24.

§. IV.

Non vulgari sacrarum scripturarum pollere debet notitia, qui concionatoris munus assumit.

1 TEr homines oratores esse debere, teste Laertio lib. 6. Diogenis fuit sētētia, & ex eo sanè deducta, quia si vulgò infra hominem nuncupari consueuit, qui doctrinæ est expers, supra hominem existimari meritò debet, qui hac se refertum, præditumque ostendit: verùm quia non sat quæuis est oratori doctrina, non semel, sed ter hominem, vel vt ità dicam, ter supra hominem ipsum esse debere solertissimus censuit Philosophus. Cuius rei ignarus neutiquā Themistocles, vt dignè magistri partes obiret, longissimum in literarijs exercitationibus vitæ cōsumpsit curriculum. Vndè de eo Brus. lib. 3. c. 31. *Themistocles expletis centum, & septem annis, in ipso mortis agone dixisse fertur, se omnes ætatis dies literarum honestissimo, ac philosophiæ sacratissimo studio consumpsisse ad hominum vsum: verùm se dolere, quòd tunc egrederetur de vita, quandò ex literarum studio sapere cæpisset.* Et Demosthenes non absq; labore multo, vigilijs magnis, noctibusque quampluribus studiorum causa

Ter homines esse debent concionatores.

Brus.

Digitized by Google

cauſa inſomnibus ductis ſe oratoris munus aſſumpſiſſe teſtatus eſt, dum, vt lib. 4. cap. 31. præfatus narrat Bruſ. quonam modo orator euaſiſſet, percontatus, quàm breuiter, tàm ſolerter reſpondit: *Dum plùs olei, quã vini cõſumerem.* Sic (omiſſo Pythagora, cuius ſemper diſciplina fuit, vt ni ſeruato antè ſilentio in literario ludo per quinquẽnium in audiendo, diſcipulorũ nullus loqui auderet. Et relictis Dianæ ſacerdotibus, quibus tria erãt ſtata tempora, primũ nempè, in quo ſapientiam addiſcerẽt, ſecundũ, in quo eam exercerẽt, & tertium, in quo alios inſtruerent) recenſiti cum alijs multis quali ſuę tempeſtatis magiſtri eruditione prædíti eſſe debuiſſent, dictis oſtenderunt, & factis. At ſi hęc de prędictis dicta ſunt oratoribus, quid de ſacris dicemus? Qua doctrina, qua ſcientia, & qua ſapientia euãgelicos pollere decebit prædicatores? Num illa, qua ad componendum, & diuidendum; diſtinguendũ, diffiniendum, & concludendum vſi ſunt philoſophi? Nequaquam certè; nam hanc vt infrugiferam reſpuit Paulus, cùm nõ in ſermonis ſublimitate ſe ad Corinthios veniſſe teſtatur: *Et ego, cũ veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis.* 1. cap. 2. in cuius perſona Carthuſian. art. 2. *Non veni in ſublimitate ſermonis, ideſt, non verbis altis, difficilibus, & ornatis; non in altitudine naturalis philoſophiæ, non in argumentatione dialectica verborum decore ornata, quaſi per talia principaliter vellem vos ad credendum inducere, ſeu fidem probare.* An illam fortè callere debent doctrinam, quæ ſermonis culturam, ſtyli elegantiam, dicendi leporẽ, fandi copiam, atq; eloquentiam docet? Nec equidẽ, nã nimis elaboratus, phaleratuſq; ſermo & vt inutilis à præfato improbatur Paulo loco ſuperiùs allato verbis illis: *Sermo meus, & prædicatio mea, nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis.* quæ directè ad rethoricę fucum vellicãdum dicta autumat D. Thomas, dum ipſa hunc gloſſat in modũ: *Nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ, ideſt, per rethoricã, quæ componit ad perſuadendum, declarans nõ fuiſſe ſuæ intentionis vti rethoricis perſuaſionibus.* & vt garrulus contemnitur à doctis, dicente Ennodio lib. 3. epiſt. 24. qui fortè iuuenili quõdam facundia ſic luſit: *Electi vtor ſtyli teſtimonio, qui Doctis ſupra inſcitiam garrulitate diſpliceo.* et tandèm vt graue, & permoleſtũ Ethnico Senecę nauſeam peperiſſe reperio, qui epiſtol. 59. hæc habet: *Si recentiorem quæris Fabianum diſertum, & elegantem, orationis etiam ad noſtrum faſtidium nitidæ.* Quem ſequutus videtur Claudianus, qui de ſexto Honorij conſulatu cecinit:

Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit.

Qua igitur ſcientia pollere, atq; præſtare ſapientia debet, qui doctoris, concionatoriſq; partes aſſumit? Scripturarum nè cognitione, ſacrique eloquij interpretatione? Non alia certè; nam concionatorum magiſter Chriſtus Dominus diſcipulos ad prædicandum miſſurus, illorum quidem pulſa caligine, illuminauit mentem, rationemque illuſtrauit; verùm non tàm iſtuc ad philoſophorũ capiendas ſolertias, vel rethoricorum addiſcendos colores, intelligenda inſtituta, & tenendos fucos; quàm, vt myſteria perciperent, ſcripturas caperent, & prophetas intelligerent: *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerẽt Scripturas.* Luc. 24. cùm horum maximè in verbi Dei præcone requiratur peritia; præfata Euangeliſtæ verba in ſẽſu morali gloſſante Lyrano: *Per hoc inſinuans, quòd prædicans actu debet priùs habere ſufficientem ſacræ ſcripturæ notitiam, antequam ad prædicandum accedat.* Nec miror, nam ſi iuxtà allati Diogenis ſententiam præ ſcientię, doctrinæque eminentia ter homines profani eſſe debent oratores, vt quater viri ſint verbi Dei præcones, ſacræ ſcripturæ eos callere intelligẽtiã decet: nã cùm hæc ſcientiarũ, diſciplinarumq; omnium fons ſit, & origo, ſicuti Theodulphus cecinit Epiſcopus:

Quidquid in ingenuis mundana diſcitur arte
Artibus hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quidquid amatur in illis
Hoc à fonte manat, huius ab amne fluet.

1. Corinth. cap. 2.

Carthuſian.

Quàm concionatorem callere ſapiẽtiam decet, expenditur.

Ibid.

D. Thomas.

Ennodius.

Seneca.

Ethnicis etiam nauſeã peperit nimia ſermonis cultura.

Claudian.

Lyranus.

Luc. c. 24.

Longè in ſacrarum literarum intelligentia eum præceſſiſſe decet, qui concionatoris partes aſſumit.

Theodulph.

Scientiarũ omnium fõs ſacra ſcriptura.

Digitized by Google

cæteris eos excellere faciet oratoribus. Hæc omnem aliam mellis dulcedinem, meram maris reputare facit salsuginem; vti eius suauitate pastus confessus est Greg. Nanz. oratione de suo in quadrag. silentio, cùm ait: *Scripturæ lectio hoc mihi præstitit, vt amaram profanorum librorum, qui anteà fucata pulchritudine animum meum demulcebant, salsuginem expuerem.* Hęc nobis, aliisque vtillima est; nobis quidem, quia veram suadet philosophiã, ad Rusticum monachum dicente Hieronymo: *Nunquam de manu, & de oculis tuis recedat liber. Discatur psalterium ad verbum. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* alijs autem, quia vna ipsa peruicaciũ emollire valet duritiem, iuxtà illud Anastasii Nicęni quæst. 78. in scripturam: *Quomodò fieri non potest, vt terra non irrigata spicas ferat: ità etiam fieri non potest, vt animus diuinis scripturis non irrigatus, etiam si quispiam mille verba effundat, vllum fructum ostendat.* Quarè hoc boni malum illum Erasmum in epistola dedicatoria ad apologiam Dauid, à D. Ambrosio editã, aliquandò dixisse existimo, quòd absque scripturarum præsidijs, illarumque perfecta notitia concionandi munus assumere debeat nullus: *Nemo loqui potest, nisi qui scripturas omnes penitùs excusserit, imbiberit, concoxerit, tantoque vsu contexerit, vt in naturam abijsse videantur.* Quibus etsi sacrã historiam seorsim minimè nominet, vniuersali saltem scripturæ vocabulo comprehendit; quod quàm verum sit, facilè ex dicendis patebit.

Greg. Nanz. — Scripturæ lectio amaram profanorum librorum lectionem reddit.

Hieronym. — Anastasius Nicęnus. — Erasmus.

2 Verum, perfectumque verbi sui præconẽ describere volens Saluator patrifamilias, qui de thesauro suo noua profert, & vetusta eum cõparandũ eẽsuit verbis illis: *Ideò omnis scriba doctus in regno cęlorũ, similis est homini patrifamiliæ, qui profert de thesauro suo noua, et vetera.* Matt. 13. quibus boni cõcionatoris partes ipsum explicasse haùd dubitant Patres, & post ipsos Paulus de Palacio, qui hæc super præfata verba habet: *His explicat conditiones, quas Ecclesiæ doctor habiturus est.* Et equidẽ solertèr nimis patrifamilias sacri eloquij assimilatur magister; nam (prætermisso amore, quo veluti paterfamilias erga domesticos fideles prosequi debet) vt ille pro audientium captu sacri verbi pabulum ministrare debet; dicente Gregorio lib. 20. moral. cap. 2. *Debet enim subtiliter is, qui docet perspicere, nè plus studeat, quàm ab audientibus capitur, prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, nè dum paruis sublimia loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.* Et optimo, maximoque iure de thesauro suo noua dicitur proferre, & vetera, quia non philosophorum sophismatibus, nec poetarum figmẽtis, neque futili dicẽdi rethoricorum lepore suæ doctrinæ excrescentibus opibus, subtilia texere, in magnis ambulare, & se inanitèr, dementerque ostentare debet; sed post perfectã, eximiamq; sacrarum scripturarum notitiam, qua suum iam cumulasse oportet thesaurum, vtriusque testamenti, noui inquam, & veteris ad fidelium eruditionem eum proferre decet sententias. Ad vnguem D. Anastasius Nicęnus loco præfato: *Per laboriosam diuinarum scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum veteris, & noui testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis. Quamobrem quicumque sunt imp rui diuinarum scripturarum, non possunt esse patresfamilias: vt qui neque à se habeant, neque ab alijs accipiant, sed seipsos decipiant, pereuntes fame ignorationis.* Vides quomodò nõ profanarum, sed sacrarum literarum gnarum esse oportet, qui concionatoris munus assumit, dum ad fidelium salutem non ex philosophorum monumentis, sed ex nouo, & veteri testamento promere congesta iubetur.

Matt. c. 13. — Paulus de Palacio.

Anastasius Nicęnus.

Non ex philosophorũ, vel poetarũ monumẽtis, sed ex thesauro noui, & veteris testamenti suũ debet cõcionator depromere sermonem.

3 Mellea est pro re hac, quã præ manibus habemus, quòd .s. de sacræ scripturæ thesauro noua, & vetera proferre debet, qui concionatoris partes obire exoptat, illa D. Hieronymi obseruatio, quòd non priùs à summo Præceptore gentium est Paulus constitutus magister, quàm electionis vas nuncupatus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus.* Act. 9. quia impar concio-

Act. c. 9.

Digitized by Google

cionandi muneri fuiſſet, niſi vt vas diuinæ ſapiẽtiæ theſauro ſuperplenum noua protuliſſet, & vetera. Quod quã docte, affluenterque effecerit, ſuæ doctrinæ pluuia, ſuique eloquij teſtatur ros, qui agrum hunc Eccleſiæ frugiferum reddidit, atque feracem: *Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? nempè, quia vas legis, & ſanctarum ſcripturarum armarium eſt.* ait Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum.

Hieronym.

Non priùs concionator Paulus inſtituitur, quàm vas electionis vocetur, & quare?

4 Faceret pro dicto inſtituto, q̃ nẽpè de ſacræ ſcripturæ theſauro noua debẽt diuini eloquij prẽcones proferre, & vetera, benedictio illa, qua Nepthali filiũ ſuum felicitauit Iacobus: *Nepthali ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis.* Gen. 49. quia ſicuti non incongruè per Nepthali concionator intelligi poſſet, qui ceruus quidem propter promptitudinem ad diſcurrendum, & veracitèr emiſſus dicitur, quia prædicare niſi miſſus, non audet; ſic eloquia dat pulchritudinis, quia non philoſophorum, nec rethoricorũ eloquia præbet, ſed Domini, quæ ſunt eloquia caſta, argentũ igne examinatũ, probatum terræ, purgatũ ſeptuplum: *Dans eloquia pulchritudinis*, ait Lyranus, *quia prædicare non habet de fabulis fictitijs, ſed de ſacris ſcripturis.* Spectarent huc etiam verba illa Eccli. 44. *Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes*; nam iuxtà mòx dicti Lyrani ſententiam illi diuites in virtute dicuntur, qui nõ profanis ſcientijs, ſed ſacrę ſcripturæ diteſcunt theſauro. Quod poſt ſecularium ſtudiorum laborem optimè expertus Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis ſuam lamentatur cæcitatem, quòd philoſophorum, oratorumque paupertate quandoque diteſcere ſtuduiſſet: *Miſer ego lecturus Tullium ieiunabam, & poſt crebras vigilias Plato ſumebatur in manibus. Si quandò in memetipſum conuerſus prophetas legere voluiſſem, ſermo horrebat incultus, & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis.* Nec à præfato diſtaret argumento ſubtilis illa Gregorij obſeruatio, quòd ideò ſcilicèt vectes, quibus Domini portabatur arca, per circulos aureos, qui in arcæ latere erant, inducebãtur, & nunquam indè extrahebantur, ſacra dicente pagina: *Sẽper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.* Exod. 25. quia nunquam à verbi Dei prẽconum, per vectes figuratorum, memoria aurei ſacrorum eloquiorũ circuli euelli debent, ſi fructum quem ferre exoptant: *Semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis; quia nimirum neceſſe eſt, vt qui ad officium prædicationis incumbunt, à ſacræ lectionis ſtudio non recedant.* 3. par. paſtoral. cap. 11. Hæc, vt dixi, compluraque alia ad noſtrum equidem facerent inſtitutum; tamen quis ille ſit ſapiens incantator, de quo DD. Pſal. 57. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapientèr*, maturiùs trutino, nam dum ad aliorum differẽtiam, quos ſimplicitèr incantatores appellat, aliquem ſapientèr incantare aſſerit, quòd inſipientèr illi hoc efficiant inſinuare videtur, aliàs enim otioſè vni, non omnibus incantandi tribueretur ſolertia, quæ cunctis competeret: ſi appoſitè igitur ipſum locutum dicemus, vt dicere omninò tenemur, quis iſte erit ſapiens incantator, ad cuius ſapientiam aliorum peruenire nequit ſolertia? Num euangelicus prædicator, qui de theſauro ſuo noua proferendo, & vetera, ſceleſtorũ aſpides ad fucati ſermonis ſuſurrum ſurdas, innoxias, ſcelerumque veneno reddit expertes? Nõ alitèr quidẽ, nam vbi rethoricorum ſectantes inſtituta nitido, fucatoque ſermone ſubtilia nectendo, vix audientium demulcent auditum; ſcripturarum ipſe vehemẽtia religionẽ laudat, à vitijs reuocat, ad virtutes impẽllit, affectus ſubleuat, ac cæleſti eos facit æſtuare calore, quos peccati perfrigerauit virus. Hinc Genebrardus ad iudaicam increpandam perfidiam (quæ ſapientibus, magniſq; prędicatoribus obſiſtere minimè verecundabatur) prefata Dauidis verba dicta dum autumat, quinã ſapientèr incantent, aperit, atque declarat: *Venefici incantantis expertiſſimi, & exercitatiſſimi in magnis. Hoc dicit quoniam nolebant audire monitiones ſalutares prophetarum, in Dei lege excellentium, nulloque modo à propoſito re-*

Lyranus.

Quiſnã prædicator eloquia det pulchritudinis, declaratur.

Eccli. c. 44.

Hieronym.

Exod. c. 25.

Gregorius.

A ſacræ lectionis ſtudio nõ recedat, qui prædicationi incumbit.

Pſal. 57.

Genebrard.

Veri verbi Dei prædicones ſapientèr incantare dicuntur, & quando?

Digitized by Google

reuocari patiebantur. Vides quomodò etsi omnes incantare, loqui, & prædicare, non tamen omnes id sapienter efficere dicuntur, quia illi solummodò huius artis peritissimi sunt nuncupandi, qui in magnis, hoc est, in lege, & prophetis exercitatissimi sunt, atque doctissimi. Hi sunt illi prudentes (ad imprudentium distinctionem) eloquij mystici, de quibus Ieremias cap. 3. qui non tantùm literali sacræ scripturæ sensu ad suadendum, sed mystico etiam vtuntur, dicente Lyrano: *Lyranus.* *Prudentem eloquij mystici, id est, doctores magni, qui intelligant legem, & prophetas, non tantùm secundùm sensus literales, sed etiam mysticos.* Isti procul dubio sunt illi, quorum voces dum super populorum aquas resonãt, Deus maiestatis per ipsos intonare videtur. Et horum denique grandis est censenda loquela, quæ diuini amoris accẽdit ignem, iuxtà illud: *Ad vocem loquelę grandis exarsit ignis*. Ierem. cap. 11. cùm aliorum, vt admodum parua, suadere nõ valeat. Qua de causa Chrysostomus in Psal. 95. *Chrysost.* *Nõ oportet quicquam dicere sinè testibus; nam si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, et interdum sermonem, ut friuolum, auersans; interdum vt probabilem recipiens. Verùm vbi è scriptura diuinæ vocis prodit testimonium, et loquentis sermonem, et audientis animum confirmat.*

Ierem. c. 11.

Vix suadere aliquid valet, qui scripturis non vtitur.

5 Quàm longè in sacrarum literarum peritia sacerdotem processisse oporteat, optimè docuit ille, qui nũc inter præclariora eius insignia doctrinam collocari iussit, cùm ait: *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam, et Veritatem.* Exod. 28. nunc verò ob sapientiæ eminentiam Angelum illum per prophetarum os nuncupari fecit, iuxtà illud Malachiæ 2. *Labia enim sacerdotis custodient scientiã, etc. quia Angelus Domini exercituum est.* his tamen non obstantibus inter præcipua Iudæ, & Beniamin tribuũ excidia ab Azaria Obed filio prophetali oculo præuisa, illud in omnium capite recensitum fuit, quòd absque sacerdote doctore futuræ essent: *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore.* 2. Paralip. cap. 15. quod licèt de sacerdotũ officio, ministerio, ac prædicatione, qua captiuitatis tempore carere debebant, interpretentur quàm plurimi, ex quibus vnum adduco Tostatũ: *Ponitur ab/q; sacerdote doctore, quia non habebant docentes aliquos in Babylone: nam non exercebant ibi officium prædicationis sacerdotes, et leuitæ sicut in terra Iudæ;* quia nihilominùs non de docente, q magis actui secundo, siue docendi exercitio congrueret, sed de doctore, quod potiùs actum primum, seu sciẽtiæ habitum insinuare videtur, est sermo, aliud mihi pro re, de qua agimus decerpendi mysterium docet, illud nempè, quòd etsi omnes sacerdotes, omnes magistri, omnes concionatores sint, ac Dei verbi pręcones; doctores tamen, seu sapientia præditi non omnes sunt, sed illi tantùm, qui penitùs sacras noscentes scripturas de veteris, & noui testamenti thesauro diuitias promũt; nam qui nimis rethoricis fucis inuigilant, stylum elaborãt, & aniles fabulas texunt; qui in oratione comenda, ornanda, atque concinnãda nimis sunt; qui inquã garriẽdo magis, quàm docẽdo, verba potiùs præcipitando, quàm sapienter loquẽdo non audientium corda pertingere, nec affectus mouere, sed aures tantùm mulcere, ac titillare satagunt, inscientiæ procul dubio conuincuntur; cùm menti ferè desit, quod in facundia redundat, & conceptuum paupertati electo stylo suppleatur multotiès. Meum non est hoc, quod dico, sed Gregorij, qui lib. 18. moral. c. 14. super locum illum: *Habet argẽtum venarum suarum principia.* Iob. 28. sic hæreticorum carpit dementiam, qui sermonis elegantia, verborumque nitore suam operire conantur ignauiam: *Hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur, etc. Sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.* Quod Beda, Lyranus, Caietanus, Vgo Card. Titelmannus, multique alij cum ipsis confirmare videntur, dùm verba illa Petri: *Non enim doctas fabulas sequuti.* 1. cap. 1. explanan-

Exod. c. 28.

Malach. c. 2.

2. Paralip. c. 15.

Tostatus.

Ad suppleudum paupertati conceptuum stylus est adinuenta elegantia.

Iob. c. 28.

Gregorius.

1. Petr. c. 1

Digitized by Google

tes Ly. *Non*, ſuper fabulas cadere poſſe opinantur, vt legi queat, non doctas, ſeu indoctas fabulas non propoſuimus, &c. quia fabulis, ſecularibuſque literis vti, erudita vanitas (nè inſcientiam dicam) & vana eruditio eſt. Cuius rei longè antè hos inſcius minimè ſanctiſſimus Moyſes, licèt in omni ægyptiorum ſapientia eruditiſſimus, & apud eoſdem eloquentiæ eſſet incomparabilis, cùm tamen prædicandi gratia diuinorum arcanorum conſcius fieri cępit, incũctãtèr ſe ineloquẽtem, ineruditum, ac blæſum nuncupauit: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiustertius: & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. quia ſterileſcit adeò omnis profana ſapientia, ſi cum diuina comparetur, vt inſcientię, immò ſtultitiæ ſortiri poſſit vocabulũ. Hinc Origenes hom. 3. in Exod. aliam eruditionem, aliam philoſophiam, aliãque ſapientiam ab ægyptiaca Moyſen concionaturum expoſtulaſſe aſſerit, cùm ait: *Quomodò tardioris linguæ Moyſes ex quo Dominum loquẽtem audiuit? Certè Moyſes eruditiſſimus apud ægyptios exiſtebat: At cùm mittitur ad prædicandum Pharaoni, & eiſdem ægyptijs, aliam à Deo edoctus linguam exercere tenetur. Vndè qui olim incomparabili ſapientia, & ſublimi ſermone vtebatur in ægypto degens, concionaturus poſteà aliam deſiderat eloquentiam, quæ poſſit populo ſalutaris exiſtere.* Sic imparem ipſe prædicãdi muneri humanam ſapientiam dũ declarat, viam mihi hanc deducendi cõſequentiam pandit, quòd optimo iure ſinè ſacerdote doctore ſeſſurus populus dicitur, quia nouiſſimis hiſce temporibus prædicatores quidem futuri erãt multi, docti autem pauci; nam qui ad fabulas tantùm conuertuntur, vel in dicendi ſolummodò ſiſtunt lepore, indocti ſunt dicendi doctores, & docti (vt ità dicam) ignari.

Erudita vanitas dicẽdi nitor.

Exod. c. 4.

Origenes.

Impar prædicandi muneri mundana eruditio.

6 Verùm quia dæmonis verſutia noſtro hoc tempore ferè cõmunitèr Iſrael ad Philiſthijm deſcẽdere video, vt vomeres exacuant ſuos, ſeu, vt clariùs dicam, penè concionatores omnes aquæ viuæ ſacræ ſcripturę relicto fonte, ad diſſipatas ciſternas philoſophorum, rethoricorum, ac poetarum, quæ ſolidæ ſcientiæ, veræque ſapientiæ aquas continere non valent, confugere video, non ſinè cordis dolore cum Dauide eis dicere cogor: *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vãnitatem, & quæritis mendacium?* Pſal. 4. Si compta oratio, phaleratus ſermo, & dicendi nitor, ipſius Tullij ſententia in oratione pro Flacco, erudita vanitas eſt, cur vanitatem diligitis, quæritis, & affectatis? Si poetarũ fabulę mẽdacia ſunt veri colore depicta, cur illas ſic ſedulò perquiritis, & tàm diligentèr venamini, vt ſuper illud, *Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſq; vomerẽ ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculũ.* 1. Reg. 13. dicat Carthuſianus, *Fideles quamplures ad Philiſthiim pergunt; vt ſua acuant ferramenta: quia vera, & ſpirituali ſapientia derelicta, ad philoſophica documenta, ad prudentiam ſeculi, immò ad mundanas verſutias ſe conuertunt, atque in talibus ſuam nutriunt mẽtem: ſuntque ſapientes, vt faciant mala; obtuſi verò, immò cæci in pertinentibus ad ſalutem?* Quarè nõ expergiſcimini filij ebrij, qui vaniſſima perciti vanitaté nil niſi verborum leporem, rerũ texturam, & ſtyli elegantiam, elateq; loquutionis ſciẽtiam attendendo, inflati cæteros deſpicitis, atq; in cęterorum contẽptum, quaſi ſingulariter apud vos ipſos periti, intumeſcitis? Quis vos faſcinauit non credere veritati, quòd maior eſt philiſthinorũ cędes à Samgar retuſo vomere facta ea, quam Aod gladio ſuo limato, & expolito effecit, vt habetur Iudicum 3. nam plures ad Chriſtum ſimplex reducit prædicatio, quã nitida, phaleratąque oratio, dicente Stephano Cantuarienſe apud Tilmannum: *Ecce iſte Samgar plures occidit vomere, quàm Aod gladio ſuo limato, & acuto; quia ſæpè plus proficit ſimplex, & rudis prædicatio, quàm exquiſita, atque polita.* Quòd rudis omnino non debeat eſſe oratio, & quòd generoſi, ſubtileſque cõceptus ruſticano nõ ſint proferẽdi ſermone, fateor quidem, dicẽte Seneca epiſt. 73. *Verba non ieiuna eſſe, &*

Pſalm. 4.

1. Reg. c. 13.

Carthuſian.

Ferè cõmunis præſẽtis tempeſtatis cõcionatorũ eſt error, relicta ſcriptura, ad profanorum ſcriptorum ſecurium monumẽta.

Stephanus Cantuar.

Sæpè plus proficit ſimplex, rudiſq; prædicatio, quàm expolita, phaleraq; oratio.

Seneca.

arti-

Digitized by Google

arida volo, quæ de rebus tàm magnis dicentur: neque enim philosophia ingenio renunciat; tamen in auium oblatione gutturis semper vesiculam proijciẽdam iniunxit Altissimus: *Vesiculam verò gutturis, & plumas proyciet prope altare.* Leuit. 1. quia nunquam non dicendi respuit garrulitatem: *Huius igitur auis nostræ vesicula gutturis proïcienda est, tumor scilicet, qui de eloquẽtiæ pompa oriri solet, penitùs excludendus;* ait Rodulphus à Tilmanno allatus. Quo præterea sermone illorum damnabo vanitatem, qui in magnis ambulantes, & super ventorum pennas volantes nulla auditorum habita ratione (qui vt asini ad lyram suæ astant concioni) vt sui potiùs apud imperitum vulgum miraculũ faciãt, quàm illius lactẽt infantiam, ex suggesto cathedram efficiunt: *Quid enim prodest,* ait Augustin. *locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omninò necessitas nulla sit causa, si quod loquimur, non intelligunt, propter quos, vt intelligant loquimur?* lib. 4. de doct. Christiana c. 9. An non imprudentis, atq; indocti est incongrua loqui, & suprà auditorum captũ differere? *Doctum dixerim, quem intelligo: ænigmaticè fxntem ridiculum vocitaro histrionem.* ait Herodotus. Et ità equidem est; nam si Veritatis ore ille fidelis est censendus, & prudens, qui in tempore, & mensura cibũ præstare non ignorat: *Quis, putas, est fidelis dispẽsator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Luc. 12. *Per mensuram quippè tritici exprimitur modus verbi, nè cùm angusto cordi incapibile aliquid tribuitur, extra fũdatur.* ait Gregorius par. 4. Pastoral. cap. 5. ergo imprudẽtis, inscijque effugere non poterit notam, qui vt se magis ostẽtet, quàm auditoribus prosit, paruulis panem petẽtibus frãgere stomachatur. Quid si huiuscemodi doctores saperent? Quid si intelligerent? Quid si veritatem perciperent istam? Sanè in illorum non laberentur errorem, quos diserte nimis Gilibertus carpit ser. 27. in Cant. cùm ait: *Vtinam istud attendant, qui futuri sunt in cõuentu fratrum sermonem. Student magis altà, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia, & plana docere, nè sola hæc scisse videantur. Erubescunt vbera habere, nudare mammã, lactare paruulos, quid istud est? Ideò nè consedisti in medio cathedram tenens, vt scientiam iactes, an vt teneram subditorum lactes infantiam?* Subtilia texis: artem qui audiunt, mirantur: eloquentiam laudant. Benè quidem, tamen si gratiam sentiunt, si te disputante audientium moueatur affectus, intellectus instruatur, alioquin quid ad præsens negotium peregrina quædam adducere, quæ auscultantes non capiant? Nec tàm debes attendere, quæ te dicere deceant hominem literatũ, quàm quæ debeant audire, quos instruis. Quid enim indè consequuntur si ambulas in magnis, & in mirabilibus, non dico super te, sed super eos qui assident? Noli altum altè sapere, sed condescende humilibus, sublimia loquens, sed in tempore, quid aliud affectare videris, nisi vt tibi soli taceant homines, & dicatur de te, quod dictum est de Saluatore, quia nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur? Ascendisti cathedram, vt alios ædifices, non teipsum insles: vt impleas, non vt exinanias teipsum, nisi fortè eo modo, quò se Saluator exinaniuit formã serui accipiens.* Verùm quid per tot diuersa vetustorũ monumenta doctorũ calamũ percurrere sino, vt hanc concionatorum ostendã vanitatem, qui alta potiùs, quàm apta dicere saragunt? rem dicam, veram sanè, risu autem dignissimam: Defũctum religionis cuiusdã Prouincialẽ funebri, sed latina oratione in hac mea vrbe laudibus prosequebatur disertus quidam orator, cuius verborum texturã non minùs, quàm dicendi peritiam audientium admirabatur caterua, supra cunctos autem ei applaudebat vir quidam decẽtèr indutus, qui passim ad me versus cõquiniscendo, superciliaque eleuando admirationis, ac laudis prætendebat signa: quod cùm pluriès effeciset, aliquid apud me esse cæpit; verũ statim eius verba ex errore me extraxere; nam vix cõpleta oratione quid de ea intellexis-

set,

Leuit. c. 1.

Rodulphus.

Sæpe Deo prædicatorũ inuisa garrulitas.

Augustin.

Herodotus.

Indoctorum est, supra auditorũ captũ differere.

Luc. c. 12.

Gregorius.

Gilibertus.

Illorũ carpitur cõcionatorum vanitas, qui alta potiùs, quã apta dicere student.

Digitized by Google

set, effutire cæpit, dum ad me versus hæc prorupit in verba: Verè non in alia Hispaniarum prouincia, nisi Castellæ ortus dignoscitur concionator iste; & percontanti mihi (qui probè virum, patriamque eius noscebam) vndè hispanum illum agnoscerem: Et quomodò tàm perfectè hispanè concionari potuisset, hispanus ni esset? respõdit. Quod si in magna, præclaraq; hac accidit vrbe, in villulis quid eueniet, & oppidulis? Si ab honesto ciue hispanus existimabatur, qui latinè disseruerat, indus certè habebitur, qui rusticis, imperitisq; Platonẽ, & Aristotilem, D. Thomã, & Scotũ proponere, atq; explanare conabitur. Huiusmodi, ni fallor, cõcionatores carpit August. loc. prõx. cit. *Augustin.* *Quid prodest clauis aurea, si aperire, q̃ volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si potest: quãdò nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?* Falluntur igitur, falluntur equidem, qui vt suam insipientiam potiùs, quàm sapientiam iactent, in viam gentium vadunt, vel, vt clariùs dicam, humanas pro diuinis literas amplectuntur, cùm efficacioribus argumentis, & mirabiliori ad persuadendum gratia efflorescant hæ, dicente Augustino ibidem: *Sapienter dicit homo tantò magis, vel minus; quantò in scripturis sanctis magis, minusue proficit: quæ cum sapientia inseparabilem continent solidam eloquentiam.* verùm longè magis decipiuntur illi, qui similium sunt præceptorum auditores, nam omnium stultorum stultissimus dici meritò potest, qui rusticana fame tabescens, Angelorũ cibum omne delectamentum in se habentem fastidit, & inhiãter Ægypti cepas, alliaq; appetit, qui inquam sacræ scripturæ relicto pabulo, ad illos currunt concionatores, quorum doctrinam non capiunt, vel illorum commendant eloquia, qui verba precipitant, ac si idcirco idipsum coram pedagogis paruuli, & coram insana astantium turba efficerent histriones, vt Iulium Candidum dixisse refert Plinius Iunior lib. 5. epist. 20. verbis illis: *Plin. Iun.* *Iulius Candidus non inuenustè solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix vni, aut alteri; immò si Marco Antonio credimus, nemini: hæc verò, quam Cãdidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentissimo cuique maximè contingit.* Quod post ipsum Hieronymum confirmasse reperio, cùm hæc suo scripsit Nepotiano: *Hieronym.* *Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationẽ sui facere, indoctorũ hominum est. Nihil enim tàm facile, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ, quidquid non intelligit, plus miratur.* Expergiscimini igitur, expergiscimini filij ebrij, vt quid concionatores in huiusmodi errata vestra cõpellitis insipientia? An nescitis, quòd hæc concionatorum vanitas ista est iniquitas, qua abundante multorum frigescet charitas, iuxtà illud: *Matt. c. 24.* *Quoniã abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum?* Matt. 24. Et tamen benè hoc expressit Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum: *Idem.* *Reor in Euangelio Dominum prædicasse, quòd in fine mundi, quandò iuxtà prophetam Zachariam, stultus pastor esse cæperit, sapientia decrescente frigescet charitas multorum.* An vos latet horum malitia (qui ad auditorum beneuolentiam, mundique plausum captandum aures tantùm demulcere student) feracem hunc Ecclesiæ agrum sterilescere? Et nihilominùs apertissimè hoc regius prædixit Vates; cùm ait: *Psal. 106.* *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia habitantium in ea.* Psal. 106. nam si per frugiferam hanc terram militans importatur Ecclesia, dicente Carthusiano: *Carthusian.* *Terram fructiferam, id est, Ecclesiam militantem, quæ est ciuitas Dei, & domus Christi ex fidelibus collecta, atq; constructa. Ipsi enim Apostoli, ac successores, & imitatores eorum seminauerũt agros, id est, homines in mũdo morantes fœcundauerunt, & impleuerunt verbo Dei, mittendo in corda ipsorũ Euãgelium Saluatoris,* per malitiam in salsuginem illam redigentem, eorum concionatorum erit intelligenda dementia, qui sacra relicta doctrina ad fabulas cõuertũtur. Vndè Vgo Card. *Vgo Card.* *Theologia versa est in salsuginem, quia multi theologi non faciunt fructum operum,*

Solida in scriptura dicendi eloquentia.

Loquentes multi, eloquentes verò pauci.

In salsuginẽ reddit fructiferam Ecclesiæ terrã concionatorum vanitas.

rum, quem docet scriptura, sed tantùm aliquid floris prætendunt. An non perspicitis, quòd hi sunt illi ianitores, qui claues habent mortis, & inferni? Et tamen si asserenti Chrysostomo fidem (vt fas est) præstabimus, quòd cæli claues scriptura sit diuinitùs data (vnde verba explicans illa: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui clauditis regnum cælorum antè homines*, Matt. 23. hæc habet: *Regnum cælorum est beatitudo cœlestis, ianua autem eius est Scriptura, per quam introitur ad eam. Clauicularij autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretãdi Scripturas*, hom. 44. oper. imperf.) inferni ianitores necessariò illos vocabimus, qui sacrarum scripturarum abiectis clauibus; secularium, atque ethnicorum, quæ stygias pandunt ianuas, assumunt, & adhibẽt. An ignoratis, quòd hic phaleratus dicendi modus, hæc fabularum coaceruatio, & hæc futilis verborum præcipitatio senescentis mundi infirmitas est, & vltima maledictio? Et tamen Zachariæ volumen illud volãs, q̃ vidit: *Vidi, & ecce volumen volans.* cap. 5. postremam esse mundi maledictionem dictum fuit: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ*, quia nulla non poterit, non timeri iactura, immò vix postrema non suspicari ruina, cùm à cõcionatorum ore sacra auolant eloquia, & eorum vice profana efflorent. Si hucusque à via veritatis erraſtis, cõcionatores vestræ detestãdæ appetentiæ deseruire faciendo, vel saltem illos quærendo, qui non planctum mouere, sed verborum lenocinio, ac venustate plausus, risusq; excutere conantur, in vos nũc saltem reuersi, illum non elegisse vos pudeat, quem eligendum ethnicus suasit Seneca epist. 72. *Eligamus non eos, qui verba magna uelocitate præcipitant: sed eos, qui uitam docent, qui cùm dixerint, quid faciendum sit, nunquam in eo, quod dixerint fugiendum, deprehendantur*; hã pudoris fortè victi supplicio resipiscetis, illãq; imitabimini Algasiã, quę vnà cũ Hedibia, vt verũ inueniret præceptorẽ, de extremis Galliæ finibus Hieronymũ in Bethlehemitico rure diuersãtẽ, non vt sibi philosophorũ sophismata, vel poetarũ aperiret fabulas, sed vt scripturę sacræ panderet Sacramenta, per Apodemium rogauit, cuius pietatem, fideique ardorẽ epist. 151. ad eandẽ Algasiã præfatus cõmendans Hieronymus, hunc fatur in modũ: *Filius meus Apodemius, longa ad nos ueniens nauigatione, & de Occani littore, atque ultimis Galliarum finibus, Roma præterita, quæsiuit Bethlehem; ut inueniret in ea cœlestem panẽ, detulitque mihi in parua schedula maximas quæstiones, quas à te datas, mihiq; tradendas diceret. Ad quarum lectionẽ intellexi studium reginę Sabæ in te esse completum; quę de finibus terræ uenit audire sapientiam Salomonis. Non quidem ego Salomon: sed tu Regina Saba.*

Cuius si studiũ æmulabimini, verum, scilicet, Salomonem si audiendi flagrabitis desiderio, nõ vt vos cõdemnet, sed vt prædicet, atque extollat, regina hæc in iudicio exurget.

Chrysost.

Regnum cælorum claudit cælorum.

Zachar. c. 5.

Adulterinus prædicandi modus postrema mundi maledictio.

Seneca.

Quorũ magistrorũ auditores esse debeamus, expenditur.

Hieronym.

FINIS.

Principio, & Fini, qui dat velle, & perficere
Gloria, Laus, & Honor.

IN-

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVI PECVLIARITER IN HOC OPERE DILVCIDANTVR

P. paginam, § paragraphum, N. numerum significat.

Ex Veteri Testamento.

Ex Genes.

Cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã. p. 62. §. 1. num. 2. & 338. §. 1. nu. 3. & 349. §. 2. nu. 9.*

Cap 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. pag. 76. §. 4. nu 2.*

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso, &c. Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium. pag. 126. §. 1. num. 5.

Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam. ibid. n. 6.

Cap. 3. *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi? pag. 53. §. 3. nu. 8.*

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, &c. p. 29 §. 3. nu. 3.

Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. pag 203. §. 1. n. 5.

Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. p. 202. §. 1. nu. 4.

Quia feci sti hoc, maledictus eris. p. 198. §. 4. num. 2.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. p. 14. §. 4. nu. 1.

In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. ibid.

Cap. 4 *Fuit autem Abel pastor ouium, et Cai agricola. p. 270. §. 2. n. 3.*

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. p. 77. §. 4. nu. 4.

Cur concidit facies tua? pag. 26. §. num. 6.

Dixit Cain ad Abel fratrem suũ: Egdiamur foras. Cumque essent in agro, c surrexit Cain aduersus fratrem suu Abel, & interfecit eum. pag. 87. §. 2. n. & pag 91. §. 3. num. 2.

Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & facie tua abscondar. p. 254. §. 3. n. 7.

Cap. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant p. 228. §. 2. n. 8.*

Noe vir iustus atque perfectus. p. 6. §. 2, num. 1.

Mantiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus. pag. 139. §. 4. num. 3.

Cap. 8. *Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems. pag. 202. §. 1. num. 2.*

Cap. 13. *Dixitq; Dominus ad Abram, post quã diuisus est ab eo Lot: Leua oculos tuos, &c. p. 367. §. 1. n. 10.*

Cap. 15. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. pag. 45. §. 2. n. 2.*

Cap. 18. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. p. 125. §. 1. num. 3. & pag. 306. §. 4. nu. 5.*

Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? p. 1. §. 1. nu. 1.

Digitized by Google

INDEX.

Cap.19. *Igitur Dominus pluit super Sodomã, & Gomorrham sulphur & ignem.* pag. 139.§.4.nu.2.

Cap.21. *Fecit Abraham grande conuiuium, in die ablactationis eius.p.*185.§. 1.n.6.

Cap.22. *Abraham, Abraham, &c. Non extẽdas manum tuam super puerum.* pag.39. §.1.nu.2.

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.pag.*266.§.1.*num.*7.*&* pag.316. §.2.*num.*3.

Cap.23. *Date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.* pag.325.§.3. *num.*8.

Cap.26. *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es.pag.*266.§.1.n.8.

Cap.27. *Affer mihi duos hædos optimos, quibus pater tuus libenter vescitur.* p. 292. §.2.nu.2.

*Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini, &c.p.*36.§.4.n.9.

In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua. pag. 105. §.1. *num.*9.

Viues in gladio, & fratri tuo seruies. pag.116.§.4.n.1.

Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.pag. 112.§.3. *num.*3.

Cap.28. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælũ: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.pag.*271.§.2.*nu.*6. *&* pag. 375.§.3.*num.*3.

Cap.35. *Abycite deos alienos, &c. mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* p. 281. §.4.*nu.*3.

*Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam, etc. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratã.p.*203.§.1.n.5.

Cap.37. *Videntes autem fratres eius quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderãt eum, &c.p.*364.§.1.*nu.*4.

Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. pag. 36.§.4.n.8.

Inuenit eum vir errantem in agro. pag. 252.§ 3.*nu.*2.

Cap.38. *Producite eam vt comburatur.* p.72. §.3 *nu.*3.

Agnitis muneribus, ait: Iustior me est. ibid.

Cap.39. *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.p.*281.§.4.*nu.*4.

Cap.41. *Nunc ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum Terræ Ægypti, &c. qui congreget in horrea omne frumentum, &c.* pag.35.§. 4.*nu.*7. *&* pag.37. §.4.*num.* 11.*&* pag. 193.§.3.*nu.*4.

*Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.pag.*100.§.4.*nu.*8.*&* pag. 298.§.3.*nu.*2.

Cap.42. *Iussit ministris vt implerent eorũ saccos tritico, et reponerẽt pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibarijs in viam.p.*20.§.1.*n.*3.

Cap.43. *Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebãt lacrymæ: & introiens in cubiculum, fleuit.p.*102.§.1.n.2.

*Rursumque lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes.ibid.n.*3.

*Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.p.*79.§.4.n.8.

Maiorque pars uenit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.pag. 340.§. 1.*num.*5.

Cap.44. *Imple saccos eorum frumento, &c. et pone pecuniam singulorum in summitate sacci.p.*248.§.2.n.4.

*Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci iuniores.p.*339 §.1.n.4.

Accedens autem proprius Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, &c.pag. 112. §.3. *nu* 5.

Cap.46. *Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in Terra Chanaan, venerunt ad me: & sunt viri pastores ouium, curamque habent alendorum gregum.* pag. 8. §. 2. *num.*6.

Quod est opus vestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui. ibid.

Cap.49. *Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, &c. quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.pag.*165.§.1. *n.*5.*et* pag.208.§.2.*nu.*5.

*Maledictus furor eorum.pag.*207.§.2. *num.*4.

Issa-

Digitized by Google

Issachar asinus fortis &c. supposuit humerũ suum ad portandũ. p.194. §.3.n.6.

Nephthali cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. p. 381. §.4.n.4.

Filiæ discurrerunt super murum. p.153. §.3.n.1.

Inuiderunt illi habentes iacula. pag.67. §.2.n.2.

Ex Exod.

Cap.4. *Ex quo loquutus es ad seruũ tuum, impeditioris, et tardioris linguæ sum. pag. 383. §.4.n.4.*

Virgam quoq; hanc sume in manu tua. pag.25 §.2.n.5:

Cap.7. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone et servis eius, quæ versa est in colubrum. p.118 §.4.n.3.*

Cap.10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa Terra Ægypti, etc. vbicumq; antè habitabant filij Israel, lux erat. pag.328. §.4.n.2.*

Cap.16. *Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentẽ eum. pag.109. §.2.nu.7.*

Dixerunt ad invicem: Manhu? Quid est hoc? p.230. §.2.n.10.

Nullus relinquat ex eo in mane. p. 48. §.2.nu.9.

Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum. ibid.

Cap.18. *Non bonam rem facis: stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. p.63. §.1.n.4.*

Prouide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, &c: & constitue ex eis tribunos. p.193. §.3.n.3.

Cap.20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationẽ eorum qui oderunt me. p.44. §.2.n.2.*

Cap.21. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. pag.111. §.3.n.2.*

Cap.28. *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatem. p.90. §.2.n.8.*

Cap.32. *Tolle inaures aureas de vxorum filiorumq; & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me, &c. p.31. §.3.nu.7. & pag.213. §.3.n.8.*

Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. pag. 40. §.1. num.4.

Arripiens vitulum quem fecerãt, combussit, & contrivit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel. p.107. §.2.n.3.

Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressusque est vitulus. p. 120. §.4.n.6.

Ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem, et amicum, et proximum suum. p.92. §.3.n.2.

Ex Leuitico.

Cap.1. *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Deo de pecoribus, idest, de bobus & ouibus offerens victimas. p.106. §.2.n.2.*

Vesiculam verò gutturis, & plumas proijcite prope altare. p.182. §.4.nu.11. & p.222. §.1.n.5.

Cap.3. *Si de ouibus fuerit eius oblatio, &c. immolabitur in vestibulo tabernaculi, &c. Si capra fuerit eius oblatio, &c. immolabit eam in introitu tabernaculi. p.232. §.3.nu.3.*

Cap.14. *Radet omnes pilos corporis. pag.320. §.2.nu.8.*

Cap.19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis. p.4. §.1.nu.8.*

Ex Numeris.

Cap.20. *Hæc est aqua contradictionis. p.225. §.2.nu.2.*

Cap.22. *Si vocare te venerint homines isti, surge, & vade cum eis: ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias. pag. 45 §.2. num.3.*

Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? &c. p.27. §.2.n.9. & p.48. §.2.n.10.

Cap.23. *Moriatur anima mea morte iustorum. p.152. §.2.nu.[illegible]*

Cap.26 *Sors terram tribubus diuidat et familijs. p.366. §.1.n.8.*

Cap.27. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc. p.120. §.4.n.7.*

Ex Deuteronomio.

Cap.22. *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. pag. 210. §.2. num 9.*

Cap.30. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et econtrario mortem et malum. pag. 174. §.3. num.3.*

Ex Iudicum Libro.

Cap.3. *Suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, etc. qui vtraque manu pro dextera utebatur. p.97. §.4.n.1.*

Cap.9. *Venit in domum patris sui in Ephr*

oc

Digitized by Google

bet iactantiam. En quomodò prælla-tum elucet Sponsæ prœconium, dum fide plurima Deo sponsata Centurionis anima donorum, virtutumque gressibus ascendit sanè, sed de monte, non ad mõtem; nam dũ se sub potestate fatetur, *Nec potestatẽ solam protulit, nec priorem*, sed sic duos inter se motus illos, ad locũ nempè, & de loco cõiunxit, vt vna, & eadem dignitatis videretur, & humilitatis mensura.

5 Verùm si contrarios hosce motus ad locum scilicet, & de loco nectere nouerunt seruuli, quid virtutum Dominum effecisse putabimus? Quæ lingua dicere, quisque capere poterit intellectus, quàm benè, & non ad insipientiam nobis ille, qui quò ascenderet, non habebat, ascensum, quo ad nos, cum descensu copularet, & necteret? At audi amabò supremum illud humilitatis exemplum, quod in discipulorum pedum lotione ostendere non est dedignatus Saluator, scribere volens Ioan. sic ipsum exorsum

Ioan. c. 13. fuisse reperio: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &c. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum.* cap. 13. quæ verba mente quotiès reuoluo, quin totiès clamem, cohibere me nequeo: Quæ potestatis ad humilitatem, dignationis ad summissionem esse potest cõuentio? Quæ inter à Deo exire, & vestes exuere; inter omnia possidere, & seruulorum pedes lauare poterit reperiri connexio, quòd sinè primo posterius neutiquam describendum existimat Ioannes? Ast ò mysterium ingens equidem, atque diuinum! quonam efficaciori modo præfatos motus Magistrum copulasse exprimere potuisset discipulus, quàm sublimibus infima connectendo? Nullo prorsùs, vt igitur scientiarum Dominum ad proportionem ascensui (quoad nos inquam) descensum nexisse ostenderet, à præclaris, atque sublimibus humilia exorditur, & inchoat, ac si diceret: sub discipulorum plantis manus in quibus omnium erat sita potestas, cælestis supposuit Magister, vt quonam modo se discipuli demittere debent, addiscant, dũ propterea ipse (ni hallucinor) sic humiliter manus submittit, quia super omnia eas exaltatas videbat. Astipulatur huic meo cogitatui Greg. hom. 40. *Loquuturus de maxima humilitate assumptę humanitatis, prius commemorat aternitatẽ diuinæ potestatis, vt & ipsum verum Deũ, hominemq; demonstraret: & vt nos illius præcepti admoneret, vt quantò magni sumus, humiliemur in omnibus.* Clariusque post ipsum Vgo Card. *Sciens quia omnia, &c. Per hoc dans exemplum, quòd quantò maior est homo in potestate, quia omnia data sunt ei, & auctoritate, quia à Deo exit, & in sanctitate, quia ad Deum vadit, tantò debet se humiliare.* En quomodo exemplis magis, quàm verbis humilitatis Magister nedum Spõsam ascendere, & descendere simul; sed iuxtà ascensus mensuram descensum etiã docet, & præcipit, dum sub omnibus illas collocat manus, quas super omnia à Patre exaltatas videbat.

Gregorius.

Vt exaltatio ni humiliratis respõderet mensura, sub discipulorũ plantis manus in quibus omnũ erat sita potestas, sub mittit Saluator.

Vgo Card.

6 Faciat pro modò dictis de Saluatoris humilitate subtilis illa Richardi de S. Vict. obseruatio, quòd ob id nempè in solemni illo triũpho, in quo à communi puerorum, turbarumq; voce Rex proclamatus fuit, & Dominus, nõ super equum, sed super asinam sedere voluit, & pullum; quia iumentorum vilitate ima summis, & infima præclaris nectere intendebat: *Christus cùm appropinquasset Ierosolymis, asinum sibi adduci fecit, & super ipsum sedit. Scimus autem omnes asinum animal esse sordidum, & vile, mansuetum sanè, sed penè præ cæteris contemptibile: humilitatis itaque, vt arbitror, formam gerit, per quam animus sibi ipsi vilescit, & in cõtemptum venit, etc. Quis obsecro non dignè miretur choris præcedentium, & sequentium, & hinc indè psallẽtium asinum interesse, & inter tàm glorioſos, solemnesque apparatus animal tàm sordidũ apparere? Nã nec nouũ, nec mirum de virtutibus gloriari, sed illud magnum, atque mirandum, vnum, eumdemque hominem omnibus alijs mirabilem, sibi soli contemptibilem apparere.* Præfatus Richardus à Tilmãno allatus. Verùm hoc, vt vulgare, cursim transacto, moram aliquam facio in difficultate illa, vndè accidit,

Richard. à S. Victore.

Ima summis copulare exoptans, in solemni palmarũ die super asinam sedet, & pullum.

quòd

Digitized by Google

quòd cùm matri Chriſtus iuge præſtaret obſequium, nunquam tamen id apertè, diſtinctèque deſcribitur, niſi cùm de eius agitur incremento, quod non abſque obedientia illi, Ioſephoque exhibita deſcribendum cẽſuit Lucas: *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis, &c. Et Ieſus proficiebat ſapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* c. 2. Si, vt diuus ait Bonauentura, ad trigeſimum vſq; ætatis ſuæ annum illis obſequens conuixit, atque obediens, cur tunc præcipuè eius exprimitur obſeruantia? An fortè quia tunc præſertim, quoad manifeſtationem dumtaxat, eius ætatis, ſapientiæ, & gratiæ deſcribebatur incrementũ? Non certè alitèr, nam ſecus ſi Euangeliſta effeciſſet, aſcenſum quidem enarraſſet, deſcenſum autem nequaquam; vt igitur aſcendere, & deſcendere ſic vnum in Chriſto fuiſſe oſtenderet, vt humiliatio in eo gloriæ videretur eſſe germana, vnum ſinè altero haudquaquã deſcribendum exiſtimauit. Sic rem D. attingit Bonauentura: *Loquitur hic Euangeliſta de priuata Ieſu vita in domo parentum: nam hoc ſolum narrat de Ieſu ab anno ætatis duodecimo vſque ad trigeſimum, quòd quemadmodum proficiebat corporis ſtatura, viribus, & acceſſu: ità vberiùs ſuper eo ſe promeret cæleſtis ſapientia, & reliquæ diuinæ dotes, &c. Si ergo quæres ab Euangeliſta, quid egerit Ieſus totis triginta annis antequam baptiſmum ſuſciperet: hoc ſolum reſpondet, quòd parentibus conuixit ſubditus illis, & profecerit, vt ætate, ità omni genere exercitiorum, actionumq; virtutis, quibus & Dei, & hominum gratiam ſibi cõciliauit.* Sanè vides, quòd deiectionis debet eleuatio eſſe menſura, dum quò egregior apparebat, eò ſe parentibus ſubdendo, de grege apparere non dedignabatur Saluator.

Luc. c. 2.

D. Bonauẽt.

Adeò aſcẽdẽdo deſcẽdebat Saluator, vt vnũ, & idẽ aſcẽſus, atq; deſcẽſus in eo videretur.

7 *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* verba ſunt Iſaiæ cap. 2. quæ difficultatem ſemper mihi ingeſſere non modicam, fieri nimirũ quomodò poterit, quòd ad montem, qui ſuas radices ſuper montium fundabat cacumina, fluere poſſent populi, cùm deorſum fluuidæ tendere ſoleant, non ſurſum: *Sed quomodò fluent ad montem? Non enim ſolent ſurſum vergere fluuida, ſed deorſum. Inter medium montium pertranſibunt aquæ*, ait Gualfridius à Tilmanno allatus, qui antè me difficultatem inſpexit: quam neutiquam ſe ſoluiſſe exiſtimet, qui de Chriſto Domino, qui ſupra patriarcharum, & prophetarum montes ſuam ſtruxit altitudinem, cùm illos ſublimitate, & excellẽtia incõparabilitèr præcelluerit, prophetiam fuiſſe aſſerit; nam eſtò quòd de ipſo (vti communitèr ſentit expoſitorum caterua, à qua diſcrepare nõ licet) loquatur propheta, adhuc prima viget difficultas, ſi præcelſus erat mons, quomodò ad eum fluere debebant populi, non aſcendere? Si aurea illa tempeſtate, de qua hæc prædicuntur ſe ſe inuicem ad aſcendendum, non ad deſcendẽdum cohortaturi erant populi, vt immediatè ipſemet ſubdit: *Et ibunt multi, & dicent: Venite et aſcendamus ad mõtẽ Domini, & ad domũ Dei Iacob.* ibid. cur aſcendendi relicto vocabulo, deſcẽſuras tãtũ ipſe gentes prædicit? *Et fluẽt ad eum omnes gentes.* At ò myſterium! O Sacramentum! quia cum altitudine deiectio; cum eleuatione demiſſio; & cum ſumma conſpicuitate ſumma in hoc monte, in Chriſto inquam Domino, futura erat humilitas; mons quidem vocatur; ſed vallis non amittit vocabulum, vt ſole clariùs etiam cæci perſpiciant, quòd non ad ſublimia tantùm, verùm ad ima etiam tendere debẽbat ille, qui ad noſtram eruditionem ab aſcenſu deſcenſus ſumpturus erat menſuram. Viuat Gualfridij memoria, qui præallatis immediatè ſubdit: *Sed mons iſte præparatus in vertice montiũ omnibus quoq; vallibus humilior erat. Alioquin quomodo aſcendentes Angeli, & deſcendentes ſuper filium hominis viderentur? Erat quippè mõs præparatus, mons domus Domini in vertice montium, iuxtà illud: Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; ſed nihilominùs oportebat humilitatis Doctorẽ docendis omnibus humiliorem eſſe.* Sileat nunc Priſciani ſectatorum garrulitas, obmuteſcat prorsùs grammaticorum

Gualfrid.

Ibid.

Idem.

Mons ſimul, & vallis Meſſias, & quare?

Iſaias c. 2.

Digitized by Google

multiloquētia, quę motum ad locum cū motu de loco mordicùs necti posse negat, nam & Sponsæ (vt suprà diximus) ascendere de monte suadetur, & Sponsus sic ascendendo descendit, vt vallis simul, & montis rem sortiatur, & nomen.

8 Huc spectat subtilis illa Chrysologi obseruatio, quòd propterea omnium Dominus in cælis etiam seruis seruire minimè indignatur: *Luc.c.12.* *Beati serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Luc. 12. quia vt in ipsa etiā Patris gloria æquā suæ exaltationi humilitatis ostendat mensuram, cum ascensu descēsum nectere, & copulare studebit. *Chrysolog.* Quarè præfatus clamat Chrysologus serm. 24. *Discumbenti homini Deus astat, & astat in cælestibus: Epulanti seruo seruit Dominus, et seruit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus: & facit in Patris iam gloria constitutus.* Quod argumētum prosequutus est etiam Vbertinus de Casali deuotissimus nostri seraphici ordinis alumnus super verba illa: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.* Luc. cap. 24. dum hunc fatur in modum: *Luc.c.24.* *Vbertinus.* *Attende quanta diguatiauis fuit, quòd sic in specie peregrini in terras cum ipsis vadit, loquitur, confortat, arguit, inflammat, & scripturas exponit. Nonnè tibi videtur bonus Iesus ad primordia suæ humilitatis rediisse? Attende anima mea miserā, & in nullo tuo statu humilitatis tibi præbita virtutem relinque: quia Dei filius Iesus, cuius humilitas est sola dignatio, pietatis noluit actum omittere propter gloriam resurrectionis assumptæ.* Quæ si de Christo, & in ipsa Patris gloria constituto dicta intelligis, quàm demissè de te sentire, quamque coram Deo, & hominibus humiliare te debeas, percipere haùd difficilè poteris.

Etiam post resurrectionem iuxta gloriæ magnitudinem humilitatis Christus ostēdet mēsuram.

Tunc aperuit illis sensū vt intelligerēt Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Luc. 24.

§. IV.

Non vulgari sacrarum scripturarum pollere debet notitia, qui concionatoris munus assumit.

1 TEr homines oratores esse debere, teste Laertio lib. 6. Diogenis fuit sētētia, & ex eo sanè deducta, quia si vulgò infra hominem nuncupari consueuit, qui doctrinæ est expers, supra hominem existimari meritò debet, qui hac se refertum, præditumque ostendit: verùm quia non sat quæuis est oratori doctrina, non semel, sed ter hominem, vel vt ità dicam, ter supra hominem ipsum esse debere solertissimus censuit Philosophus. Cuius rei ignarus neutiquā Themistocles, vt dignè magistri partes obiret, longissimum in literarijs exercitationibus vitæ cōsumpsit curriculum. Vndè de eo Brus. lib. 3. c. 31. *Themistocles expletis centum, & septem annis, in ipso mortis agone dixisse fertur, se omnes ætatis dies literarum honestissimo, ac philosophiæ sacratissimo studio consumpsisse ad hominum vsum: verùm se dolere, quòd tunc egrederetur de vita, quandò ex literarum studio sapere cæpisset.* Et Demosthenes non absq; labore multo, vigilijs magnis, noctibusque quampluribus studiorum causa

Ter homines esse debent concionatores. *Brus.*

Digitized by Google

Paulũ insomnibus ductis se oratoris munus assumpsisse testatus est, dum, vt lib. 4. cap. 31. præfatus narrat Brus. quonam modo orator euasisset, percontatus, quàm breuitèr, tàm solertèr respondit: *Dum plùs olei, quã vini cõsumerem.* Sic (omisso Pythagora, cuius semper disciplina fuit, vt ni seruato antè silentio in litetario ludo per quinquẽnium in audiendo, discipulorũ nullus loqui auderet. Et relictis Dianæ sacerdotibus, quibus tria erãt stata tempora, primũ nempè, in quo sapientiam addiscerẽt, secundũ, in quo eam exercerẽt, & tertium, in quo alios instruerent) recensiti cum alijs multis quali suę tempestatis magistri eruditione prædíti esse debuissent, dictis ostenderunt, & factis. At si hęc de prędictis dicta sunt oratoribus, quid de sacris dicemus? Qua doctrina, qua scientia, & qua sapientia euãgelicos pollere decebit prædicatores? Num illa, qua ad componendum, & diuidendum; distinguendũ, diffiniendum, & concludendum vsi sunt philosophi? Nequaquam certè; nam hanc vt infrugiferam respuit Paulus, cùm nõ in sermonis sublimitate se ad Corinthios venisse testatur: *Et ego, cũ venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis.* 1. cap. 2. in cuius persona Carthusian. art. 2. *Non veni in sublimitate sermonis, idest, non verbis altis, difficilibus, & ornatis; non in altitudine naturalis philosophiæ, non in argumentatione dialectica verborum decore ornata, quasi per talia principalitèr vellem vos ad credendum inducere, seu fidem probare.* An illam fortè callere debent doctrinam, quæ sermonis culturam, styli elegantiam, dicendi leporẽ, fandi copiam, atq; eloquentiam docet? Nec equidẽ, nã nimis elaboratus, phaleratusq; sermo & vt inutilis à præfato improbatur Paulo loco superiùs allato verbis illis: *Sermo meus, & prædicatio mea, nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* quæ directè ad rethoricę fucum vellicãdum dicta autumat D. Thomas, dum ipsa hunc glossat in modũ: *Nõ in persuasibilibus humanæ sapiẽtiæ, ideſt, per rethoricã, quæ componit ad persuadendum, declarans nõ fuisse suæ intentionis vti rethoricis persuasionibus.* & vt garrulus contemnitur à doctis, dicente Ennodio lib. 3. epist. 24. qui fortè iuuenili quõdam facundia sic lusit: *Electi vtor styli testimonio, qui Doctis supra inscitiam garrulitate displiceo.* et tandèm vt graue, & permolestũ Ethnico Senecę nauseam peperisse reperio, qui epistol. 59. hæc habet: *Si recentiorem quæris Fabianum disertum, & elegantem, orationis etiam ad nostrum fastidium nitidæ.* Quem sequutus videtur Claudianus, qui de sexto Honorij consulatu cecinit:

Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit.

Qua igitur scientia pollere, atq; præstare sapientia debet, qui doctoris, concionatorisq; partes assumit? Scripturarum nè cognitione, sacrique eloquij interpretatione? Non alia certè; nam concionatorum magister Christus Dominus discipulos ad prædicandum missurus, illorum quidem pulsa caligine, illuminauit mentem, rationemque illustrauit; verùm non tàm istuc ad philosophorũ capiendas solertias, vel rethoricorum addiscendos colores, intelligenda instituta, & tenendos fucos; quàm, vt mysteria perciperent, scripturas caperent, & prophetas intelligerent: *Aperuit illis sensum, vt intelligerẽt Scripturas.* Luc. 24. cùm horum maximè in verbi Dei præcone requiratur peritia; præfata Euangelistæ verba in sẽsu morali glossante Lyrano: *Per hoc insinuans, quòd prædicans actu debet priùs habere sufficientem sacræ scripturæ notitiam, antequam ad prædicandum accedat.* Nec miror, nam si iuxtà allati Diogenis sententiam præ scientię, doctrinæque eminentia ter homines profani esse debent oratores, vt quater viri sint verbi Dei præcones, sacræ scripturæ eos callere intelligẽtiã decet; nã cùm hæc scientiarũ, disciplinarumq; omnium fons sit, & origo, sicuti Theodulphus cecinit Episcopus:

Quidquid in ingenuis mundana disscitur arte
Artibus hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quidquid amatur in illis
Hoc à fonte manat, huius ab amne fluet.

Ennodius. Seneca. Claudian. Lyranus. Theodulph.

1. Corinth. cap. 2.

Carthusian.

Ibid.

D. Thomas.

Quàm concionatorem callere sapiẽtiam deceat, expenditur.

Ethnicis etiam nauseã peperit nimia sermonis cultura.

Longè in sacrarum literarum intelligentia eum præcessisse decet, qui concionatoris partes assumit.

Scientiarũ omnium fõs sacra scriptura.

Digitized by Google

cæteris eos excellere faciet oratoribus. Hæc omnem aliam mellis dulcedinem, meram maris reputare facit salsuginem; vti eius suauitate pastus confessus est Greg. Nanz. oratione de suo in quadrag. silentio, cùm ait: *Scripturæ lectio hoc mihi præstitit, vt amaram profanorum librorum, qui anteà fucata pulchritudine animum meum demulcebant, salsuginem expuerem.* Hęc nobis, aliisque vtillima est; nobis quidem, quia veram suadet philosophiã, ad Rusticum monachum dicente Hieronymo: *Nunquam de manu, & de oculis tuis recedat liber. Discatur psalterium ad verbum. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* alijs autem, quia vna ipsa peruicaciũ emollire valet duritiem, iuxtà illud Anastasii Nicęni quæst. 78. in scripturam: *Quomodò fieri non potest, vt terra non irrigata spicas ferat: ità etiam fieri non potest, vt animus diuinis scripturis non irrigatus, etiam si quispiam mille verba effundat, vllum fructum ostendat.* Quarè hoc boni malum illum Erasmum in epistola dedicatoria ad apologiam Dauid, à D. Ambrosio editã, aliquandò dixisse existimo, quòd absque scripturarum præsidijs, illarumque perfecta notitia concionandi munus assumere debeat nullus: *Nemo loqui potest, nisi qui scripturas omnes penitùs excusserit, imbiberit, concoxerit, tantoque vsu contexerit, vt in naturam abijsse videantur.* Quibus etsi sacrã historiam seorsim minimè nominet, vniuersali saltem scripturæ vocabulo comprehendit; quod quàm verum sit, facilè ex dicendis patebit.

Greg. Nanz. — Scripturæ lectio amaram profanorum librorum lectionem reddit. — Hieronym. — Anastasius Nicęnus. — Erasmus.

2 Verum, perfectumque verbi sui præconẽ describere volens Saluator patrifamilias, qui de thesauro suo noua profert, & vetusta eum cõparandũ eẽ fuit verbis illis: *Ideò omnis scriba doctus in regno cęlorũ, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, et vetera.* Matt. 13. quibus boni cõcionatoris partes ipsum explicasse haud dubitant Patres, & post ipsos Paulus de Palacio, qui hæc super prędicta verba habet; *His explicat conditiones, quas Ecclesia doctor habiturus est.* Et equidẽ solertèr nimis patrifamilias sacri eloquij assimilatur magister; nam (prætermisso amore, quo veluti paterfamilias erga domesticos fideles prosequi debet) vt ille pro audientium captu sacri verbi pabulum ministrare debet; dicente Gregorio lib. 20. moral. cap. 2. *Debet enim subtiliter is, qui docet perspicere, nè plus studeat, quàm ab audientibus capitur, prędicare. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, nè dum paruis sublimia loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.* Et optimo, maximoque iure de thesauro suo noua dicitur proferre, & vetera, quia non philosophorum sophismatibus, nec poetarum figmẽtis, neque futili dicẽdi rethoricorum lepore suæ doctrinæ excrescentibus opibus, subtilia texere, in magnis ambulare, & se inanitèr, dementerque ostentare debet; sed post perfectã, eximiamq; sacrarum scripturarum notitiam, qua suum iam cumulasse oportet thesaurum, vtriusque testamenti, noui inquam, & veteris ad fidelium eruditionem eum proferre decet sententias. Ad vnguem D. Anastasius Nicęnus loco præfato: *Per laboriosam diuinarum scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum veteris, & noui testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis. Quamobrem quicumque sunt imperiti diuinarum scripturarum, non possunt esse patresfamilias: vt qui neque à se habeant, neque ab alijs accipiant, sed seipsos decipiant, pereuntes fame ignorationis.* Vides quomodò nõ profanarum, sed sacrarum literarum gnarum esse oportet, qui concionatoris munus assumit, dum ad fidelium salutem non ex philosophorum monumentis, sed ex nouo, & veteri testamento promere congesta iubetur.

Matt. c. 13. — Paulus de Palacio. — Gregorius. — Anastasius Nicęnus. — Non ex philosophorũ, vel poetarũ monumẽtis, sed ex thesauro noui & veteris testamenti fusã debet cõcionator depromere sermonem.

3 Mellea est pro re hac, quã præmanibus habemus, quòd .s. de sacræ scripturæ thesauro noua, & vetera proferre debet, qui concionatoris partes obire exoptat, illa D. Hieronymi obseruatio, quòd non priùs à summo Præceptore gentium est Paulus constitutus magister, quàm electionis vas nuncupatus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus.* Act. 9. quia impar concio-

Act. c. 9.

Digitized by Google

cionandi muneri fuiſſet, niſi vt vas diuinæ ſapiẽtiæ theſauro ſuperplenum noua protuliſſet, & vetera. Quod quã doctè, affluenterque effecerit, ſuæ doctrinæ pluuia, ſuique eloquij teſtatur ros, qui agrum hunc Eccleſiæ frugiferum reddidit, atque feracem: *Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? nempè, quia vas legis, & ſanctarum ſcripturarum armarium eſt.* ait Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum.

Hieronym.

Non priùs concionator Paulus inſtituitur, quàm vas electionis vocetur, & quare?

4 Faceret pro dicto inſtituto, q nẽpè de ſacræ ſcripturæ theſauro noua debẽt diuini eloquij pręcones proferre, & vetera, benedictio illa, qua Nepthali filiũ ſuum felicitauit Iacobus: *Nepthali ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis.* Gen. 49. quia ſicuti non incongruè per Nepthali concionator intelligi poſſet, qui ceruus quidem propter promptitudinem ad diſcurrendum, & veracitèr emiſſus dicitur, quia prædicare niſi miſſus, non audet; ſic eloquia dat pulchritudinis, quia non philoſophorum, nec rethoricorũ eloquia præbet, ſed Domini, quæ ſunt eloquia caſta, argentũ igne examinatũ, probatum terræ, purgatũ ſeptuplum: *Dans eloquia pulchritudinis*, ait Lyranus, *quia prædicare non habet de fabulis fictitijs, ſed de ſacris ſcripturis.* Spectarent huc etiam verba illa Eccli. 44. *Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes*; nam iuxtà mòx dicti Lyrani ſententiam illi diuites in virtute dicuntur, qui nõ profanis ſcientijs, ſed ſacrę ſcripturæ diteſcunt theſauro. Quod poſt ſecularium ſtudiorum laborem optimè expertus Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis ſuam lamentatur cæcitatem, quòd philoſophorum, oratorumque paupertate quandoque diteſcere ſtuduiſſet: *Miſer ego lecturus Tullium ieiunabam, & poſt crebras vigilias Plato ſumebatur in manibus. Si quandò in memetipſum conuerſus prophetas legere voluiſſem, ſermo horrebat incultus, & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis.* Nec à præfato diſtaret argumento ſubtilis illa Gregorij obſeruatio, quòd ideò ſcilicèt vectes, quibus Domini portabatur arca, per circulos aureos, qui in arcæ latere erant, inducebãtur, & nunquam indè extrahebantur, ſacra dicente pagina: *Sẽper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.* Exod. 25. quia nunquam à verbi Dei pręconum, per vectes figuratorum, memoria aurei ſacrorum eloquiorũ circuli euelli debent, ſi fructum quem ferre exoptant: *Semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis; quia nimirum neceſſe eſt, vt qui ad officium prædicationis incumbunt, à ſacræ lectionis ſtudio non recedant.* 3. par. paſtoral. cap. 11. Hæc, vt dixi, compluraque alia ad noſtrum equidem facerent inſtitutum; tamen quis ille ſit ſapiens incantator, de quo DD. Pſal. 57. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & ueneficí incantantis ſapientèr*, maturiùs trutino, nam dum ad aliorum differẽ etiam, quos ſimplicitèr incantatores appellat, aliquem ſapientèr incantare aſſerit, quòd inſipientèr illi hoc efficiant inſinuare videtur, aliàs enim otiosè vni, non omnibus incantandi tribueretur ſolertia, quæ cunctis competeret: ſi appoſitè igitur ipſum locutum dicemus, vt dicere omninò tenemur, quis iſte erit ſapiens incantator, ad cuius ſapientiam aliorum peruenire nequit ſolertia? Num euangelicus prædicator, qui de theſauro ſuo noua proferendo, & vetera, ſceleſtorũ aſpides ad fucati ſermonis ſuſurrum ſurdas, innoxias, ſcelerumque veneno reddit expertes? Nõ alitèr quidẽ, nam vbi rethoricorum ſectantes inſtituta nitido, fucatoque ſermone ſubtilia nectendo, vix audientium demulcent auditum; ſcripturarum ipſe vehemẽtia religionẽ laudat, à vitijs reuocat, ad virtutes impellit, affectus ſubleuat, ac cæleſti eos facit æſtuare calore, quos peccati perfrigerauit virus. Hinc Genebrardus ad iudaicam increpandam perfidiam (quæ ſapientibus, magniſq; prędicatoribus obſiſtere minimè verecundabatur) prefata Dauidis verba dicta dum autumat, quinã ſapientèr incantent, aperit, atque declarat: *Veneficí incantantis expertiſſimi, & exercitatiſſimi in magnis. Hoc dicit quoniam nolebant audire monitiones ſalutares prophetarum, in Dei lege excellentium, nulloque modo à propoſito re-*

Lyranus.

Quiſnã prædicator eloquia det pulchritudinis, declaratur.

Eccli. c. 44.

Hieronym.

Exod. c. 25.

Gregorius.

A ſacræ lectionis ſtudio nõ recedat, qui prædicationi incumbit.

Pſal. 57.

Genebrard.

Veri verbi Dei pręcones ſapientèr incantare dicuntur, & quando?

Digitized by Google

renocari patiebantur. Vides quomodò etsi omnes incantare, loqui, & prædicare, non tamen omnes id sapienter efficere dicuntur, quia illi solummodò huius artis peritissimi sunt nuncupandi, qui in magnis, hoc est, in lege, & prophetis exercitatissimi sunt, atque doctissimi. Hi sunt illi prudentes (ad imprudentium distinctionem) eloquij mystici, de quibus Ieremias cap. 3. qui non tantùm literali sacræ scripturæ sensu ad suadendum, sed mystico etiam vtuntur, dicente Lyrano: *Prudentem eloquij mystici, idest, doctores magni, qui intelligant legem, & prophetas, non tantùm secundùm sensus literales, sed etiam mysticos.* Isti procul dubio sunt illi, quorum voces dum super populorum aquas resonãt, Deus maiestatis per ipsos intonare videtur. Et horum denique grandis est censenda loquela, quæ diuini amoris accẽdit ignem, iuxtà illud: *Ad vocem loquelę grandis exarsit ignis*. Ierem. cap. 11. cùm aliorum, vt admodum parua, suadere nõ valeat. Qua de causa Chrysostomus in Psal. 95. *Nõ oportet quicquam dicere sinè testibus; nam si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, et interdum sermonem, ut friuolum, auersans; interdum vt probabilem recipiens. Verùm vbi è scriptura diuinæ vocis prodit testimonium, et loquentis sermonem, et audientis animum confirmat.*

Lyranus. *Ierem. c. 11.* *Chrysost.* Vix suadere aliquid valet, qui scripturis non vtitur.

5 Quàm longè in sacrarum literarum peritia sacerdotem processisse oporteat, optimè docuit ille, qui nũc inter præclariora eius insignia doctrinam collocari iussit, cùm ait: *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam, et Veritatem.* Exod. 28. nunc verò ob sapientiæ eminentiam Angelum illum per prophetarum os nuncupari fecit, iuxtà illud Malachiæ 2. *Labia enim sacerdotis custodient scientiã, etc. quia Angelus Domini exercituum est.* his tamen non obstantibus inter præcipua Iudæ, & Beniamin tribuũ excidia ab Azaria Obed filio prophetali oculo præuisa, illud in omnium capite recensitum fuit, quòd absque sacerdote doctore futuræ essent: *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore.* 2. Paralip. cap. 15. quod licèt de sacerdotũ officio, ministerio, ac prædicatione, qua captiuitatis tempore carere debebant, interpretentur quàm plurimi, ex quibus vnum adduco Tostatũ: *Ponitur ablq; sacerdote doctore, quia non habebant docentes aliquos in Babylone: nam non exercebant ibi officium prædicationis sacerdotes, et leuitæ sicut in terra Iudæ*; quia nihilominùs non de docente, q magis actui secundo, siue docendi exercitio congrueret, sed de doctore, quod potiùs actum primum, seu scientiæ habitum insinuare videtur, est sermo, aliud mihi pro re, de qua agimus decerpendi mysterium docet, illud nempè, quòd etsi omnes sacerdotes, omnes magistri, omnes concionatores sint, ac Dei verbi pręcones; doctores tamen, seu sapientia prædíti non omnes sunt, sed illi tantùm, qui penitùs sacras noscentes scripturas de veteris, & noui testamenti thesauro diuitias promũt; nam qui nimis rethoricis fucis inuigilant, stylum elaborãt, & aniles fabulas texunt, qui in oratione comenda, ornanda, atque concinnãda nimis sunt; qui inquã garriẽdo magis, quàm docẽdo, verba potiùs præcipitando, quàm sapienter loquẽdo non audientium corda pertingere, nec affectus mouere, sed aures tantùm mulcere, ac titillare satagunt, inscientiæ procul dubio conuincuntur; cùm menti ferè desit, quod in facundia redundat, & conceptuum paupertati electo stylo suppleatur multotiès. Meum non est hoc, quod dico, sed Gregorij, qui lib. 18. moral. c. 14. super locum illum: *Habet argẽtum venarum suarum principia.* Iob. 28. sic hæreticorum carpit dementiam, qui sermonis elegantia, verborumque nitore suam operire conantur ignauiam: *Hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur, etc. Sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.* Quod Beda, Lyranus, Caietanus, Vgo Card. Titelmannus, multique alij cum ipsis confirmare videntur, dùm verba illa Petri: *Non enim doctas fabulas sequuti.* 1. cap. 1. explanan-

Tostatus. Ad supplendum paupertati conceptuum styli est adinuenta elegantia. *Iob. c. 28.* *Gregorius.* *1. Petr. c. 1*

Malach. c. 2. *2. Paralip. c. 15.*

tes Ly. *Non*, ſuper fabulas cadere poſſe opinantur, vt legi queat, non doctas, ſeu indoctas fabulas non propoſuimus, &c. quia fabulis, ſecularibuſque literis vti, erudita vanitas (nè inſcientiam dicam) & vana eruditio eſt. Cuius rei longè antè hos inſcius minimè ſanctiſſimus Moyſes, licèt in omni ægyptiorum ſapientia eruditiſſimus, & apud eoſdem eloquentiæ eſſet incomparabilis, cùm tamen prædicandi gratia diuinorum arcanorum conſcius fieri cepit, incũctãtèr ſe ineloquẽtem, ineruditum, ac blæſum nuncupauit: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. quia ſterileſcit adeò omnis profana ſapientia, ſi cum diuina comparetur, vt inſcientię, immò ſtultitiæ ſortiri poſſit vocabulũ. Hinc Origenes hom. 3. in Exod. aliam eruditionem, aliam philoſophiam, aliãque ſapientiam ab ægyptiaca Moyſen concionaturum expoſtulaſſe aſſerit, cùm ait: *Quomodò tardioris linguæ Moyſes ex quo Dominum loquẽtem audiuit? Certè Moyſes eruditiſſimus apud ægyptios extiterat. At cùm mittitur ad prædicandum Pharaoni, & eiſdem ægyptijs, aliam à Deo edoctus linguam exercere tenetur. Vndè qui olim incomparabili ſapientia, & ſublimi ſermone vtebatur in ægypto degens, concionaturus poſteà aliam deſiderat eloquentiam, quæ poſſit populo ſalutaris exiſtere.* Sic imparem ipſe prædicãdi muneri humanam ſapientiam dũ declarat, viam mihi hanc deducendi cõſequentiam pandit, quòd optimo iure ſinè ſacerdote doctore teſſurus populus dicitur, quia nouiſſimis hiſce temporibus prædicatores quidem futuri erãt multi, docti autem pauci; nam qui ad fabulas tantùm conuertuntur, vel in dicendi ſolummodò ſiſtunt lepore, indocti ſunt dicendi doctores, & docti (vt ità dicam) ignari.

Erudita vanitas dicẽdi nitor.

Exod. c. 4.

Origenes.

Impar prædicandi muneri mundana eruditio.

6 Verùm quia dæmonis verſutia noſtro hoc tempore ferè communitèr Iſrael ad Philiſthijm deſcẽdere video, vt vomeres exacuant ſuos, ſeu, vt clariùs dicam, penè concionatores omnes aquæ viuæ ſacræ ſcripturę relicto fonte, ad diſſipatas ciſternas philoſophorum, rethoricorum, ac poetarum, quæ ſolidæ ſcientiæ, veræque ſapientiæ aquas continere non valent, confugere video, non ſinè cordis dolore cum Dauide eis dicere cogor: *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſal. 4. Si compta oratio, phaleratus ſermo, & dicendi nitor, ipſius Tullij ſententia in oratione pro Flacco, erudita vanitas eſt, cur vanitatem diligitis, quæritis, & affectatis? Si poetarũ fabulę mẽdacia ſunt veri colore depicta, cur illas ſic ſedulò perquiritis, & tàm diligentèr venamini, vt ſuper illud, *Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſq; vomerẽ ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculũ.* 1. Reg. 13. dicat Carthuſianus, *Fideles quamplures ad Philiſthiim pergunt; vt ſua acuant ferramenta: quia vera, & ſpirituali ſapientia derelicta, ad philoſophica documenta, ad prudentiam ſeculi, immò ad mundanas verſutias ſe conuertunt, atque in talibus ſuam nutriunt mẽtem: ſuntque ſapientes, vt faciant mala; obtuſi verò, immò cæci in pertinentibus ad ſalutem?* Quarè nõ expergiſcimini filij ebrij, qui vaniſſima perciti vanitaté nil niſi verborum leporem, rerũ texturam, & ſtyli elegantiam, elateq; loquutionis ſciẽtiam attendendo, inflati cæteros deſpicitis, atq, in cęterorum contẽptum, quaſi ſingulariter apud vos ipſos periti, intumeſcitis? Quis vos faſcinauit non credere veritati, quòd maior eſt philiſthinorũ cędes à Samgar retuſo vomere facta ea, quam Aod gladio ſuo limato, & expolito effecit, vt habetur Iudicum 3. nam plures ad Chriſtum ſimplex reducit prædicatio, quã nitida, phaleratąque oratio, dicente Stephano Cantuarienſe apud Tilmannum: *Ecce iſte Samgar plures occidit vomere, quàm Aod gladio ſuo limato, & acuto; quia ſæpè plus proficit ſimplex, & rudis prædicatio, quàm exquiſita, atque polita.* Quòd rudis omninò non debeat eſſe oratio, & quòd generoſi, ſubtileſque cõceptus ruſticano nõ ſint proferẽdi ſermone, fateor quidem, dicẽte Seneca epiſt. 73. *Verba non ieiuna eſſe, & ar-*

Pſalm. 4.

1. Reg. c. 13.

Carthuſianus.

Ferè cõmunis præſẽtis tempeſtatis cõcionatorũ eſt error, relicta ſcriptura, ad profanorum ſcriptorum recurrere monumẽta.

Stephanus Cantuar.

Sæpè plus proficit ſimplex, rudiſq; prædicatio, quàm expolita, phaleratąq; oratio.

Seneca.

Digitized by Google

arida volo, quæ de rebus tàm magnis dicentur: neque enim philosophia ingenio renunciat; tamen in auium oblatione gutturis semper vesiculam proijciẽdam iniunxit Altissimus: *Vesiculam verò gutturis, & plumas proijciet prope altare.* Leuit. 1. quia nunquam non dicendi respuit garrulitatem: *Huius igitur auis nostræ vesicula gutturis proïcienda est, tumor scilicet, qui de eloquẽtiæ pompa oriri solet, penitùs excludendus;* ait Rodulphus à Tilmanno allatus. Quo præterea sermone illorum damnabo vanitatem, qui in magnis ambulantes, & super ventorum pennas volantes nulla auditorum habita ratione (qui vt asini ad lyram suæ astant concioni) vt sui potiùs apud imperitum vulgum miraculũ faciãt, quàm illius lactẽt infantiam, ex suggesto cathedram efficiunt: *Quid enim prodest,* ait Augustin. *locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omninò necessitas nulla sit causa, si quod loquimur, non intelligunt, propter quos, vt intelligant loquimur?* lib. 4. de doct. Christiana c. 9. An non imprudentis, atq; indocti est incongrua loqui, & suprà auditorum captũ differere? *Doctum dixerim, quem intelligo: ænigmaticè fictum ridiculum vocitaro histrionem.* ait Herodotus. Et ità equidem est; nam si Veritatis ore ille fidelis & censendus, & prudens, qui in tempore, & mensura cibũ præstare non ignorat: *Quis, putas, est fidelis dispẽsator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Luc. 12. *Per mensuram quippè tritici exprimitur modus verbi, nè cùm angusto cordi incapibile aliquid tribuitur, extra fũdatur.* ait Gregorius par. 4. Pastoral. cap. 5. ergo imprudẽtis, inscijque effugere non poterit notam, qui vt se magis ostẽtet, quàm auditoribus prosit, paruulis panem petẽtibus frãgere stomachatur. Quid si huiuscemodi doctores saperent? Quid si intelligerent? Quid si veritatem perciperent istam? Sanè in illorum non laberentur errorem, quos diserte nimis Gilibertus carpit ser. 27. in Cant. cùm ait: *Vtinam istud attendant, qui futuri sunt in cõuentu fratrum sermonem. Student magis alta, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia, & plana docere, nè sola hæc scisse videantur. Erubescunt vbera habere, nudare mammã, lactare paruulos, quid istud est? Ideò nè consedisti in medio cathedram tenens, vt scientiam iactes, an vt teneram subditorum lactes infantiam?* Illorũ carpitur cõcionatorum vanitas, qui alta potiùs, quã apta dicere student. *Subtilia texis: artem qui audiunt, mirantur: eloquentiam laudant. Benè quidem, tamen si gratiam sentiunt, si te dispuante audientium moueatur affectus, intellectus instruatur, alioquin quid ad præsens negotium peregrina quædam adducere, quæ auscultantes non capiant? Nec tàm debes attendere, quæ te dicere deceant hominem literatũ, quàm quæ debeant audire, quos instruis. Quid enim indè consequuntur si ambulas in magnis, & in mirabilibus, non dico super te, sed super eos qui assident? Noli altum altè sapere, sed condescende humilibus, sublimia loquens, sed in tempore, quid aliud affectare videris, nisi vt tibi soli taceant homines, & dicatur de te, quod dictum est de Saluatore, quia nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur? Ascendisti cathedram, vt alios ædifices, non teipsum insles: vt impleas, non vt exinanias teipsum, nisi fortè eo modo, quò se Saluator exinaniuit formã serui accipiens.* Verùm quid per tot diuersa vetustorũ monumenta doctorũ calamũ percurrere sino, vt hanc concionatorum ostendã vanitatem, qui alta potiùs, quàm apta dicere satagunt? rem dicam, veram sanè, risu autem dignissimam: Defũctum religionis cuiusdã Prouincialẽ funebri, sed latina oratione in hac mea vrbe laudibus prosequebatur disertus quidam orator, cuius verborum texturã non minùs, quàm dicendi peritiam audientium admirabatur caterua, supra cunctos autem ei applaudebat vir quidam decẽtèr indutus, qui passim ad me versus cõquiniscendo, superciliaque eleuando admirationis, ac laudis prætendebat signa: quod cùm pluriès effeciſſet, aliquid apud me esse cæpit; verũ statim eius verba ex errore me extraxere; nam vix cõpleta oratione quid de ea intellexis-

Leuit. c. 1.

Rodulphus.

Sæpe Deo prædicatorũ inuisa garrulitas.

Augustin.

Herodotus.

Indoctorum est, supra auditorũ captũ differere.

Luc. c. 12.

Gregorius.

Gilibertus.

set,

ſet, effutire cæpit, dum ad me verſus hæc prorupit in verba: Verè non in alia Hiſpaniarum prouincia, niſi Caſtellæ ortus dignoſcitur concionator iſte; & percontanti mihi (qui probè virum, patriamque eius noſcebam) vndè hiſpanum illum agnoſceret: Et quomodò tàm perfectè hiſpanè concionari potuiſſet, hiſpanus ni eſſet? reſpõdit. Quod ſi in magna, præclaraq; hac accidit vrbe, in villulis quid eueniet, & oppidulis? Si ab honeſto ciue hiſpanus exiſtimabatur, qui latinè diſſeruerat, indus certè habebitur, qui ruſticis, imperitiſq; Platonẽ, & Ariſtotilem, D. Thomã, & Scotũ proponere, atq; explanare conabitur. Huiuſmodi, ni fallor, cõcionatores carpit Auguſt. loc. prõx. cit.

Auguſtin. *Quid prodeſt clauis aurea, ſi aperire, & volumus, non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi poteſt: quãdò nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt?* Falluntur igitur, falluntur equidem, qui vt ſuam inſipientiam potiùs, quàm ſapientiam iactent, in viam gentium vadunt, vel, vt clariùs dicam, humanas pro diuinis literas amplectuntur, cùm efficacioribus argumentis, & mirabiliori ad perſuadendum gratia efflorescant hæ, dicente Auguſtino ibidem: *Sapientèr dicit homo tantò magis, vel minus; quantò in ſcripturis ſanctis magis, minuſue proficit: quæ cum ſapientia inſeparabilem continent ſolidam eloquentiam.* verùm longè magis decipiuntur illi, qui ſimilium ſunt præceptorum auditores, nàm omnium ſtultorum ſtultiſſimus cenſeri meritò poteſt, qui ruſticana fame tabeſcens, Angelorũ cibum omne delectamentum in ſe habentem faſtidit, & inhiãtèr Ægypti cępas, alliaq; appetit, qui inquam ſacræ ſcripturæ relicto pabulo, ad illos currunt concionatores, quorum doctrinam non capiunt, vel illorum commendant eloquia, qui verba præcipitant, ac ſi non idipſum coram pedagogis paruuli, & coram inſana aſtantium turba efficerent hiſtriones, vt Iulium Candidum dixiſſe refert Plinius Iunior lib. 5. epiſt. 20. verbis illis:

